Kip

PRAXEOS MEDICAE VNIVERSAE PRAECEPTA



AVCTORE

IOSEPHO FRANK

AVGVSTISSIMO IMPERATORI ET TOTIVS ROSSIAE AVTOCRATORI A CONSILIIS COLLEGIORVM, EQVITE ORD. ST. WLODIMIR IV. CLASS. THERAPIAE SPECIALIS ET CLINICES IN CAESAREA VNIVERSITATE VILNENSI PROFESSORE, AC SEMINARII MEDICI IMPERATORIS MVNIFICENTIA CONDITI PRAEFECTO, CONSILII MEDICI PETROPOLITANI ET CAESAREAE ACADEMIAE MEDICO-CHIRVRGICAE, SOCIETATVM PHILANTHROPICAE PETROPOLITANAE, NATVRAE SCRVTATORVM MOSQVENSIS, MEDICORVM ET BENEFICORVM VILNENSIS, ACADEMIAE MEDICORVM VENETAE, SOCIETATIS AGRICVLTVRAE STVDIOSORVM FLORENTINAE, SCIENTIARVM ET ARTIVM ARGENTORATENSIS, ACADEMIAE MEDICAE, SOCIETATVM GALVANICAE ET MEDICAE PARISIN. R. IENNERIANAE, MEDICORVM ET NOSOCOMII A GVYO LONDINI DENOMINATAE, ORDINIS MEDICO-CHIRVRGORVM LVCCENSIS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, MEDICAE MARSILIANAE ETC. ETC. SODALI.

PARTIS PRIMAE VOLVMEN SECVNDVM,

CONTINENS

DOCTRINAM DE MORBIS CVTIS.

LIPSIAE

SVMPTIBVS BIBLIOPOLII KUEHNIANI

CIƆIƆCCCXV


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



CONSPECTUS

RERUM, PARTIS I. VOL. I. ET II. HUJUS OPERIS PERTRACTARUM.

VOL. I.

PROLEGOMENA.

§. IX.

Auxilia

Caput I.

De febribus in genere.

Cap. II.

De febribus intermittentibus.

Caussae.

motus

CAP. V.

De febribus gastricis.

Diagnosis

Appendix.

De inflammationibus in genere.

VOL. II.

DE MORBIS CUTIS.

CAP. I.

De morbis cutis in genere.

Diagnosis

scorbu-

Cap. XXXVII.

De morb. rubr. Cayennae, morbo Crimensi, Radesyge Norvegiae, Herpete Aleppi, Rosa Asturica, Yaws et Pians.

Cap. XXXVIII.

De vitiis transpirationis.

Cap. XXXIX.

De vitiis tactus.

scriptores.

CAP. XLIV.

De induratione textus cellulosi.

CAP. XLV.

De rheumatismo acuto.

Cura.

DE
MORBIS CUTIS.

Cap. I.

De morbis cutis in genere.

§. I.

De Argumento generatim.

1. Anatomia et physiologia docent [1]), *cutim simul cum unguibus et pilis*, corpori humano, veluti cortex arboribus, extensum sistere indumentum; eam ad internas caveas intrare, ac vasis, tum sanguinis circulo dicatis, tum lymphaticis et glandulis varii generis, nec non conspicuis nervis abundare, atque cum singulis visceribus, praesertim autem cum pulmonibus [2]), ventriculo, intestinis, hepate, Cutis consideratio.

A 2 reni-

1) Bichat *Abhandlung über die Häute im allgemeinen und im besondern. A. d. Franz. übersetzt von* Ch. Fr. Dörner. *Tübing.* 1802. 8. — *Recherches anatomiques sur le système cutané de l'homme. Paris* 1811. — Kellie *historical and critical analysis of the functions of the skin.* Vide *the Edinburgh medical and chirurgical Journal* Vol. 2. p. 170. *April* 1805. — Walther *Physiologie des Menschen. Landshut* 1807. Curtii Sprengel Institutiones medicae. Amstelod. 1810. 8. T. II. p. 41.

2) Meckel Diss. pulmonum cum cute commercium etc. illustratum. Halae 1789.

renibus, vesica urinaria, partibusque genitalibus, arctissimum alere commercium et postremo non solum organum tactus continere, sed et officiis exhalationis et inhalationis praeesse. Patet igitur, cutim in oeconomia animali eminentem et supra quam vetustas crediderat [3]), occupare locum. Atque ita non in secunda tantummodo valetudine, sed vel in morbis fere omnibus [4]).

Scriptores. 2. GRAECI mala cutis imperfecte descripsere, si morbi integumentorum capitis, sique erysipelas et phlegmone excipiantur; ac in eo potissime peccarunt, quod diversos admodum morbos sub uno eodemque nomine comprehenderint, quodque contra ea varios unius ejusdemque morbi gradus diversis nominibus insigniverint. ROMANI, excepto CELSO [5]), Graecorum vestigia secuti sunt. ARABES praeprimis doctrinam vitiorum cutis acutorum excoluerunt, verum saepe nomina morborum praeter necessitatem multiplicarunt. Instauratis in Europa scientiis, de morbis cutis egerunt MERCURIALIS [6]), MINADO [7]) et HAFEN-

REF-

3) Quam leviter vetustas de cutis dignitate cogitaverat, testatur HIPPOCRATES in libro de ossibus et GALENUS in Commentariis ad TIMAEUM et in libro de caussis morborum Cap. VI.

4) De cute ut *signo in morbis* lege scriptores de semiotice, in P. I. Vol. I. §. XV. 2. praesentis operis enumeratos.

5) De Medicina.

6) De morbis cutaneis. Venetiis 1572.

7) De humani corporis turpitudinibus cognoscendis et curandis L. III. Patav. 1600. fol.

REFFER [8]), ex quorum auctorum operibus, multa patientia munitus, irritis infinitis hypothesibus, plurimas tamen utiles medendi rationes effodies. Continet earum haud paucas liber, caeterum empiricus, TOBIAE VOGELII [9]). Docte porro de morbis cutis egit TURNER [10]); doctissime autem elegantissimus atque classicus scriptor LORRY [11]). Multum ordinis demum hanc in doctrinam introduxit SAUVAGES [12]), multumque simplicitatis SWEDIAUER [13]). Breviter nimis ac superficialiter, at clare et plene, eam exposuit PLENK [14]). Hypotheses systematis CULLENII in opere JAKSONII [15]), germanica versione plane indigno, invenies. Ita hypothesibus pathologiae humoralis abundat opus, caeterum non spernendum, RETZII [16]). REILII syste-

8) Πανδοχεῖον αἰολοδερμον, *in quo cutis — affectus omn. traduntur. Tub.* 1630. *Ulm* 1660.

9) *Curieuser Hautdiener, vorstellend der menschlichen Haut Schönheit und Hässlichkeit. Grätz* 1698.

10) *Abhandlung von den Krankheiten der Haut. A. d. E. Altenburg* 1766.

11) De morbis cutis tract. Par. 1777. 4. Habetur translatio germanica: *Abhandlung von den Krankheiten der Haut. Leipz.* 1779. 8.

12) Nosologia methodica.

13) Novum nosologiae methodicae systema. Halae 1812.

14) *Lehre von den Hautkrankheiten, a. d. L. übersetzt, und mit einigen Zusätzen vermehrt von* WASSERBERG. 2. Aufl. *Wien* 1789.

15) Dermato-Pathologie. A. d. E. Erfurt 1794. 8.

16) *Des maladies de la peau. Paris* 1790. 12.

systematis notam refert SCHMIDTII diligenter exaratum opusculum [17]). Aliis hypothesibus scatet recentissimus ingeniosi MARCUS liber [18]). Multa atque memoratu digna facta opus exhibet CHIARUGI [19]). Nullus vero ex allatis auctoribus WILLAN [20], virum, omni nostra laude superiorem, attigit. Operis illius pretium, doctis animadversionibus, quibus FRIESE germanicam locupletavit versionem [21]), permultum auctum est. Displicet solummodo, quod auctor thesaurum observationum suarum in angustos artificialis systematis limites coegerit. Posse enim vel intricatam morborum cutaneorum doctrinam sine hoc erroneo artis adminiculo in ipsorum tyronum usum tradi, ea J. P. FRANK epitomes pars docet, quae morbos cutis amplectitur [22]). Idem testatur splendidissimum de morbis cutis opus, auctore ALIBERT [23]).

Pla-

17) Cutis morbi, ex materia animalis mixtura et forma mutatis cognoscendi. Diss. inaug. Halae 1799. 4.

18) *Entwurf einer speciellen Therapie.* 3. Th. 1. Abth. *Nürnberg* 1812.

19) *Saggio teorico pratico sulle malattie cutanee sordide, osservate nel R. Spedale di Bonifacio di Firenze. Firenze* 1799. Habetur nova et locupletata editio. A. 1807.

20) *Description and treatement of cutaneous diseases. Lond.* 1798. Necdum ad nos continuatio hujus operis, ordinem tertium et quartum exhibens, pervenit.

21) *Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung. A. d. E. Breslau* 1799. 4.

22) Vol. III et IV.

23) *Description des maladies de la peau observées à l'hôpital*

Placuisset modo celeberrimo viro nexum inter proprias et alienas observationes accuratius exhibere, a subtilissimis nonnullis morborum divisionibus, quae plus adspectui, quam intrinsecae rerum naturae superstruuntur, abstinere, ac majori aequitate de antecessorum laboribus judicare [24]). Verum, sat de generali morborum cutaneorum litteratura *)! Qui enim hanc medicinae partem vel in operibus universam praxin medicam amplectentibus [25]), vel in monographiis perfecerunt scriptores, hi debitum grati animi tributum in curriculo hujus libri accipient.

3. In tanta multitudine scriptorum, nihilominus doctrina de morbis cutis magnis adhuc premitur difficultatibus, ac valde ab eo absolutionis gradu — Doctrinae difficultas.

pital Saint-Louis et exposition des meilleures méthodes suivies pour leur traitement. à *Paris* 1806. Et: *Précis théorique et pratique sur les maladies de la peau. Paris* 1810.

24) Nullo certe pacto intelligi potest, quomodo cl. Alibert, post tot tantaque clarissimorum in morbis cutis excolendis tentamina, asserere potuerit: „*J' entre dans une carrière presque deserte, où peu d'hommes ont pénétré avant moi, où aucun travail anterieur ne m'a servi de guide etc.* (§. 1). Et infra: „*J'éloigne de cet ouvrage les discussions futiles auxquelles se sont livrés mes prédecesseurs.* (*Des teignes.* §. 1.)

*) Necdum ad me pervenit: A practical synopsis of cutaneous diseases etc. By Bateman. Lond. 1813.

25) P. I. Vol. I. §. IX. 12. ac adde respectu morborum cutaneorum Sennertum (op. omn. T. IV.) et Ettmüllerum (Op. omn. T. II. art. 7.).

gradu distat, quem aliae medicinae partes jam attigerunt. Nemo autem, nisi ipsa rerum natura, ob id criminari potest. Arduum enim vel plane impossibile foret, cohortem morborum *verbis* exacte designare, quorum haud exigua pars, pro varia mali duratione, pro varia aegrorum aetate, constitutione, pro scalptu, pro varia cutis colore, pro varia illius cura et munditie, pro vario climate, pro varia denique medendi ratione, formas ad infinitum diversas exhibere solet. *Picturis* quidem verbis succurrere praesenti aevo satagerunt; at ipse WILLAN jure meritoque fatetur, picturas nec ad varios gradus pelluciditatis pustularum, nec ad copiam et qualitatem materiae ex ulcusculis scaturientis, nec ad mutationes, quae sub decursu morbi contingunt, ostendendas, idoneas esse. Idem fere de *imaginibus* morborum cutaneorum *cera efformatis* valet. Tyronibus igitur commendamus, ut nullam opportunitatem morbos cutis *in natura* observandi negligant [26]).

Ordo noster.

4. Mediam viam inter scriptores, qui genera morborum cutis maxime multiplicant et qui ea nimis circumscribunt, legendo, limites ab utilitate practica desumendo, certamque doctrinae bonitatem incertae illius perfectioni anteponendo, sequen-

26) Vitia cutis prae aliis morbis in clinica instituta suscipienda forent, saltem ut diagnosis instituatur. Et medici juvenes itineratores in nosocomiis magnis praeprimis studio morborum cutaneorum incumbere deberent.

quentem eligimus ordinem. Innixi scilicet proposito nostro, confinia medicinae potius transiliendi, quam coarctandi [27]), ad chirurgiam duntaxat *vulnera* et *ulcera* cutis primaria remittimus. Tractatum reliquorum morborum et vitiorum cutis ordimur, adspectum in universam coniiciendo rem. In ea nempe versamur opinione, in scientiis *excolendis* a factis specialibus ad generalia ascendendum, in iis vero *docendis* a generalibus ad specialia descendendum esse. Praeterea, posito sic firmo rerum tradendarum fundamento, multas in speciali doctrina evitare licet repetitiones. Hanc vero doctrinam incipimus ab efflorescentiis, quae febrium sistunt symptomata, id est, a *peticulis*, a *miliaribus*, a *bullis* et ab *urticaria*. Sic praesens ad praecedens alligamus volumen. Sequuntur tractatus *erysipelatis*, *furunculi*, *anthracis*, *carbunculi*, *zosteris* et *exanthematis mercurialis*. Huic annectitur doctrina *scarlatinae*, *morbillorum*, *rubeolae*, *variolarum* atque *varicellae*. Examinatis ita morbis cutis *acute* decurrentibus, ad deformitates et aegritudines *chronicas* systematis cutanei pervenimus, quibus adnumerantur *vitiligo*, *lentigo*, *chloasma*, *ecchymoma*, *erythema*, *porrigo*, *rhagades*, *calli*, *cornea cutanea*, *ichthyosis*, *hystriciasis*, *verrucae*, *condylomata*, *vitia unguium*, *item pilorum*, *strophulus*, *urticatio*, *hydroa*, *pemphigus*, *psora*, *psoriasis*, *phthiriasis*, *psydracia*, *herpes*, *tinea*, *lepra*, *pellagra*, *plica polonica*, *morbus ruber Cayennae*,

27) P. I. Vol. I. Praefat. p. IX.

nae et *Crimeae, radesyge Norvegiae, herpes Aleppi, rosa Asturica*; *Yaws* et *Pian*. Absolutâ horum morborum doctrinâ, ad alias aegritudines pervenimus, quae, etiamsi cutis *colorem* non immutent, nihilominus ad morbos systematis cutanei pertinent, ad *vitia* scilicet *officii transpirationis* et *sensus tactus*. Quoniam vero systema cutaneum arcte cum textu celluloso subcutaneo, hic vero similiter cum musculis subjacentibus et quodammodo cum articulis cohaeret; nec harum partium morbos hic praetereundos esse existimavimus, unde postremo sermo fit de *polypionia*, de *anasarca*, de *emphysemate*, de *induratione telae cellulosae*, de *rheumatismo*, saltem *acuto* [28]), et de ejusdem reliquiis.

§. II.

Symptomata. Autopsia cadaverum. Analysis chemica.

Generatim. 1. Quam multifaria sint *symptomata* deformitatum et morborum cutis, ex curriculo praesentis libri elucebit. Hic simpliciores duntaxat formas explanabimus, *terminos* sic statuendo *technicos*. His enim sive neglectis sive arbitrariò in usum deductis, tota doctrina, rite monente WICHMANNO [29]), corruit, vel potius condi nequit.

Stigma. 2. *Stigma* est cutis punctum (purpureum, bruneum, flavum, lividum, nigrum) sine elevatione epidermidis [30]).

3. *Ma-*

28) Rheumatismi chronici doctrina simul cum ea arthritidis traditur, Part. III. Vol. II.

29) *Ideen zur Diagnostik.* 2 Th. §. 101.

30) WILLAN op. cit. Tab. I. fig. 5.

3. *Macula* [31]) est recessio coloris consueti et normalis in una alterave cutis parte [32]). Macula.

4. *Furfur* est parva exfoliatio epidermidis sub forma, ab ipso nomine satis indicata [33]). Furfur.

5. *Squama* est lamina epidermidis plerumque inspissata, albescens, opaca [34]). Squama.

6. *Crusta* est substantia dura, superficiem externam partis exulceratae cooperiens, ac decidua, saepe iterum renascens [35]). Crusta.

7. *Papula* est minima atque acuminata prominentia sub epidermide cum basi inflammata, nullum liquidum continens, in suppurationem haud desinens, plerumque desquamatione furfuracea terminata [36]). Papula.

8. *Tuberculum*, sive *Phyma*, est tumor durus, superficialis, circumscriptus, apice plerumque suppurans, interdum gangraenescens [37]). Tuberculum.

9) *Vesica* est prominentia epidermidis, magnam circumferentiam exhibens, basi irregulari, fluidum serosum et pellucidum continens [38]). Vesica.

10. *Phlyc-*

31) Macula, veteribus dicebatur *panus* sive *pannus* (Arnoldus *de Villa nova:* Opp. p. 1158).
32) Willan l. c. fig. 8.
33) l. c. fig. 1.
34) l. c. fig. 2.
35) l. c. fig. 3.
36) l. c. fig. 6.
37) l. c. fig. 9.
38) l. c. fig. 10.

Phlyctaena. 10. *Phlyctaena* est vesicula super basi profunde rubra sive plumbei coloris [39]).

Pustula. 11. *Pustula* est elevatio epidermidis figurae nunc globosae, nunc conicae, pus sive serum continens.

Pruritus. 12. *Pruritus* est molesta sensatio, ad scalpendum imperiosé incitans.

Cadaverum autopsia. 13. *Cataverum autopsia* hominum, ex nonnullis morbis cutaneis defunctorum, docet: eadem phaenomena, quae in variis partibus integumentorum *externorum* cernuntur, plus minus vel in membranis *internis* ac in partibus contiguis observari. Plurimi autem extant morbi cutis, praesertim chronici, quorum doctrina vel exiguum, vel nullum lucrum ab autopsia cadaverum obtinet, eo quod magna pars vitiorum cutis cum vita evanescat, et multi non directe morbis cutis, sed aliis caussis succumbant. Caeterum nisi ubique per sectiones cadaverum, saltem per examen microscopicum, hoc compertum habetur: morbos cutis pro re nata sedem figere in epidermide, in rete mucoso, in tela cellulosa et membrana adiposa, in glandulis tum lymphaticis tum sebaceis et earum ductibus excretoriis, in vasis tum sanguinis circulo dicatis, tum lymphaticis, in papillis nerveis, in unguibus, bulbis et vaginis capillorum vel, uti plerumque accidit, in plurimis partibus simul. Nihil enim a veritate magis alienum est, quam consueta nunc sedis morbosae uno eodemque in orga-

39) l. c. fig. 11.

organo, in varia, ex quibus componitur, systemata, citra visus confinia, collocatio. Maxime sub hoc respectu cl. MARCUS [40]) nobis errasse videtur.

14. *Analysis chemica* nuper a cl. ALIBERT ad morbos cutis illustrandos in auxilium ducta est. Quamvis vero parum utilitatis, pro medicina, saltem practica, inde expectandum esse censeamus, libenter tamen et huic examini subscribimus, optamusque, ut chemici hoc in opere medicis amicam porrigere velint manum. Nunquam enim facta, quaecunque demum, inutiliter colliguntur. Analysis chemica.

§. III.

Caussae.

1. Non omnes sane *caussae* morborum cutis notae sunt. Ad notas, sive praedisponentes, sive excitantes, pertinent: vitia haereditaria et congenita, influxus aetatis, sexus, constitutionis corporis, climatis et vestium, porro immundities, opificia, insecta, vermes, vegetabilia, contagia, venena et pharmaca, tandem alimenta quantitate aut indole peccantia; sanguinis conditio abnormis; secretio morbosa transpirationis, urinae, bilis, seminis, menstruorum, lochiorum, lactis, adipis; postremo, animi pathemata ingrata, ac errores in motu et quiete, in somno et vigiliis. Generatim.

2. Varia cutis conditio, varias apud gentes [41]) et

40) l. c. p. 35.

41) BLUMENBACH de generis humani varietate nativa. Goetting. 1795. 8.

familias [42]), abunde de influxu stirpium in systema cutaneum (praecipue in epidermidem et rete mucosum) testatur. Influxum hujusmodi sese vel ad *morbos cutis* extendere, ex pluribus praesentis libri locis elucebit. Elucebit simul, vel citra vitia *haereditaria*, defoedationes cutis dari *congenitas*.

Aetas. 3. Quaevis *aetas* ad proprias defoetationes cutis disponit. Confirmatur id magna factorum copia, a recens natis, ab infantibus, a pubertate, ab aetate media et a senio desumta. Legi de hoc argumento merentur J. P. Frank [43]) aut Alibert [44]).

Sexus. 4. Quamvis cutis conditio in utroque sexu quodammodo differat [45]), attamen nullus datur systematis cutanei morbus, qui *sexui* uni alterive exclusive proprius dici posset. Plurimi vero morborum cutis longe frequentius feminas invadunt, quam mares. Evirati immunitate quadam gaudere videntur [46]).

5. Sunt

42) Familias novi, quarum singula individua cutim exhibebant vel planam, candidam, mollem instar panni bombycini; vel unctuosam et foedam; vel asperam et furfuribus obtectam.

43) Op. c. Vol. IV. p. 31.

44) Op. c. §. 17. — Alibertum hic Frankium ad verbum in suum opus transscripsit, quod ex supra dictis vix expectari potuisset!

45) Ackermann Diss. de discrimine sexuum praeter genitalia. Mogunt. 1788. 8.

46) Cutis quidem eviratorum citissime rugosa fit; de reliquo autem, quamvis magnum spadonum numerum in

5. Sunt morbi cutis, qui nulli fere *constitutioni corporis* parcent, sunt qui praecipue vel debiles, vel robustos aggrediuntur. Praeterea nonnullorum hominum cutis ita constituta est, ut a quacunque demum caussa, sive externa, sive interna, facillime afficiatur [47]. Consitutio corporis.

6. Nemo mirabitur, *clima* magnum exserere imperium in morbos superficiei corporis externae, cum vel in morbos viscerum reconditorum influat. De influxu illo testantur inprimis morbi cutis *endemici*, et observatio, quod sicuti eadem vegetabilia hoc sub coelo plantam inermem, — in illo fruticem aculeatum referunt; ita iidem morbi cutanei, sub vario coelo, variam induere videntur formam. In effectu climatis eruendo inprimis ad aërem, ad lucem et ad calorem respiciendum, quarum rerum influxum in morbis systematis cutanei excitantis plurima facta ostendunt. Interim ne climati effectus adscribas, qui alias caussas agnoscant, e. c. contagia, in certas regiones bellorum et commercii ope introducta. Clima.

7. Et *vestium cultusque* ratio sibi locum in aetiologia morborum cutis vindicat. Notatu digna est *lepra vestium*, de qua MOSES loquitur [48]). Ita usus Roma- Vestes.

in Italia cognoverim, non recordor me inter eos morbos cutaneos, nec exceptis variolarum foveis, observasse.

47) Constitutio psorica HUFELANDII. (*Journal der praktischen Heilkunde.* 21. B. 4. St. S. 14.) Forte aptius constitutio impetiginosa vocaretur.

48) MICHAELIS *Mosaisches Recht.* 4. Th. S. 261.

Romanorum, vestes urinâ expurgandi [49]. Debitis palam fiet locis, quid in morbis cutis excitandis valeant pelles, lana, fucus aliaque cutis ornamenta [50]. Indusia lintea morbis cutaneis potius obstant; interea et ea saepe contagiorum sunt vehicula.

Immundities. 8. Plebs immunda praecipue morbis cutaneis subjicitur, quod tum ex *immunditie* directe repetere, tum ex eo, quod ista contagiis et insectis cuti infensis faveat, ac transpirationi obstet [51], explicari licet. Verum nec nimiam munditiem e catalogo caussarum morborum cutis excludendam esse censemus [52].

Opificia. 9. Ob immunditiem, aliquando specificam, nec non ob alias caussas et *opifices* haud pauci morbis cutaneis subjiciuntur [53]; exemplo sint textores, sartores, homines, in fodinis carbonum fossilium, salis et metallorum viventes, pistores, nautae [54], mercatores vestium antiquarum, lotrices, aurigae, laniones, rustici etc.

Insecta. 10. Copia *insectorum* cuti humanae infensorum in-

49) Plinii Historia naturalis. L. XXVIII. 6.

50) De valetudine hominis nudi et cooperti diss. praeside Gottl. Richtero. Goetting. 1763. 4.

51) Plater de morbis ex immunditie. In Opusc. Vol. I.

52) Plaz Diss. de morbis ex munditie intempestiva. Lips. 1746. 4.

53) Op. cit. P. I. Vol. I. §. IX. 7.

54) Blane *Beobachtungen über die Krankheiten der Seeleute.* S. 195.

infinita est [55]), praecipue in plagis calidis humidisque [56]). Nec rara sunt exempla insectorum, casu in ulcera delatorum [57]), aut contagiis pro vehiculo in-

55) Heise Diss. de insectorum noxio effectu in corpus humanum Halae 1757. — Buchoz, *histoire des insectes nuisibles à l'homme. Paris* 1784. — Joerdens *Entomologie und Helminthologie des menschlichen Körpers. Hof* 1802.

56) Insecta hìc homini praecipue infensa sunt: *pulex penetrans*, vulgo *chique*, *nigua*, biecho (Don Ant. *de* Ulloa *voyage historique de l'Amérique méridionale.* T. I. p. 58. — J. G. Stedmann *voyage à Surinam et dans l'intérieur de la Guiane* T. II. p. 52. — Savaresy *de la fièvre jaune* p. 94.), *acarus indicus, aequinoctialis* et *batatas*, *culex pipiens* et *pulicularis* (Ferg *Bemerkungen über die durch ihren Stich den Menschen schädlichen Insekten in Surinam. Vide* Harles *Jahrbücher der deutschen Medicin und Chirurgie* 1. B. 1. Heft. S. 149. 1813.), *bibius sanguinarius*, vulgo *moskara* (Pallas *Reisen durch Russland* 1. B. S. 193. *oestrus humanus* (Humboldt *essay sur la geographie des plantes, accompagné d'un tableau physique des régions équinoctiales. Paris* 1806. p. 136.) aliaque (Schönbauer *Geschichte der Columbacher Müken im Banat. Wien* 1795. — Cogrossi in nuove ed erudite osservazioni storiche, mediche e naturali. p. 49. Venezia 1731).

57) Jo. Pilas de verme ex spina dorsi. (Ephem. nat. cur. Dec. I. an. II. p. 180) — Christ. Stenevelt Diss. de ulcere verminoso. Lugd. Bat. 1697. p. 4. — S. Conrad Zachmann Diss. de vermiculis in vulnere. Basil. 1704. — Bosse *sur les vers trouvés dans les pustules de la peau.* (*Journal de médecine.* T. 32. p. 336.)

inservientium, aut ab aliis animalibus acquisitorum [58]). Ad insecta vero *homini propria*, ac in aetiologia morborum cutaneorum memorabilia, pertinent: *pediculus humanus*, *pediculus pubis*, sive *morpio*, et *acarus exulcerans*.

Vermes. 11. *Vermium* cuti infensorum duntaxat *filariam medinensem* noscimus. Forte et *cysticercus cellulosae*, in contextu musculorum majorum habitans [59]), huc spectat.

Vegetabilia. 12. *Vegetabilia* vario pacto cutim afficiunt [60]), datas autem morborum formas tantummodo *urtica dioica* et *rhus toxicodendron* excitare solent.

Contagia. 13. *Contagium* typhi permultum in cutem influere, jam dictum est [61]), ac magis magisque patebit. Praeterea contagia, morbos cutis specificos, tum acutos, tum chronicos excitantia, adsunt. Inter haec nonnulla forte ab animalibus domesticis in homines transeunt.

Pharmaca et venena. 14. *Pharmaca et venena* aliquando vitiis systematis cutanei ansam porrigere, docent, nisi effectus *solani*

58) Gesscher in Tode *arzneykundige Annalen*. 4. Heft. S. 25.

59) Rudolphi Entozoorum historia naturalis. Vol. II. P. II. p. 229.

60) *Plumeriae rubrae* succus vesicas in cute excitat. Idem *hypomane mancinella* et *rhus radicans* (*Neuestes Journal der Erfindungen, Theorien und Widersprüche in der gesammten Medicin*. 1810. 1. B. 4. St.) efficiunt.

61) P. I. Vol. I. §. XLIX. 4.

solani dulcamarae et *rhododendri chrysanthi*[62]), saltem ii *valerianae*, *sudoriferorum*, *sulphuris*, *tartratis stibii et potassae*, *mercurii*, *arsenici*, *thermarum* etc.

15. De *alimentorum* in cutem influxu mentionem jam injecimus [63]) aliaque hujus operis in parte injiciemus [64]). Saepe vel in praesente libro de eo disserendi erit opportunitas. Alimenta.

16. Plurima facta docent, *sanguinem*, sive nimium, sive retentum, sive extravasatum, sive deficientem, sive alio modo peccantem, nec non *vasa*, quibus continetur, inter caussas morborum cutaneorum, praecipuum occupare locum. Inprimis variae *coloris* gradationes in morbis maculosis, cruori, diversa ratione reliquis humoribus mixto, originem debent. At cavendum, ne, ubi de vitiis sanguinis, sensus fugientibus, quaestio est, hypothesibus aurem praebeamus. Sanguis.

17. Uberrimum morborum cutis fontem sistit *transpiratio* aut suppressa, aut nimia, aut indole peccans. Indole autem potissime, perturbata aliorum organorum secretione, peccare ea solet. Transpiratio.

18. *Urinae* in cutem imperium praecipue in morbis chronicis systematis cutanei evidens est. Urina.

 Et

62) Hahnemann *Versuch über ein neues Princip zur Ausfindung der Heilkraft der Arzneysubstanzen.* (Hufelands *Journal der pr. Heilkunde* 2. B. S. 479—505).

63) P. I. Vol. I. §. LIX. 3.

64) P. II. Vol. I. Cap. de raphania.

Et morbi non cutanei, e. c. icterus, diabetes, ischuria etc. de eo testantur.

Bilis. 19. Nullus autem corporis humani liquor, nullumque viscus saepius pro caussa morborum cutaneorum habetur, quam *bilis* et *hepar.* Quamvis vero hypothetici ac erroris multum hac in re lateat, attamen, quantum simul veri subsit, non reticebimus.

Semen. 20. De pubertatis in cutem influxu supra diximus. De *seminis* huc pertinente actione praecipue in capite de vitiis pilorum quaestio fiet.

Menstrua. 21. *Menstruationis periodus*, vel citra morbum, evidenter in cutem agit [65]). Evidentissime autem systema cutaneum a catameniorum suppressione, tum graviditatis, tum morbi gratia contingente, afficitur.

Lochia. 22. Cutis puerperarum specificum candorem [66]) et, a minima licet compressione, maculam rubram exhibere solet. Maxime vero suppressio *lochiorum* in eam influere videtur.

Lac. 23) *Mammae* tam arcte cum integumentis cohaerent, atque *lac* tam evidenter in adipem influit, ut

65) J. Frank's *Gesundheitstaschenbuch für das Jahr* 1803. S. 63.

66) *Gravidarum* cutem candidam fieri monet Lorry (l. c. p. 243). Idem vero vel de matrona refert, quae gravida faciem *nigram* offerebat. Simile factum Günther enarrat. (*Salzburger med. chirurg. Zeitung* 1806. no. 53. p. 127).

ut haud mirum sit, ex cohibito lactationis negotio plurima cutis mala originem trahere. Praeterea lac contagiorum nonnullorum vehiculum est.

24. *Adeps*, contextum cutaneum plus minus undique adimplens, rite monente Lorry[67]), cum bile, spermate, menstruis et lacte, praemagnum commercium alens, in omni morbo febrili, potissime vero in eo, qui cutis affectione stipatur, facile evanescens, eminentem in morbis systematis cutanei gignendis occupat locum. Adeps.

25. De animi pathematum in cutem actione, quotidiana testatur experientia [68]). Illorum effectus vel a matre ad prolem utero inclusam, etsi nullum inter hunc et illam nervorum commercium pateat, sese extendunt [69]). Animi pathemata de- Animi pathemata.

pri-

67) *Histoire de la Société R. de Médicine* 1779. Et: *Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte*. 9. B. S. 222.

68) A verecundia facies et universa cutis rubore suffunditur. Vel modica et occulta irâ nasi apex rubescit. Terror, vehemensque ira cutim mortis pallore obducit (Petit *essay sur la médicine du coeur. Lyon* 1806. Et: *Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte*. 23. B. 3. St.). Nihilominus cl. Marcus cutim pro organo, utpote seroso, hinc parum irritabili declarat (l. c.)!

69) Non me pudet, *naevos maternos* saepe a rebus, imaginationem matris vehementer ferientibus, repetere. Legatur de hoc argumento: *Journal général de médecine, de chirurgie et de pharmacie* 1812. Juin in nota *cl.* Sedillot; *et Salzb. med. - chir. Zeitung*. 1813. no. 6. p. 85.

primentia vim contagiorum cuti infensorum sustinent, aut latentem morborum cutaneorum fomitem evolvunt, vel praesentes eruptiones reprimunt. *).

Motus, vigiliae. 26. Cutis vario plane modo afficitur, prout musculi subjacentes vel ad *motum* excitantur, vel *segnes* relinquntur. Praeterea primo in casu transspiratio promovetur, in altero retinetur. Et adeps diversa ratione a motu aut quiete afficitur. Nil igitur mirum, si homines vel motu nimio, vel nimiâ quiete, ad morbos cutis disponantur [70]). Eo facilius id accidit, quo magis motus cum *vigiliis* et quies cum *somno* societatem ineunt [71]).

Connubium caussarum 27) Effectus deleterii caussarum huc usque recensitarum eo certius sequuntur, quo magis istae *connubium* inter se ineunt, quod, cum una caussa alteri facile ansam porrigat, saepissime contingere solet.

Caussa proxima. 28. De *caussis proximis* morborum cutis nunc disserendum foret; at, quae inter hasmet caussas sensuum imperium non fugiunt, e. c. effectus irritationis ab immunditie, ab insectis etc., hae sponte elucent; caeterae e. c. humorum vitia, solidorum intrinsicae conditiones etc., hypothesibus duntaxat, a quibus abhorremus, attingi que-

*) Execrabilis nequitiae vir universam faciem pustulis defoedatam habebat; cum ad extremum supplicium duceretur, vultum candidum exhibuit. (*Vie politique du dernier Duc d'Orleans.* An X. p. 232).

70) Alibert op. c. §. 24.

71) Ibidem §. 25.

queunt. Hoc autem non impediet, quo minus allata opportunitate, saltem historice, de iis mentio injiciatur.

§. IV.

Diagnosis.

1. *Diagnosis* morborum cutis bifaria est, respicit enim tum *formam*, tum *indolem* morbi. Ab illa morbo imponitur *nomen*; ab hac illius determinatur *natura*. Generatim.

2. *Diagnosin formae* dum instituis, praecipitanter non judices, sed enunciatum semel errorem difficulter corrigi, maximeque inde famam medici laedi, memor esto. Quo tutius incedas, tempore tantummodo diurno atque in loco lucido judices; ne tamen, morbos cutis dari, qui melius sub umbra in conspectum veniant, obliviscaris. Cutim undique, ac, si opus fuerit, oculo etiam armato considera. Tactum interdum, quin ipsum odoratum, in usum revoces. D. formae in genere.

3. Stabilita forma morbi, ejusdem *indoles*, nisi ea inde jam sponte eluceat, determinanda est. Examina igitur, utrum morbus de quo agitur, sit *acutus* aut *chronicus*, id est, utrum veluti morbus febrilis, brevi tempore curriculum absolvat, aut instar diuturni, sine febre in longum decurrat? Alibertus quidem distinctionem inter morbos cutis acutos et chronicos, ob maximam eorum analogiam vilipendit [72]), verum alteram opinionem defen- D. indolis in genere.

72) Op. c. §. 14.

defendimus, credimusque ejusmodi analogiam adspectui potius quam intrinsecae rerum naturae superstructam esse. Nemo id luculentius WICHMANNO [73]) demonstravit. Vocabimus morbos cutis acutos, *exanthemata* [74]), chronicos autem, *impetigines* [75]).

Exanthematum divisio.

4. Detecta *exanthematis* praesentia, indagandum est, utrum efflоratio febri cuidam veluti *symptoma* supervenerit; an *proprium* constituat *morbum*? Primo in casu *exanthema symptomaticum*; in altero, *exanthema primarium* habebis.

Exanthemata symptomatica.

5. *Exanthemata symptomatica* id gentilitium habent: quod multifariis et inter se maxime diversis febribus, quin immo ipsis interdum exanthematibus primariis, et quidem certo plerumque tempore, superveniant, quodque, iis comparentibus, morbus primarius interdum cessat, saepissime vero immutatus persistit et haud raro exasperatur. Idem

73) Op. c. S. 12. 13. 32.

74) A graeca voce 'Εξανθέω, *effloresco.* Synonyma: phlegmasiae exanthematicae, SAUVAGES; febres exanthematicae LUDWIGII. *Germanice: Ausschlagsfieber; gallice: fièvres éruptives; anglice: exanthematous or eruptive fevers.*

75) Vocabulum *impetiginis* vario modo interpretatur, uti videre est apud *Hippocratem* (Lib. II. prorrhet. XIX. 1. et lib. de affect. XXX. v. 4.), apud *Galenum* (definition. medicae), apud *Foesium* (oec. p. 379), apud *Chiarugi* (l. c. p. 4) etc. Definitionem J. P. FRANK amplexi sumus (op. c. Vol. IV. §. 370.).

Idem fere contingit, dum exanthemata symptomatica evanescunt; evanescunt autem incerto morbi tempore.

6) *Exanthemata primaria* specificam agnoscunt caussam, plerumque scilicet contagium sui generis. Suscepto hoc contagio morbus raro extemplo evolvitur. Evolvitur autem suo tempore utplurimum febre, affectione quadam partium internarum stipata. Comparente exanthemate, febris evidentem subire solet mutationem. Efflorationio plerumque per certum tempus cutim detinet et varias metamorphoses patitur. Vel dissipato morbo, specificae reliquiae facile locum obtinent. Exanthemata primaria.

7. Patet igitur, exanthemata primaria *certa stadia* percurrere, illa scilicet *latentis contagii, invasionis, eruptionis, efflorescentiae, desquamationis* sive *suppurationis* et *exsiccationis*. His accedit, rite procedente morbo, *convalescentia*. Stadia varia.

8. *Stadium latentis contagii* inter temporis punctum, quo aeger contagium suscipit atque inter primum morbi initium, locum obtinet. Stadium hujusmodi aliquando perbreve, utplurimum nonnullorum dierum, interdum aliquot hebdomadum est. In rebus huc pertinentibus rite enucleandis toti estote. Stadium latentis contagii.

9. Quam primum contagium, sive alia caussa, evidentes in corpore effectus producunt, *stadium invasionis* subintrat. Ingruunt plerumque symptomata Stadium invasionis.

mata

mata prodroma febrium [76]), quibus, ut diximus, ipsa febris succedit. Eodem circiter tempore, pro varia contagii natura, fauces, pulmones, ventriculus, vel plurima organa simul, non excepto universo nervorum systemate, afficiuntur. Ex organo laeso, eo facilius futura efflorationis forma praesagitur, quo magis noti sunt morbi tunc temporis grassantes, quo magis aetas aegri morbis exanthematicis favet, et quo minorem eorum copiam iste jam pertulerit.

Stadium eruptionis.

10. Praegressa latentis contagii et praesente stadii invasionis suspicione, continua cutis sollicitudo habenda est. Vituperio enim tibi foret, si alter adstantium factam jam, nec a te primum animadversam *eruptionem* detegeret. Quibusnam in partibus variorum exanthematum eruptio incipere soleat, sciendum est, si nempe modo inverso rem inquirimus, inscitiam patefacimus. Sciendum quoque, exanthemata primaria nonnunquam *solo invasionis stadio* terminari, nulla scilicet subsequente eruptione.

Stadium efflorescentiae.

11. Noto jam jam exanthematis praesentis genere, cutis sub quavis aegri visitatione examinanda est. Praecipue autem eae investigari debent partes, in quibus prima eruptionis vestigia comparuere; hic enim plerumque primae exanthematis metamorphoses occurrunt, pro ratione exanthematis variae. Exanthemata, quae sub adspectu macula-

76) P. I. Vol. I. §. XVIII. 2.

cularum et papularum efflorescunt, utplurimum in *furfures* et *squamas* desinere solent. Econtra, exanthemata tuberculosa formam vesicularum et pustularum ocyus serius induunt, et plerumque *suppuratione* et *crustis* terminantur.

12. Furfures et squamas jam definivimus [77]. Periodus, qua sese produnt, *stadium desquamationis* vocatur. Eo vigente, pristina epidermis non solum secedit, sed nova simul generatur. Tempore intermedio, nuda fere cutis, sensilis admodum et ad impressiones morbosas recipiendas valde apta est. Stadium desquamationis.

13. Exanthemata pustulosa, vigente *suppurationis stadio*, tot abscessulos, quot numerantur pustulae, exhibent. Pro varia morbi indole, pus laudabile, ichorosum, serosum observatur. Saepissime pus hujusmodi contagiosum est, aut saltem contagio pro vehiculo inservit. Stadium suppurationis.

14. Disruptis, vel sponte, vel scalptu, abscessulis, pus, inde manans, ab aëre condensatur ac in crustas convertitur, quod *stadium exsiccationis* vocatur. Stadium exsiccationis.

15. *Convalescentia* post omnes morbos, inprimis acutos, memorabilis [78], absoluto exanthematum primariorum curriculo, maximi momenti est. Quodvis enim horum exanthematum convalescentiam, propriis phaenomenis et periculis insi- Convalescentia.

77) §. II. 5.
78) P. I. Vol. I. §. XVI. 16.

signitam agnoscit. Pericula haec multifaria sunt, ac evolutionem plurimorum morborum, tum acutorum, tum chronicorum, respiciunt, in quibus fere singulis imaginem inflammatorii processus animadvertere licet.

Indoles exanthematum primariorum.

16. Omne primarium exanthema morbum sui generis constituit, ac vix aut ne vix quidem ad diatheses stabilitas [79]), inflammatoria quodammodo excepta, revocari potest. Interea saepe contingit, exanthemata primaria a recto tramite deflectere, ac complicationem induere, inflammatoriam, gastricam, typhodem. Accidit hoc: 1. dum exanthemata, de quibus agitur, in tempus incidunt, quo constitutio annua sive epidemica morbis inflammatoriis, gastricis, typhodibus, favet; 2. dum homines invadunt, ob plethoram, ob vitia gastrica, ob vires, aliorum forte morborum culpa, fractas, ad diathesin inflammatoriam, gastricam, typhodem praedispositos; et 3. dum errores vel in regimine vel in medendi ratione, morbi curriculum perturbant. Hisce observationibus innixi, exanthemata primaria dividimus in *simplicia*, *inflammatoria*, *gastrica* et *typhodea*.

Exanthemata primaria simplicia.

17. Exanthemata primaria dicuntur *simplicia*, dum talia solummodo symptomata prae se ferunt, qualia stricte ad regulare morbi curriculum pertinent, dumque omnibus complicationum indiciis destituuntur. Diagnosis illorum duntaxat ex absoluta

79) Ibidem §. XII.

luta notione exanthematum peculiarium institui potest. Sufficiat hìc monuisse, exanthemata primaria, quamvis simplicia, tamen ita constituta esse, ut semper plus minus ad diathesin inflammatoriam inclinent: unde, si a recto tramite deflectant, non mirum est, quod saepissime inflammatoriam complicationem referant.

18. *Complicatio inflammatoria* exanthematum primariorum, per consueta signa, tum diatheseos tum febris inflammatoriae [80]), prodit, at non semper, ut aliis in morbis, clara est. Impetus enim, quo morbus haud raro adoritur, celeritas, qua idem versus acmen decurrit, tenera multorum aegrorum aetas et corporis constitutio, impedire videntur, quominus energia illa, morbis inflammatoriis in genere propria, consueto more in conspectum hìc veniat, unde facilis in diagnosi error succedit. Complicatio inflammatoria.

19. Exanthemata primaria saepius *complicationem* induunt *gastricam*. Voracitas infantum, praesentia vermium et consensus cutim inter et tubum intestinalem, praeter annuam constitutionem, morbis gastricis faventem, abunde de hac complicatione rationem reddunt. Ea praesente, exanthema saepe a norma consueta recedit, ac aeger, sine reliquis indiciis typhodibus, magnam virium prostrationem offert, quae sub usu remediorum excitantium in pejus ruit, evacuationibus Complicatio gastrica.

autem

autem tubi intestinalis, sive spontaneis sive artificialibus, sublevatur. Singula haec certiora sunt, quam ipsa signa gastrica, nullibi quidem fida [81]), in exanthematibus primariis vero quammaxime fallacia. Saepe enim violentia, qua contagium in teneram aegrorum constitutionem agit, vel absente vitio gastrico, signa excitat gastrica atque *apparentem* ita constituit complicationem [82]). Adde, quod nonnulla contagia peculiarem affinitatem cum ventriculo alant, unde hoc viscus, qualiscunque sit indoles morbi, facile in consensum trahitur.

Complicatio typhodes.

20. Exanthemata primaria interdum et *typhodem* exhibent *characterem*. Hoc vel a primo morbi initio contingit, vel sub illius decursu. Primum longe rarius secundo animadvertitur. Si enim excipiamus aut nonnullas epidemias, aut connubium fortuitum contagii exanthematis primarii cum contagio typhi, aut aegros, ante adventum morbi exanthematici, a lue scrophulosa, venerea, scorbutica sive alia viribus fractos; indoles typhodes raro in primo limine exanthematum primariorum observatur. Observatur quoque haec raro sub decursu morbi, dum recta adhibetur medendi ratio. Qui enim fere continuo typhodem, aut, ut dicere solent, malignam, nervosam, sive asthenicam exanthematum primariorum indolem somniant, hi maxime, heu! a vero aberrant. Errant potissimum

81) P. I. Vol. I. §. LX. 8.

82) Ibidem §. XIII. 3.

mum in eo, quod ex turbis nervorum et ex debilitate, ad indolem typhodem exanthematis concludunt. Sicuti enim illae turbae longe saepius originem suam debent irritamento inflammatorio in nervos praeter modum excitabiles agente, quam atoniae typhodi; ita et haec debilitas longe saepius obstaculis, exercitium functionum impedientibus, quam verae adynamiae debetur. Certiora indicia diatheseos typhodis in exanthematibus primariis tibi suppeditabunt: tum notio genii epidemiae regnantis, vel saltem illius morborum constitutionalium; tum consideratio constitutionis aegri, morborumque, quibus prius subjectus vixit; tum evacuationes copiosae, absque omni levamine, immo cum conspicuo virium decremento contingentes; tum cita vel tarda nimis exanthematis, imperfecte et abnormiter absoluti, eruptio; tum praesentia exanthematum symptomaticorum; tum turbae nervorum, vel facta eruptione exanthematis perstantes; tum denique methodus antiphlogistica sive antigastrica sine successu adhibita.

21. Interdum exanthemata primaria, quam complicationem prius exhibebant, eam, senescente morbo, amittunt. *Mutatio* hujusmodi, medicum in singula attentum et conditionem rerum quovis die comparative ad trutinam vocantem, latere nequit. Quodsi vero lateret, vita aegri non parum periclitaretur. Observatio.

22. *Impetigines*, vel sano prorsus in homine Impetiginum divisio.

ex

ex caussis localibus contingunt; vel ex labe totius corporis evolvuntur. Illae, *primariae* sive *locales*, hae, *secundariae* sive *symptomaticae* dicuntur.

Impetigines primariae.

23. Antequam impetigo pro *primaria* sive *locali* declaretur, duae potissimum conditiones requiruntur. Oportet enim illam primo cum nullo alio morbo, vel praegresso, vel praesente, commercium alere; secundo, illius sive praesentiam, sive absentiam, nullo pacto, saltem immediate, in exercitium functionum, citra cutem influere, et vice versa a nulla harum functionum regi. Impetigines ita constitutae sunt: 1. vitia conformationis in systemate cutaneo; 2. vitia ex cute, absque caussa satis nota, luxuriante; 3. morbi ab immunditie; 4. morbi ab insectis, a vermibus aliisque a caussis, vel mechanice vel chemice agentibus, et 5. vitia a solius cutis sive laxitate sive rigiditate, sive sensibilitate morbosa. In diagnosi impetiginum localium instituenda, maculas arte *simulari* posse [83]), ne obliviscaris.

Impetigines secundariae.

24. *Impetigines secundariae* sive *symptomaticae*, cum morbo quodam vel praegresso, vel praesente connexum habent, atque in unam alteramve corporis functionem influunt; aut vice versa, ab una alterave harum functionum reguntur. Talis generis esse solent: impetigines ex *diathesi inflam-*

ma-

83) Excitari possunt maculae rubrae cum solutione auri, — maculae flavae cum acido nitrico, — maculae nigrae cum nitrate argenti fuso.

matoria, gastrica, arthritica, carcinomatica, scrophulosa, scorbutica, venerea et *spasmodica*, verbo, impetigines, quae quondam a *polychymia* [84]), a *polycholia* [85]), et a *cachexia* [86]) repetebantur. Sponte elucet, hujusmodi impetigines tantummodo symptomata morborum universalium esse, qui tamen morbi, haud semper innotescunt, eo quod comparente vitio cutis saepe cessare soleant.

25. Influxus, quem aetas florida, constitutio corporis robusta, calor nimius, alimenta praeter modum nutrientia, liquores fermentati et potissime sanguinis exuberantia in cutem exercent *), jam satis indicat, diathesin inflammatoriam ab impetiginibus non esse alienam, quod praeterea a magna factorum serie confirmatur. *Impetigines inflammatoriae* nuntiari solent pruritu ac consuetis inflammationum signis. Utplurimum dein formam macularum rubrarum et pustularum induunt. Pustulae copiosum pus largiuntur, ab aëris attactu coalescens. Impetigines hujusmodi sine damno, immo cum emolumento, erumpunt. Exasperantur a rebus irritantibus, tum externe tum interne adhibitis. Diagnosis securissime fit ex aetiologia, quo in opere praecipue suppressionis consuetarum haemorrhagiarum ratio habenda est. Impetigines inflammatoriae.

26. Nisi

84) A gr. πολὺ, multum et αἷμα; sanguis.
85) A gr. πολὺ, multum et χολή, bilis.
86) A gr. κακὸς, malus, et ἕξις, habitus.
*) §. III.

Impetigines gastricae.

26. Nisi in *diathesi gastrica* stricte sumta, quatenus scilicet ex alimentis et ex bile oritur, saltem in prava viscerum abdominalium conditione fons multarum impetiginum latet. Nunquam igitur de natura impetiginis secundariae judicium feras, quin prius abdomen exploraveris. Memor quoque sis, diathesin gastricam, ob consensum cutis cum tubo intestinali *), facile et impetiginibus alterius indolis superaccedere. Sic, ne ex colore flavo aut viridescente impetiginis, ad naturam illius gastricam sive biliosam concludas: enimvero jam monuimus, multas gradationes coloris impetiginum ex cruore, vel sincero, vel aliis cum humoribus mixto, explicandas esse.

Impetigines arthriticae.

27. Et *diathesis arthritica* suum in impetigines exercet imperium, quod facile intelligitur considerando: primitivam arthritidis formam, scilicet podagram, sese per inflammationem cutis, maxime pollicis pedis, patefacere; hanc inflammationem saepe tophos sequi; hujusmodi tophos arthriticos, vel ad alia cutis loca, potissime circa articulos, comparere: multas impetigines illos, qui laute vivunt, declinante vita, sub iisdem igitur rerum positionibus, quae arthritidi favent [87]), aggredi, vel haereditario modo in familiis arthriticis vigere; cutim magnum commercium cum organis uropoieticis, in caussa, sive effectu arthritidis elimi-

nan-

*) Legatur de hoc consensu Tissot Oeuvres T. XII. p. 71.
87) P. I. Vol. I. §. XII. 4.

nando maxime intentis, alere; atque multa symptomata arthritica, comparente impetigine, evanescere. Mirum revera est, classicum de morbis arthriticis scriptorem [88]), influxus diathessos arthriticae in cutem obiter tantum meminisse, ac lacunam, ab auctoribus de morbis cutis relictam, haud adimplevisse. Signa impetiginum arthriticarum sunt: reditus morbi periodicus, influxus anni temporum in illas, pruritus, ardor et dolor, quibus aegrotos adoriuntur, levamen malorum internorum ab eruptione, inflammatio cutis in furfures desinens et mali sedes inconstans. Caeterum et hic diagnosis potissimum ex morbis praegressis et ex aetiologia desumenda est.

28. *Diathesis carcinomatica* glandulis systematis cutanei, praecipue in aetate, qua fluxus menstruus cessare solet, infensa est. Interdum et impetigines arthriticae, sive neglectae, sive male curatae, indolem carcinomaticam induunt. Alias non desideratur labes haereditaria. In genere, impetigines carcinomaticae locum, quem sibi elegerunt, constanter retinent, cutim valde exedunt, ac interdum ipsa ossa vicina carie afficiunt. Praeterea nonnunquam societatem cum scirrho sive cancro aliarum partium inire solent. **Impetigines carcinomaticae.**

29. Quemadmodum *diathesis scrophulosa* in universum systema lymphaticum influit, ita et in vasa **Impetigines scrophulosae.**

88) Barthez op. c. (vid. P. I. Vol. I. §. XLIII. 8. not. 14).

vasa ac glandulas lymphaticas cutis. Impetigines scrophulosae potissimum in aetate infantili atque juvenili accidere solent, et cutim sub forma tuberculorum, pustularum et crustarum afficiunt, eamque non solum defoedant, sed et contextum illius, plerumque tamen absque magno pruritu et dolore, exedunt. Abscessus, inde secuti, indelebiles cicatrices relinquunt. Nulli cutis loco, nec parte capillata capitis excepta, hae impetigines parcent. Diagnosis ex universis diatheseos scrophulosae notis [89]), desumitur. Cavendum vero est, ne impetiginem, propter id, quod forte glandulae subcutaneae vicinis in locis tumescant, praepostere pro scrophulosa declaremus; quodcunque enim malum, cutim lacessens, citra omnem scrophulosam diathesin, hunc in vicinis glandulis effectum producere potest. Nec ignorare oportet, cutim teneram candidissimamque scrophulosis fere propriam, facillime et aliis non scrophulosis vitiis esse obnoxiam.

Impetigines scorbuticae.

30. *Diathesis scorbutica* cutim praecipue *maculis* defoedat. Interdum et vasa illius varicosa reddit. Accedente tunc inflammatione istorum, facile ulcera oriuntur scorbutica. Fatemur caeterum, diathesin scorbuticam non tam saepe impetiginibus ansam porrigere, quam vulgo creditur, atque omni cum jure, praeter alios, MACBRIDEUM medi-

89) P. I. Vol. I. §. XII. 10.

medicis objecisse [90]), quod in omnibus fere morbis cutaneis chronicis, labem scorbuticam accusarent. Rarius sane diathesin scorbuticam ii reperient, qui non ex *uno*, sed ex *plurimis* indiciis ad illius praesentiam concludunt. Symptomata vero scorbutica per transennam jam allata [91]), alio loco ex professo dilucidanda sunt [92]).

31. A maculis incipiens et ad pustulas ascendens, paucas impetiginum formas invenies, quae *indolem veneream* interdum non agnoscerent. Impetigines syphiliticae raro pruriunt aut dolent; interdum cum aliorum symptomatum venereorum levamine erumpunt; saepius interim simul cum iis persistunt: unde diagnosis a medico, in doctrina morborum venereorum versato, haud difficulter plerumque eruitur. Ne tamen effectus deleterios mercurii in cutim, cum illis ipsius luis confundamus, probe cavendum est. Impetigines venereae.

32. De actione nervorum in cutem jam egimus, unde patet, vel eam *diathesin*, cui nomen *spasmodicae* imposuimus [93]), inter fontes morborum cutis chronicorum saepe esse quaerendam. Vario autem pacto a spasmis impetigines generari posse videntur, nunc videlicet transpirationis opus per- Impetigines spasmodicae.

90) *Systematische Einleitung in die theoretische und praktische Arzneykunst.* 2. B. S. 992. A. d. E.

91) P. I. Vol. I. § XII. 6.

92) P. II. Vol. II. Cap. de scorbuto.

93) P. I. Vol. I. §. XII. 9.

pervertendo, nunc alias secretiones cohibendo, nunc vero sanguinis transitum per propria vasa impediendo. Utplurimum impetigines spasmodicae extemplo ac inopinate oriuntur, periodice recurrunt, ac saepe vel cum vitiis systematis uterini, vel cum labe primarum viarum, vel cum turbis nervorum generalibus, cahaerent.

Observationes. 33. Quemadmodum exanthemata nunc simplicia sunt, nunc complicata, ita et impetigines se habent; ac revera, in frequenti variarum diathesium complicatione, potissimum difficultas diagnoseos consistit. Consuetae *diathesium complicationes* in morbis impetiginosis sunt: illa diatheseos *inflammatoriae* cum diathesi *arthritica*, nec non ea, diatheseos *arthriticae* cum affectione *scrophulosa*, *scorbutica* et *venerea*. Non solum vero *diatheses* variae, sed et variae morborum cutaneorum, tum acutorum tum chronicorum, *formae* inter se complicantur. De *exanthematibus secundariis* id jam monuimus; verum minoris momenti talis est complicatio, si eam cum complicatione *exanthematum primariorum*, vel cum complicatione *exanthematum* cum *impetiginibus* conferat. Adde, quod vel ipsae *impetigines locales*, in corpore jam alio a morbo detento, indolem labis universalis induere, ac peculiare complicationis genus afferre queant.

§. V.

Prognosis.

1. *Exanthemata symptomatica* vix aut ne vix quidem prognosin generalem admittunt; sed potius pro *signo* morborum, quos comitantur, inserviunt. P. exanth. symptomaticorum.

2. Prognosis *exanthematum primariorum* petitur praecipue ex constitutione vel epidemica vel annua, cujus scilicet constitutionis imperium hosce in morbos tantum est, ut, qui uno anno pestis instar saeviunt, aliis annis sine omni periculo decurrant. Hinc epidemica sive annua constitutio, magna ex parte et aegrorum temperamento et habitui imperat, artique medicae limites nunc satis extensos, nunc arctiores ponit. In genere, bonum est: dum exanthemata primaria cum ordine decurrunt; dum in aetatem incidunt, quae dentitionem et pubertatem intercedit; dum corpus antehac sanum prehendunt; dum sub atmosphaera nec frigida nec calida nimis comparent, dumque simplicia et praecipue a complicatione typhode aliena sunt. Quo magis protrahitur *stadium latentis contagii*, eo lenior esse solet morbus et vice versa. *Stadium invasionis* sine periculo magno cum impetu ingruere potest, dummodo subsequens *eruptio* morbi vim infringat. Contrarium, inprimis si partes internae magis magisque laedantur, malum est. Pejus erit, si evanescente ante tempus praescrip- P. exanth. primariorum.

tum

tum exanthemate, partes internae totam vim morbi sustinent et cutis, si ita dicere liceat, vices peragunt. Malum hujusmodi, vulgo *retrocessus exanthematum*, praecipue mutationibus repentinis temperiei ac animi pathematibus adscribendum est. Utroque in casu, nunc anxietates, nunc motus convulsivi, nunc inflammationes internae, nunc alia sequuntur. Dictae *inflammationes* difficulter resolvuntur ac facile in *exsudationem*, *suppurationem* et *gangraenam* transeunt. Optimum contra ea, si facta eruptione, non solum impetus morbi, ut diximus, frangitur, sed etiam dum exanthema laete floret. Quemadmodum enim forma amoena herbarum innocuarum, ab adspectu lurido vegetabilium veneniferorum differre solet; ita et species laeta exanthematum benignorum ab habitu tristi morborum hujusmodi cutis malignorum differt. Exanthemata, quae per *desquamationem* terminantur, plerumque sub illius curriculo *crisin* expectant. Est autem haec crisis illi febrium plane similis, ac plerumque sudore, urinâ et diarrhoea absoluta. Quae in *suppurationem* transeunt exanthemata primaria, haec saepe novo tunc stipantur febris insultu. Prognosis hoc sub stadio multum a virium vitalium conditione, et a statu partium internarum pendet, atque crisis solum ingruente *exsiccatione* locum obtinet. Quodcunque exanthema primarium, non penitus secundum normam terminatum, facile metastases excitat. In genere,

nemi-

neminem in vado constitutum esse dicas, nisi *convalescentiâ* omnibus numeris absolutâ.

3. *Impetigines primariae* sive congenitae sive haereditariae, sanationem plerumque non admittunt. Caeterarum impetiginum primariarum prognosis a natura caussarum, a duratione morbi et a complicatione forte cum vitio totius corporis contracta, pendet. P. Impetiginum primariorum.

4. Prognosis *impetiginum secundariarum* ab indole diatheseos, ex qua pullulant, ab aetate et constitutione aegrorum, a morbi quoque duratione, nec non a variis rerum positionibus, suo loco commemorandis, desumenda est. Quamvis enim foedum semper et periculosum quandoque illae malum constituant, nihilominus haud raro cum vero *emolumento* erumpunt, quod inprimis de *impetiginibus inflammatoriis* et *arthriticis* valet. Illae, praesertim apud juvenes bene nutritos, non aliter e cute, quam gummata ex arboribus, in solo fertiliore vegetantibus, exsudare videntur; hae effectum caussae, prius vagantis, nunc in cute fixae, exhibent. Ex dictis patet: cutim organon, pro parte *emunctorium*, sistere, cujus organi ope res plurimae, vel superfluae, vel alio modo nocivae, e corpore eliminantur, quo in *opere criseos processum* non poteris non animadvertere. Ob id ipsum autem mirum haud est, quod impedita aut sublata salutari naturae actione, plurima ac interdum gravissima mala succedant. Accidit nempe, P. Impetiginum secundariarum

quod eadem morbosa principia, quae per cutem evacuari oportuisset, alias in partes agant (vulgo: *retrocessus impetiginis*) atque hic, nisi eadem prorsus, ac in cute, mala producant, phaenomena saltem iis similia excitent. Partes, cutis vices ita agentes, esse solent viscera, vel cum cute maximum consensum alentia, vel ob praevium alium morbum labefactata, vel ob aliam caussam, e. g. aut ob aetatem aegri, aut ob annuam constitutionem, aut ob vitium haereditarium, ad morbos disposita. Ad reliquas diatheses quod spectat, notandum est, *impetigines gastricas* sub recta methodo plerumque haud difficulter abigi, sed ob id praecipue in prognosi memorabilem esse; quod vel aliis impetiginibus sese ita immiscere soleat, ut graviores, quam sint, videantur. *Diathesis scrophulosa*, quamvis securius integumenta, quam alia corporis organa detineat, ob id potissime timenda est, quod plerumque cutem magis formosam sibi eligat, quod vel sanata impetigine facile vestigia in eadem relinquat et quod complicationem cum aliis impetiginum caussis ineundo, curam earum perdifficilem reddat. *Impetigines scorbuticae* duntaxat aetate provecta, aut si diu neglectae fuerint, artis vim eludunt. Quae ex *diathesi carcinomatica* originem ducunt, impetigines hae paucam sanationis spem relinquunt, ac incaute curata, graviora adhuc mala, scirrhum scilicet, sive cancrum viscerum portendunt. *Impetigines*

vene-

venereae, etiamsi horrendae, tamen recta adhibita medela, in aegro caeterum bene constituto, haud difficulter abiguntur. Longe difficilius *impetigines spasmodicae indolis*, quamvis adspectu levissimae, debellari solent.

§. VI.

C u r a.

1. Medici est, tum ad tuendam cutis formositatem, tum ad morbos systematis cutanei antevertendos curandosve praecepta stabilire. Generatim.

2. *Artis cosmeticae* pars major in conservanda et augenda cutis integritate et formositate versatur, et quatenus hic scopus cum eo servandae salutis conspirat, ad imperium medicinae, id est prophylacticae, certo pertinet. Aliter quidem de arte cosmetica haud pauci inter medicos 94) sentiebant, ac ignominiae adeo notam illi veteris ecclesiae lumina inurebant 95); verum cum Celso Ars cosmetica.

94) Galenus de compositione medicamentorum. Lib. I. cap. 3. — Caelius Aurelianus. Lib. I. cap. I. de morbis chronicis. Trillerus de remediis veterum cosmeticis, eorumque noxis, in opusc. medic. parte altera p. 496. — Joan. Lang Epist. med. 43. lib. I. p. 194. Herman. Boerhaave elementa chemiae T. II. Part. 3.

95) Clemens Alexandrinus Paedagog. Lib. II. cap. 12. Lib. III. cap. 2. — Basilius Magnus T. II. op. pag. 114. T. III. p. 575. — Joan. Chrysostomus T. I. in vet. test. p. 498. T. II. p. 863. — Cyprianus Lib. de

so [96]) dicimus: „pene ineptiae sunt curare varos et lenticulas et ephelides; sed eripi tamen feminis cura cultus sui non potest"; — quod cum ita sit, ut sexus femineus tuendae et excolendae formositatis consilia potius a medicis, quam ab agyrtis expetat, optandum est. Neque hac in re medicorum scripta desiderantur [97]).

Prophylactica. 3. Cutis jam a prima nativitate summa habenda est ratio, qua de caussa *recens natus* [98]), absoluta funiculi umbilicalis ligatura, mox totus cum aqua tepida et sapone, vel cum vino quidquam calido et butyro, abluendus, ac praecipue partes genitales femineae a muco, has ipsas obducente, liberandae sunt. Cutis plicae saepius examinandae et pulvere tenuissimo lycopodii aut farinae inspergendae. Porro balneum ex aqua tepida quotidie, vel alternis saltem diebus, nullo obstante morbo huic contrario, adhibendum est. Lintea sunto tenuia et, ut saepius mutari queant, satis copiosa.

Nec

de habitu seu disciplina virginum p. 210. — Hieronymus de viduitate, ad Furiam. T. I. Ep. X.

96) De medicina lib. VI. cap. 5.

97) Hieronymus Mercurialis Lib. de decoratione, Venet. 1625. — Fallopius de decoratione. v. opp. — Tromsdorff *Kalopistria, oder die Kunst der Toilette für die elegante Welt. Erfurt* 1804. — Banneau *histoire naturelle de la peau et de ses rapports avec la santé et la beauté du corps. Paris* 1802.

98) Levret *von der Behandlung neugebohrner Kinder.* Vide: *Auserl. Abhandlungen f. pr. Aerzte.* 1. B. 4. St. S. 126.

Nec infans, cum liber aëris tepidi accessus illi conducat *), continuo obtegendus est. Simul ad lactis conditionem et ad universum nutritionis negotium respiciendum, atque si nutrix suo minus officio par sit, ea sine mora mutanda. Si alvus aut segnis aut viridis fuerit: ea illico cum *syrupo radicis rhei palmati*, addita, sub faecum virore, *magnesia*, solvenda. Nec minor transpirationis et urinae habeatur sollicitudo; quae ultimae scilicet evacuationes si languerent, cum *infuso florum tiliae europeae* vel cum leni *decocto herbae violae tricoloris* promoveri deberent. Tertio versus finem vergente aetatis mense, nisi variolarum suscipiendarum periculum id citius postulet, ad *vaccinam*, sic dictam, recurre. Absoluta hac magis magisque cutis cura habenda. Non facile, nisi terminato dentitionis opere, infantem sensim sine sensu temperiei mutationibus adsuesci oportet. Balneum tunc pro robustiore infante minus minusque tepidum ac tandem frigidiusculum sit. Satis autem erit, praecipue hyemali tempore, eo bis tantum quavis hebdomade uti. Universum corpus debitis vestibus, caelo et anni temporibus accommodatis obtegendum, ac cultus hodiernus, quo infantes collo, pectore et brachiis feminarum instar denudatis incedunt, evitandus est. Sic non solum sanitati

*) *Erinnerung an den Gebrauch der Luftbäder und der Frictionen der Haut*, von Dr. Greiner. (*Allgem. med. Annalen, auf das Jahr* 1811. *Altenburg*).

nitati, sed et formositati consulitur, quae ultima inprimis a frigore alternatim cum calore, cuti admoto, quamplurimum offenditur. Testantur hac de re praecipue *manus*, utpote quae semel congelatae, pristinam vix unquam recuperare queunt formam. Optime pulchritudini manuum usu diu noctuque protracto chirothecarum pellitarum, a sexu sequiori studetur. Nec *unguium* cura negligi debet. Praecipue vero *pars capillata capitis* attentione digna est: nam si nimia illius velamenta, affluxum humorum ad cerebrum promovendo, nocent; certo refrigeratio capitis, eruptioni impetiginum obstando, similiter detrimentum affert. Pectinatione quotidie reiterata, crines quidem, nisi agatur de plicosa progenie, aestivo tempore et moderate, abscindi possunt, sed nunquam radi debent. Nil vero magis infantes ab exanthematibus et impetiginibus contagiosis, vel ab insectis securos reddit, quam impeditum cum aliis infantibus et cum personis immundis propius commercium. Grassante exanthemate maligno, scholarum publicarum summa ratio habenda est.

Continuatio argumenti. 4. *Juvenes* et *adulti* evitando potus fermentatos, praecipue calidos, et diuturnam in lecto moram cuti optime prospiciunt. Indulgeant contra ea motui corporis, praecipue in aëre libero, adhibeant balnea frigidiuscula ac munditiei vestium corporisque cum industria studeant. Eo magis id necessarium erit, quo magis officium, quod

exer-

xercent, morbis cutis favet. Sexus sequior radios solares, ventos rigidos, motum nimium et udores fugiat. In genere mulier, quid propriae uti conducat, quid illi noceat, observet: sunt nim feminae, quarum cutis tam sensilis est, ut b innocentissimis rebus, praecipue oleosis et inguedinosis, laedatur. Ipsa balnea non omnius indistincte conducunt. Refert multum aquam ro lotione caute eligi. Quo purior ea et quo libeior a salibus mediis, eo magis praesenti scopo donea est. Aqua pluviatilis et inprimis *ros*, tempore aurorae exceptus, sicuti regno vegetabili 99), ita et cuti humanae vel maxime favent. Potissime vero huic adversatur aqua sulphatem calcis continens. Feminae *aquae destillatae* aut *fragariae vescae* aut *florum tiliae europaeae*, peculiarem vim cosmeticam, experientia edoctae, tribuunt. Qualicunque vero utamur aqua, aëris liberioris accessus immediate post lotionem evitandus; qua de caussa haec potius vespere quam mane suscipienda est. Neque lotionibus ultra, quam opus, indulgere oportet. Feminae, quarum cutis ad siccitatem sive ariditatem inclinat, cum fructu *cremore lactis acidulo* utuntur, quo scilicet faciem, col-

99) Rorem colligit ac dein vegetabilia adspergenda curat egregius *horti Schönbrunnensis* custos et moderator, Boose, atque huic artificio (quod a feminis propriae cutis curam habentibus didicit), peculiarem formositatem plantarum suarum tribuit.

collum et pectus ante cubitum humectant atque linteo dein leniter abstergunt. Illis quoque vel *aqua oryzae*, quotidie recenter parata, qua simul cuti candor conciliatur, conducit. Ut cutem nimis sensilem ab externis impressionibus quodammodo tueamur, illinitio *vitelli ovi cum aqua subacti*, ad exsiccationem usque relicti, ac dein cum spongia aqua tepidiuscula imbuta abluti, inservit. Cutis a pulvere arenae, vel a pigmentis conspurcata, optime cum *unguento demulcente* nostro [100]) abstergitur. Cuti, a pinguedine veluti a vernice obductae (cutis unctuosa), lotio, vel ope *aquae rosarum rubrarum* additis nonnullis guttis *spiritus roris marini*, vel ope *solutionis acidi benzoës* [1]), amica est.

Finis argumenti. 5. In *aetate senili* optime cuti prospicitur, si cunctae excretiones, potissimum autem eae urinae et transpirationis debito modo regantur. Urinam debita potus quantitas et vini diuretici usus promovent. Transpirationem sollicitant mora diuturnior in lecto, indusia quidquam aspera, frictio cutis, potissime vero artificialis hujus, more Turcarum, post balneum suscepta tractatio [2]). Latente vitio haemorrhoidali, aut suppresso alio cruoris fluxu, si sanguis evidenter in systema cutaneum irrue-

100) *Unguentum demulcens*, ex partibus aequalibus spermatis ceti et olei nucleorum amygdali communis, leni igne invicem fusis ac dein refrigeratis, paratur.

1) *Essentiae Benzöes simplicis* (paratur ex floribus benzoës spiritu anisi solutis) aquae communi tantum instillatur, donec lactescat (lac virginis).

2) *L'art de masser.*

irrueret, verno inprimis tempore, vel *hirudines* ano, vel *cucurbitulae scarificantes* dorso, admovendae forent. Caeterum, tum apud senes, tum apud alios, si morbus cutis cum levamine prodeat, ille, veluti maximum naturae beneficium, promoveri potius quam reprimi debet; unde aegri, ne agyrtis aut medicis imperitis, sanationem vitii cutanei promittentibus, aurem praebeant, exhortandi sunt. Juvat immo naturae nisum *fonticulo* vel alio *artificiali ulcere* sustinere.

6. *Exanthemata symptomatica* curam morbo primario accommodatam exposcunt. Sicuti autem vel aliorum symptomatum peculiarem curam minime negligimus, ita vel eam hujusmodi exanthematum in specie trademus. C. exanth. symptomaticorum.

7. *Exanthemata primaria*, dum secundum ordinem decurrunt naturae committenda sunt, omnis enim medendi ratio, sicuti simplicius, ita quoque securius, ad regimen diaeteticum et ad levamen symptomatum limitatur [3]). Si vero exanthemata primaria a debito ordine deflectant, tunc pro re nata methodus medendi activa eousque adhibenda est, donec ad viam praescriptam illa recedant. De singulis speciatim. C. exanth. primariorum.

8. Praecipuum in cura exanthematum primariorum C. exanth. primar. simplicium.

3) Legi de hoc argumento merentur: Borsieri (Inst. med. Vol. II. cap. X. §. 310.) et Horn (*Archiv für med. Erfahrung*. *Jahrgang* 1811. S. 311.

riorum *simplicium* momentum, in debito *temperiei regimine* collocatum est. Temperatura modica, quatuordecim circa graduum thermometri Reaumuriani, ac diu noctuque aequalis, optime accommodata esse consuevit. Aeger quidem in lecto, sed stragulis minime obrutus decumbat. Praesertim vero sub alvi depositione ac tempore, quo lectulus sternitur, a refrigerio sibi caveat, unde vas ad faeces recipiendas idoneum et lectus alter in usum duci debet. Lectus loco opportuno sit positus ac nemo cum vestibus aura frigida imbutis aegrum incaute accedat. Neque pulsus manu gelida tangendi sunt. Lintea quidem impune quotidie mutari licet, dummodo neque humida neque frigida sint. Versus finem aegritudinis, inprimis transpiratio moderate fovenda est. Quare *potum*, quem primo morbi sub decursu temperaturae cubiculi accommodatum suppeditavimus, nunc tepide hauriendum offerimus. Ibi *aqua communis*, *lacte* remixta, vel *succo vegetabili* et *saccharo* edulcorata, inservierat; hic *infusum florum tiliae europaeae* vel *sambuci nigrae* porrigitur. *Victus* per omne morbi curriculum *vegetabilis* et *paucus*, ex jusculis scilicet aqueis, butyro et sale cum avena, oryza, hordeo, decoctis, indicatur. Fructus, sive recentes, sive cocti, dummodo absque vino et aromatibus parati, expetente aegro, nulloque obstante alvi profluvio, concedi possunt. Motus animi et nimia lucis actio evitentur. Evacuationes sponta-

neae,

neae, sive cruentae sive aliae, nisi limites excedant, minime sedandae. Si alvus deficeret, quotidie ea cum *clystere antiphlogistico* 4), movenda foret. *Purgantia*, rite monente VOGLERO 5), periculum inferre queunt. Si affinibus aut aegris solum regimen minus arrideat, tunc pro forma magis, ab initio *aqua destillata* sive *fructus rubi idaei* sive *nucleorum pruni cerasi*, ac dein *aqua florum* sive *tiliae europaeae* sive *sambuci nigrae*, cum syrupis analogis, aut *emulsiones amygdalarum*, *seminum mali cydonii*, *cucumeris melonis* etc. praescribuntur.

9. Ut exanthemata primaria *inflammatoria* ad simplicitatem reducantur, morbum, absque mora, cum remediis antiphlogisticis, diatheseos inflammatoriae gradui accommodatis, aggredimur. *Venae sectio*, *frigus* et *nitras potassae*, praecipua hic sistunt auxilia, de quorum tamen usu regulas *generales* statuere haud audemus. Generalem indicationem potius admittunt *hirudines*, quibus toties locus est, quoties exanthema indolis inflammatoriae in partem vitae conservationi necessariam vehementer saevit. Loco affecto, quo propius id fieri potest, hirudines, habita ratione aetatis et vehementiae morbi, applicandae sunt. Praeterea, nisi

C. exanth. primar. inflammat.

4) P. I. Vol. I. §. XXX. 5. not. 56.

5) HUFELAND's *Journal der pr. Heilkunde.* 1811. *December.*

nisi alvus jam nimis aperta sit, ad *lenia purgantia* [6]) recurrendum. Caeterum regimen ut supra.

C. exanth. primar. gastricorum. 10. In exanthematibus primariis *gastricis*, ne intempestive ad emetica, aut ad fortiora purgantia, praecipue sub stadio invasionis ac eruptionis, confugias. Prius nempe impetum febris cum lenibus evacuantibus antiphlogisticis moderare et exanthematis, si natura ad hoc sufficiat, liberam evolutionem concede. In provectiori morbo, cum pulsu molli, remedium, quod *tartritidi stibii et potassae* in parva dosi [7]), aequiparari posset, non invenies. Nimii illius remedii effectus, cum decocto mucilaginoso compescantur. Regimen, quale in febribus gastricis [8]), praescribendum. Temperatura autem major, quam in exanthematum simplicium cura, requiritur.

C. exanth. primar. typhodum. 11. Exanthemata primaria *typhodea*, concessis haud paucis exceptionibus, in cura eorum speciali tradendis, secundum regulas in therapia febrium typhodum expositas [9]), pertractantur. Praecipua

6) E. g. serum lactis tamarindinatum, aut: Rec. Pulpae amlycae indicae, succi fraxini orni ââ, unciam unam. Coque c. s. q. aquae fontis ad colat. unciarum octo. Cap. omni secunda hora unciam unam et semis. (pro aegro 8—12 annos nato).

7) Rec. Aquae florum sambuci nigrae uncias octo. Tartari emetici granum unum. Syrupi sambuci unciam semis. M. cap. omni secunda hora unciam unam.

8) P. I. Vol. I. §. LX. 17.

9) P. I. Vol. I. §. LV. 14—49.

pua indicatio in eo consistit, ut vires vitae sustineantur. Sustinentur autem potissime sub *temperatura calidiori*, cum *jusculis nutrientibus*, *vino*, *cortice cinchonae officinalis*, *acidis mineralibus*, *camphora* etc. Tam diu valebit methodus hujusmodi, quamdiu typhodes morbi character persistet.

12. Mutatio frequens indolis exanthematum primariorum, facilis, sub eorum decursu, diathesium complicatio, nec non plurimorum aegrorum, maxime infantum, morositas, obstinatio, ingentes medentibus difficultates opponere hic solent. Ut sub dubia rerum positione, quoadusque id fieri licet, secure incedamus, a remediis heroicis, donec lux major affulgeat, abstinendum est. Cunctando enim haud raro restituitur res, ac nisi ipsa natura responderit, ab arte sane parum aut nihil expectabimus. Monitum.

13. Ut evanescente ante debitum tempus exanthemate, locisque internis inde gravi modo affectis, morbus pristinus ad cutem reduci queat, primum est *caussam retrocessus* indagare. Hac detecta, ea, quoad potest, removenda, aut saltem deleterii illius effectus corrigendi sunt. Hunc ad scopum, pro re nata, methodus nunc antiphlogistica, nunc antigastrica, nunc sudorifera indicatur. Ne hac ultima abutamur, cavendum est. Non enim quodvis exanthema a cute dispersum, ad eandem rursus per sudorifera revocatur. Idem de C. retrocessus.

vesi-

vesicatoriis, de sinapismis, de frictionibus cutis, de balneis tepidis, de cucurbitulis siccis, de emeticis aliisque remediis, in doctrina speciali commemorandis, dicendum est.

C. convalescentiae. 14.] Cum quodvis exanthema primarium *convalescentiam* sibi-propriam agnoscat, cuivis convalescentiae et propriam curandi rationem esse, patet. In genere, convalescentes quammaxime ab atmosphaerae vicissitudinibus custodiendi sunt. Si pulsuum quaedam irritatio, calores fugaces, somnus irrequietus et anorexia transitum convalescentiae in sanitatem perfectam impediant, lene alvum evacuans remedium indicatur.

C. impetig. generatim. 15. Impetigines locales *remedia topica*, — symptomaticas vero *auxilia universalia* exposcere, vix opus est ut moneamus. Impetigines symptomaticas haud raro ita constitutas esse, ut praeter methodum universalem et topica auxilia sibi exigant, alibi docebimus. Caeterum non omnia, quae cuti *topice* admoventur, remedia effectum duntaxat *localem* exercent.

C. impetig. localium. 16. Priusquam cura *impetiginis localis* suscipiatur, num forsitan per artem major, quam morbus ipse fecisset, cutis defoetatio immineat, perpendendum est. Animadverti dein probe oportet, an impetigo, prima quidem origine localis, tractu temporis cum vitio universali societatem inivenit? In genere, in omni impetigine, jam diu perstante, praecipue si conspicuam illa secretionem in-

du-

ducere solita fuerit, consuetudinis leges venerandae, ac habitualis evacuationis vices, ope *ulcerum artificialium* agendae sunt. De *setaceis*, de *fonticulis*, de *vesicatorio*, sic dicto, *perpetuo* et de applicatione *corticis daphnes mezerei* hic loquimur. Concessa autem facultate impetigines locales remediis topicis aggrediendi, secundum rerum positiones alibi in specie determinandas, vel ad *manum chirurgicam*, vel ad *remedia abstergentia*, vel ad *res insectis contrarias*, vel ad *auxilia*, quae in cutis contextum *emolliendo*, *irritando*, *adstringendo*, *sedando*, vel *erodendo* agunt, confugiendum est.

17. Per *manum chirurgicam* vel *ulcera* excitantur *artificialia*, vel cum *filo*, *forficibus*, aut *cultro* excrescentiae auferuntur, vel cum *hirudinibus* atque *cucurbitulis cruentis* vasa cutis deplentur, vel cum *cucurbitulis siccis* cruor nunc a locis affectis divertitur, nunc ad haec ipsa magis dirigitur, vel *fasciis* et *frictionibus* cutis sustinetur, vel loca illius nimis sensilia *emplastris* aliisque auxiliis ab externis custodiuntur impressionibus. Manus chirurgica.

18. *Abstergentium remediorum* ope, cutis ab immunditie liberatur, vel ad alia externa auxilia, serius applicanda, praeparatur. Pertinent huc: *lotio cum aqua simplici*, vel cum *solutione saponis*, *balneum tepidum*, *massa detergens* [10]). Remedia abstergentia.

19. So-

10) Rec. nucleorum amygdali communis amari, uncias novem. Nucleorum pini pineae uncias tres. Contundan-

Res insectis contrariae. 19. Solis jam abstergentibus remediis cutis nonnunquam ab *insectis* liberatur. Verum ad hujusmodi animalcula prorsus exstirpanda, pro varia rerum positione, atque pro statu corporis vel sano, vel morboso, plerumque recurramus opus est ad *oleum*, *nicotianam tabacum*, *helleborum nigrum* sive *album*, *inulam helenium*, *veratrum sabadillam*, *delphinium staphisagrium*, *colchicum autumnale*, *acidum sulphuricum*, *muriatem sodae*, *magnesium*, praecipue vero ad *mercurium* et ad *sulphur*.

R. emollientia. 20. Cutim *relaxant balnea tepida* additis *herbis mucilaginosis* aut *lacte*, *unctio* ope *olei*, *linimenti demulcentis*, *adipis*, et applicatio *fotus animalis*.

R. irritantia. 21. Nihil systema cutaneum potentius *irritat*, quam major caloris gradus, ope *balnei calidi simplicis*, *thermarum* [11]), *balnei vaporis*

dantur in mortario ut fiat pulvis. Adde mellis puri uncias sex. Vitelli ovorum n. sex. Portio hujus massae, quae quavis vice in usum trahitur, prius in aqua tepida solvenda est.

11) E. c. WISBADEN (RITTER, *Regeln beim Gebrauche des warmen Wassers zu Wisbaden. Reichsanzeiger* 1797. n. 163. S. 1749.). FABRICIUS *Manuel du baigneur aux eaux de Wisbaden. Paris* 1812. BADEN in magno Ducatu Badensi (KRAPF *Beschreibung der warmen Bäder zu Baden. Tubingen* 1794.) WILDBAD, (*das Wildbad im Königr. Würtenberg von* KERNER. *Tubing.* 1813). PISA (SANTI *analisi chemica delle acque dei bagni di Pisa. Pisa* 1789.) BATH (FALCONER *Essay on the Bath Waters. London* 1737.) etc. *De balneis in genere* lege: *Essay*

ris [12]) et *arenae* [13]) applicitus. Non minorem *frictiones* fortes irritationem inducunt. Localem quoque stimulum cuti inferre queunt *saliva*, *urina*, *bilis*, *subcarbonas potassae*, *acetum*, aliaque *acida*, *camphora*, *carbones*, *baccae lauri nobilis*, *semina sinapis nigrae*, varia *mercurii praeparata*, etc.

22. *Adstringenti* ac simul irritanti principio instruuntur *sulphas aluminis*, *sulphas zinci*, *cortex quercus roboris* et similia. Mitissimum autem adstringens ac sedans simul remedium, in *plumbo*, debita cautela adhibito, habetur. R. adstringentia.

23. Eminentem quoque in impetiginibus curandis locum *narcotica*, inprimis *opium*, *hyoscyamus*, *conium maculatum*, *humulus lupulus*, etc. occupant. R. narcotica.

24. Nec acria et *caustica*, e. c. *radix hellebori*, *meloes cantharides*, *nitras argenti fusus*, *potassa pura* etc., excipi merentur. R. caustica.

25. In *impetiginibus symptomaticis* remedia, diathesi, ex qua cutis vitium pullulat, accommo- [illegible] den- C. impetiginum symptomaticarum.

Essay sur les eaux minérales naturelles et artificielles; *par* Bouillon - Lagrange. Paris 1811.

12) Sanchez *mémoire sur les bains de vapeurs de Russie* (Vid. *Mémoires de la societé roy. de médecine* T. III. p. 233). — Marcard *von Dampfbädern* (*N. Magazin für Aerzte.* 4. St. 1776). Richter *Geschichte der Medicin in Russland. Moskwa* 1813. I. Th. S. 76.

13) XXI. veterum et clariorum medicorum opuscula. Mosquae 1808. p. 292.

dentur oportet. Patet hinc, neminem impetigines secundarias rite curaturum esse, nisi prius regulas, ad morbos primarios curandos tradendas, probe calluerit. In genere, securius curam remediis *internis* ordimur, ac ad *externa* tunc solum devenimus, ubi morbus jam satis in cutem desaeviit; ubi ipsa natura cutis affectionem, inani conatu, dejicere satagit; et ubi perstans antiqua impetigo depositioni secundae obstat. Diuturno autem in morbo, ut alibi, ita et hic, ad leges consuetudinis respiciendum, ac saepe *ulcera artificialia* reliquis externis remediis praemittenda sunt. Praeterea, ut, durante cura impetiginis symptomaticae, singulae corporis evacuationes rite et abunde procedant, semper opus est.

C. impetig. inflammatoriarum.

26. Curam impetiginum *inflammatoriarum*, sub regimine antiphlogistico, leni alvum *purgante* remedio incipimus. In aegro florido, robusto, sique vitium cutis cum emolumento proruperit, a remediis localibus abstinentes, morbi sanationem quammaxime naturae committimus. Hoc vero non impedit, quominus, modo quo decet, puritati cutis studeatur. Quodsi autem morbus tanto cum impetu in cutem saeviret, ut doloris vehementia aut cutis destruendae periculum promtius auxilium expeterent; istud in *hirudinibus* vel in *cucurbitulis cruentis*, tum prope impetiginem, tum ad loca, quae cum parte affecta maxime consentiunt, applicitis, habetur. Hirudines quoque va-

sis

is, ex quibus suppressa quaedam haemorrhagia revocari optatur, admoveri queunt. *Venae sectioni* in morbis, potius systema vasorum capillarium, quam vasa majora detinentibus, raro, nisi apud summe plethoricos, locus est. Neque sola cruenta evacuatio hìc valet; conducunt enim et *ulcera artificialia*, quae conspicuam evacuationem serosam largiuntur. Nihil *reditum* impetiginis inflammatoriae, absque emolumento prorumpentis, securius antevertit, quam facta ope aquae frigidae aspersio, aut *balnea fluviatilia* [14]) nec non *marina* *) vel similia **). Calor contra, quocunque demum pacto cuti applicatur, quod de singulis irritantibus remediis valebit, nocet.

27. Impetigines *ex vitio abdominali*, sive gastrico sive alio oriundae, exposcunt, praeter victum selectum, usum remediorum *resolventium* ac *alvum moventium*. Inter prima *aquae minerales* *sapo-* C. impetig. gastricarum.

14) *Von der Badeanstalt für kalte Flussbäder zu Hamburg* (*Schriften der hamburgischen Gesellschaft* 3. B.). *Von der Anlegung eines öffentlichen Badehauses.* (Pyl *Aufsätze und Beobachtungen a. d. gerichtlichen Arzneywissenschaft. Samml.* 5. S. 216.). Deisch *von Anlegung der Flussbäder* (*Reichsanzeiger* 1795. n. 71. S. 629).

*) *Neue Annalen des Seebades zu Doberan. Von* S. G. Vogel. *Rostock* 1812.

**) *Ueber die Aehnlichkeit der Salzsoole mit dem Seewasser und den Nutzen der Soolbäder, Von* Tolberg. *Magdeburg* 1811.

saponaceae [15]), exiguae et repetitae doses *tartritidis stibii et potassae*; ac, absente omni scorbutica complicatione, *murias hydrargyri* [16]); — inter altera *aquae minerales salinae* [17]), *radix rhei palmati*, *salia media* etc., primum locum occupant. In genere curam impetiginum libenter, exemplo HEBERDENII [18]), remedio purgante, etiam repetito, *puritatis*, ut ita dicamus, *internae* gratia, dummodo vires aegri aliaeque rerum positiones id permittant, ordimur.

C. impetig. arthriticarum.

28. Cura impetiginum *arthriticarum* cautissime

15) E. c. SCHLANGENBAD *in Hassia* (*Hanöverisches Magazin* 1783. 5. St.). — LACHOWITZ *in Bohemia* (*systematische Beschreibung aller Gesundbrunnen und Bäder*. *Leipz*. 1801. 1. B. S. 125). — PLOMBIERES in Lotharingia (MALOUIN in *memoires de l'Academie des sciences* 1746. p. 109). — LOKA *in Suecia* (BERGIUS *von den Lokaquellen*. Vid. et BERGMANNI opuscul. physico-medica. T. IV.).

16) Calomel.

17) E. c. *Carlsbad* (BECHER *Untersuchungen des Sprudelwaseers im Carlsbade*. *Prag*. 1771. — (EGRA (*Böhmische Literatur für Hydrologie*, in BALDINGERS *N. Magazin für Aerzte*. 15. B.). — BURDSCHEID prope Aquisgranum (KORTUM *vollständige physikalisch-medicinische Abhandlung über die warmen Mineralquellen und Bäder in Aachen und Burdscheid*. *Dortmund* 1798.).

18) Commentaria de morborum historia et curatione p. 93.

ne, ac praemissis plerumque *ulceribus artificiali-*
us inchoanda est. Porro ad *regimen diaeteticum*
naxime respiciendum. Carnes, inprimis pingues,
ale, rebus aromaticis conditae fumoque induratae,
uousque consuetudo fert, fugiendae. Contra ea
uscula testudinum, limacum, ranarum, vipera-
um ac *lacertarum viridium* [19]) cum fructu adhi-
entur. Summopere vero ut evacuationes alvi,
rinae et transpirationis pro re nata promoveantur,
urandum est. *Purgantia* parum acria et *remediis*
maris nupta salibus mediis anteponimus. Atta-
nen et haec salia in aquis mineralibus, praecipue
i urinam promoveant, conducunt. Eminentem
nim *diuretica*, inprimis *juniperus communis* et
radix ononidis spinosae hic occupant locum. Qui
majori irritabilitate instructi sunt, a remediis
narcoticis, urinam simul promoventibus, e. c.
a *stipitibus solani dulcamarae*, bene se habent.
Inter *diapnoica*, praecipue varia *antimonii prae-*
parata, *decocta*, ut dicunt, *lignorum* [20]), et *sul-*
phur sese commendant. Adhibetur hoc remedium
tum interne tum externe, et quidem hic, sub for-
ma

19) DAUBENTON et MAUDUYT in *Histoire de la Soc. R. de médecine a.* 1780.

20) E. c. *ex lignis lauri sassafras, quajaci officinalis, juniperi communis,* ex *radicibus smilacis sarsaparillae, chinae nodosae* (*Smilacis chinae*) etc.

ma *balneorum*, sive *frigidorum* 21), sive *thermalium* 22), sive *artefactorum* 23).

C. impetig. carcinomaticarum.

29. Cura impetiginum ex *diathesi carcinomatica* haud multum ab illa impetiginum arthriticarum differt. Amplectitur praeterea illa usum *conii maculati*, *mercurii*, *acidi nitrici* et *arsenici* saltem externe appliciti. Caeterum, exceptis balneis, remedia externa, plus detrimenti quam utilitatis afferre solent.

30. Me-

21) E. c. Baldohn in Curlandia (Ekhof's *Beschreibung des Baldohnischen Mineralwassers. Mietau* 1795), Smordon et Widzę in Lithuania.

22) E. c. *Aquisgranum* (*Aix-la-Chapelle*, *Aachen*), *Gasteiner Wildbad* prope *Salzburg* (Barisani *physisch-chemische Untersuchung des berühmten Gasteiner Wildbades. Salzb.* 1785.), — *Baden in Austria* (Schenk *Abhandlung über die Bäder der Stadt Baden in Niederösterreich. Wien* 1791.) — *Hirschberg* (Zeller *Hirschbergische Merkwürdigkeiten.* 3. B. 1742.) — *Landek* (Mogalla. *Die Bäder bei Landek. Breslau* 1788). *Bagnères* (Carrère *analyse des eaux minérales de Bagnères. Vid. Histoire de la Société R. de médecine* 1779. *à Paris*). *Abano* Mandruzzato *dei bagni d'Abano, Padova* 1789.). *Langensalza* (*Die neu entdeckten salinischen Schwefelbäder zu Langensalza, von* Trommsdorff. *Erfurt* 1812. *Eilsen* (*Ueber die Gas- und Schlammbäder bey den Schwefelquellen zu Eilsen, Berlin* 1811.)

23) Unciae duae hydrosulphureti potassae prius in aqua fervida solvuntur ac dein balneo superadduntnr. Lege de usu hepatis sulphuris in morbis cutis: *Sammlung auserl. Abhandlung f. pr. Aerzte.* 13. B. S. 253.

30. Methodus generalis scrophulis medendi, debito loco tradenda, impetiginibus *scrophulosis* quoque accommodata est. Sufficiat hic meminisse, *auxilia topica* (exceptis balneis tepidis et ulceribus artificialibus) etiamsi primo intuitu juvare videantur, fere semper tamen cum damno adhiberi, qua de re tot morbi oculorum et aurium, ab impetiginibus scrophulosis praepostere sanatis exorti, ultro testantur. Inter *remedia interna* nullum magis scrophulae cutaneae adaequatum est, quam *oxydum hydrargyri et antimonii sulphuratum* [24]), praecipue si illi, in morbo inveterato, *extractum conii maculati* jungatur. C. impet. scroph.

31. Quae ex diathesi *scorbutica* originem nanciscuntur impetigines, nil nisi regimen et pharmaca huic diathesi accommodata, exposcunt. Inprimis conducunt juscula cum *herbis antiscorbuticis* [25]), *balnea frigida*, et *lotiones* corporis ope *aceti* sive *acidi nitrici diluti* institutae. C. impetig. scorbutica.

32. Cura impetiginum *venerearum* ex generalibus syphilidem pertractandi regulis desumitur. Solum hic animadvertimus: *muriatem hydrargyri oxygenatum*, *mercurium solubilem* Hahnemanni, *balnea tepida*, *decocta lignorum* ac *acidum nitri-* C. impetig. venerearum.

cum

24) *Aethiops antimonialis.*

25) E. c. cum *herba veronicae beccabungae*, *fumariae officinalis*, *sisymbrii nasturtii*, *cochleareae officinalis*, etc.

cum potiora impetiginum venerearum esse auxilia. *Arsenicum* 26) nunquam hìc tentavimus.

C. impetig. spasmodicarum. 33. Impetigines, quas ex diathesi *spasmodica* derivavimus, diversam pro re nata curam expetunt. Spasmus, in cutem saeviens, remediis *externis emollientibus*, additis, si opus sit, *narcoticis*, tollendus. Intus remedia, quae leniter transpirationem movent, ac simul nervorum nimiam sensibilitatem obtundunt, e. c. *pulvis ipecacuanhae cum opio*, connubium *antimonii* cum *extracto hyoscyami nigri*, propinantur. Praeterea ad secretiones a spasmo cohibitas respici, ac, secundum rerum positiones ad *hirudines*, ad *purgantia*, ad *diuretica* et ad *tonica* confugi oportet. Inter haec *cortex cinchonae officinalis* 27), magisque adhuc *ferrum*, inprimis in *aquis mineralibus* 28), pro potu et

26) Otto *Philadelphical medical museum* 1804. I. Vol. p. 47. *Sammlung auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte.* 22. B. 2. St. S. 242.

27) L. c.

28) E. c. *fons Cudovensis* (Mogalla *über den Brunnen zu Cudowa. Schlesische Provinzialblätter* 1797. 2. St. S. 463), — *f. Freudenthaliensis* (*Physicalisch-chemische Untersuchung des Freudenthaler Sauerbrunnens in Schlesien. Troppau* 1794), — *f. Imnauensis* (Klaproth *Untersuchung der Mineralquellen zu Imnau.* Vid. Crell's *chemisch. Annal.* 1792. 4. St. S. 333), — *f. Schwalbacensis* (Fenner *über Schwalbachs heilsame Quellen.* 1800), — *f. Spadanus* (Sanberg *essai sur les eaux minérales ferrugineuses*

et balneo adhibendis, contentum, non neglectis animi pathematum moderamine, corporis debito exercitio, diaetaque selecta, potissimum lactea, prima loca occupant.

C. complicationum.

34. Conspicua ingenii acies ad *complicationes* impetiginum rite curandas requiritur. Nec regulae generales hic tradi possunt. Monebimus hinc solum, quod, cum diathesis *inflammatoria* et *gastrica* saepe impetiginum alterius indolis sociae fiant, *cura praeparatoria*, a qua scilicet complicationes illae, tum *sanguinis detractione*, tum *alvi purgatione* abiguntur, haud raro reliquis remediis praemittenda sit. Maxime porro ad complicationem *veneream* et *scorbuticam* in impetiginibus curandis respiciendum est, quarum illa *sulphur*, haec *mercurium* fere semper excludunt.

35. Ad

neuses de Spa. Liège 1788), — *f. Driburgensis* (BRANDIS *Anleitung zum Gebrauch des Driburger Bades und Brunnens. Münster* 1792) — *f. Pyrmontanus* (MARCARD *Beschreibung von Pyrmont. Hannover* 1784), — *f. Sadschüzensis* (REUSS *chemische Untersuchung der Herrschaft Neudorf im Saatzer Kreis. Dresden* 1798), — *f. Schwelmensis* (*Ueber den Schwelmer Gesundbrunnen, von* L. CASTRINGIUS *und* C. H. STUCKE. *Dortmund* 1800). *F. Krumbachensis* (*Das Krumbacher Heilbad. Von* WEZLER. *Augsburg* 1811. — *Nachtrag zur Uebersicht der vielen reichhaltigen Mineralquellen im Königr. Bayern. Weimar* 1813).

C. retrocessus impetig.

35. Ad *revocandas* sive ad cutem *pellendas* impetigines praepostere fugatas vel aegre prorumpentes, *causae* retrocessus, vel defectus efflorescentiae, ratio habenda est. Quocunque in casu *ulcera artificialia*, et vix non semper *balnea tepida*, maximeque *thermae* tum *simplices*, tum *sulphureae*, indicata sunt. Absente impetu inflammatorio, irritationem systemati cutaneo inferri juvat. Huic scopo inservient: *vestes laneae* sive *tela cerata* cuti nudae imposita, — *frictio* superficiei corporis, — *embrocatio* partis, in qua impetigo desideratur, — illinitio ope *tincturae meloes cantharidum* et *camphora* [29]), — *caesio cutis cum urticis* ipsaque *psorae insitio*. Ad *interna remedia* quod spectat, ea potissimum morbo accommodari debent, quo viscus a caussa impetiginosa labefactatum laborat. Praeterea saepissime *diapnoicis* locus est, inter quae *antimonium* [30]) iterum commendandum est.

29) HIRSCHEL *Briefe über verschiedene Gegenstände aus dem Reiche der Arzneykunde.* 3. Th.

30) WERLHOFF exhibebat: Rec. Pulveris antimonii crudi unciam unam. Sacchari uncias tres. M. D. S. Bis de die cochleare cofeanum. (Opp. med. T. III. p. 756).

CAP.

Cap. II.

De Peticulis.

§. VII.

Definitio. Historia.

1. Peticulae [31]) sunt stigmata vel maculae, varii coloris, subrotundae, discretae, magnitudinis circiter lentium, plerumque pruritu expertes, plurimorum morborum febrilium praecipue contagiosorum, comites. Definitio.

2. Nulla apud *Hippocratem* peticularum invenitur mentio: exanthema enim, de quo loquitur divus senex [32]), quidquid dicant Sponius [33]), Lind [34]) aliique, miliarium quidem, sed minime peticularum imaginem offert. Claram econtra peticularum descriptionem apud *Aetium* [35]) ex Hero- Historia.

31) *Germanice* Petechien. Gall. Petéchies. Ross. пятна. Pol. Petocie.

32) Lib. II. de morbis epidem. sect. III. Edit. *Lind.* p. 697.

33) Aphorism. novi. p. 136.

34) *Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte.* 2. B. 4. St. S. 15.

35) Tetrab. secund. sermo I. cap. 29.

DOTO invenimus, in quam sententiam et LANG [36]), WELSCH [37]), GRUNER [38]), SPRENGEL [39]) etc. descendunt. Seculo demum decimo quarto, de peticulis sub nomine *punctillorum malignorum* locutus est GADDESDEN. [40]) Genuina vero earum descriptio, fatente saltem RIOLANO [41]), medico Parisiensi, seculo decimo quinto demortuo, JACOBO DESPARS [42]), debetur. Omnium autem medicorum attentionem sibi promeruerunt peticulae, quae febres, seculo decimo sexto Italiam, Galliam, Germaniam aliasque regiones depopulantes, concomitatae sunt, quarumque febrium diversae epidemiae doctissime a SPRENGELIO recensentur [43]). Varia apud varios tunc temporis auctores peticulae obtinuerunt nomina: *lenticularum* nempe, *puncticularum*, *purpurae* et *pestichiarum* (forte ab indole pestilentiali, quam febres peticulis stipatae exhibebant), unde probabiliter barbara vox *petechiarum*. Optime a seculo decimo sexto, ad hanc usque diem,

36) Epistol. medic. XV. Lib. II. p. 561.

37) Curat. propr. dec. VI. cur. I. p. 287. August. Vind. 1698.

38) Morborum antiquitates, p. 110.

39) *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Heilkunde*. 3. B. p. 118.

40) SPRENGEL op. c. 2. B. S. 509.

41) *Recherches sur les escholes de médecine* p. 217.

42) SPRENGEL l. c. S. 544.

43) L. c. S. 118—124.

diem, de peticulis egerunt: FRACASTORI [44]), RO-BORETI [45]), PETRUS A CASTRO [46]), RICHA [47]), RAMAZZINI [48]), BORSIERI [49]), PINAROLI [50]), TROLLI [51]), CAMBIERI [52]), GIANNINI [53]), COYTARUS [54]), LE ROI [55]), FODERE' [56]), HASENOEHRL [57]), STRACK [58]), STOLL [59]), J. P. FRANK [60]), SCHLICHT-HORST [61]) et BALDINGER [62]), qui ultimus cuncto-

rum

44) De morbis contagiosis Lib. II. cap. 6.

45) De peticulari febre Tridenti a. 1591. vagante. Trident. 1592.

46) Febris maligna puncticularis aphorismis delineata. Veronae 1650.

47) Constitut. epidem. Taurinensis a. 1720.

48) Diss. de constitutione a. 1692. 93. 94.

49) Instit. med. pract. Vol. II. cap. X.

50) TARGIONI *Raccolte d' opuscoli medico-pratici.* T. 8. p. 260.

51) Ibid. p. 224.

52) Ibid. p. 284.

53) *Della natura delle febbri. Milano* 1805.

54) *De febre purpura epidemica.*

55) *Premier mémoire sur les fièvres aigues.*

56) *Mémoire sur les fièvres continues pétechiales.*

57) Historia medica morbi epidemici, sive febris petechialis, quae A. 1757—59. Viennae grassata est. Vindob. 1760.

58) Observationes medicinales de morbo cum petechiis. Carlsr. 1786.

59) Ratio medendi. Vol. III.

60) Epitome. Vol. III. p. 113.

61) Diss. de petechiis. Goett. 1783.

62) *Neues Archiv.* 3. B. 4. St. S. 358.

rum de peticulis, ad suum usque tempus, scriptorum, mentionem injecit. Addi debent REUSS *), et WEDEMEIER **).

§. VIII.

Symptomata. Autopsia Cadaverum.

Symptomata. 1. Peticulae, quocunque in morbo compareant, *nulla* agnoscunt *symptomata prodroma* gentilitia. Legimus quidem apud RAMAZZINI [63]), in epidemia Mutinensi peticulas annuntiatas fuisse a lassitudine lumborum et dorsi cum ardore faucium, genisque rubris; atque apud HASENÖRHL [64]): in epidemia Viennensi, anxietatem circa praecordia, levem nauseam et vomituritionem iis praegressas esse; ast, eo quod symptomata hujusmodi omnium fere febrium graviorum prodroma aut familiaria esse consuescant, illa cum febre quidem, sed minime cum peticulis, nexum habuisse, defendimus. *Eruptio* perticularum contingit aliquando ante ipsam febrilium symptomatum evolutionem [65]); hinc inde prima, secunda, tertia, plerumque quarta morbi die [66]), non raro tardius, septima scilicet, interdum vel decima quarta. Pro-

*) *Wesen der Exantheme. Aschaffenburg* 1814. *Erster Theil. Das Fleckfieber oder die Kriegspest.*

**) De febre petechiali diss. inaug. Goett. 1812.

63) L. c. §. 17.

64) L. c. p. 265.

65) BORSIERI l. c. §. 310.

66) Part. I. Vol. I. §. XLIX. 1.

Prorumpunt momento, primùm ad jugulum, ad pectus, ad internam brachiorum superficiem; dein ad dorsum, ad crura, ac tandem ad reliquas corporis partes, excepta plerumque facie. Interea vel in facie peticulas, praesertim in infantibus et feminis, inprimis ad palpebras, ad genas et circa mentum pluries vidimus, videruntque STRACK 67), CALLISEN 68), I. P. FRANK 69) multique alii. Quandoque peticulae ordine inverso erumpunt 70), aut eruptio ad unam alteramve partem limitata cernitur. Peticulae labia, orisque cavum, nec non fauces cooperiisse, feruntur quidem, ast omnibus rite perpensis, maculas, de quibus loquitur ingenuus caeterum vir 71), non fuisse veras peticulas, sed ecchymomata, apparet. *Copia* peticularum admodum varia; saepissime innumerabiles sunt. Nihilominus eae vix unquam confluunt et constanter *figuram* satis regularem, subrotundam exhibent, etsi ad basin interdum parumper, veluti gutta atramenti, chartae emporeticae inspersa, difluant. Aliquando figuram stellae induunt

67) L. c. p. 18.

68) Acta Soc. Reg. Havn. T. I. p. 358.

69) Die sexta maii 1794, igitur post publicationem tertii voluminis epitomes, ubi se nunquam peticulas faciei vidisse, affirmat auctor.

70) SAGARIUS syst. morbor. sympt. cl. X. ord. I. gen. 4. spec. 4.

71) HERDER *in* HUFELAND's *Journal der pr. Heilkunde.* 9. B. S. 173.

duunt *). Maculae, quae evidenter et ita diffluunt, ut figuram regularem amittant, aut maculae magnitudinem lentium multum excedentes ad ecchymomata pertinent; verae enim peticulae solummodo punctula minuta, sive maculas, illis ex morsu pulicum similes, referunt, et vix unquam lentes magnitudine superant. Rarissime pruritu stipantur, vel epidermidem elevant, quo solo in casu, tactu percipi queunt. Econtra, saepe saepius peticulae ita sub cute sepultae jacent, ut difficulter et nonnisi per obliquam inspectionem cerni possint. *Color* earum utplurimum puniceus, fuscus est, interdum vero violaceus, lividus, ater, vel etiam purpureus, coccineus. Purpureus color praesertim peticulis super epidermidem prominentibus ac prurientibus proprius est, unde earum similitudo cum *morbillis*, quam, praeter Roboretum [72] atque Stollium [73]), et nos vidimus. Interdum in uno eodemque aegrotante peticulae varii observantur coloris; attamen, cutem inde marmoris instar variegatam fuisse, in ecchymomate quidem, nequaquam vero in solis peticulis observavimus. — Peracta peticularum eruptione, morbus primarius nunc suam pergit viam, nunc exasperatur, nunc leni-

*) Brocklesby *oeconomical and medical observations. Lond.* 1764. p. 199. — Brückmann *prakt. Bemerkungen über die Wechselfieber in* Horn's *Archiv.* 1812. *Jan. Febr. S.* 134.

72) L. c. cap. XI.

73) L. c. p. 120.

[...]lenitur. Hoc ultimum, etsi certe rarissimum, FRACASTORI [74]) et HASENOEHRL [75]) viderunt. *Efflo-ratio* peticularum per tempus paene indeterminatum protrahitur. Nonnunquam primo nychthemero jam evanescunt, alias per totum morbi curriculum vigent, aut ad convalescentiam usque perstant [76]). Fugatae peticulae hinc inde redeunt iterumque redeunt, quin ob id morbi mutatio necessario contingat. Sunt tamen, qui sub regressu peticularum augmentum mali viderint [77]). Peticulae in totum fugatae *nullum* in cute *vestigium* relinquunt. PETRUS quidem A CASTRO de *desquamatione* post peticulas loquitur [78]), credimus interim, secessum epidermidis, convalescentiae febrium typhodum familiarem [79]), peticulis ab hoc scriptore tributum fuisse.

2. Vidimus quidem peticulas in cadaveribus superstites, nunquam vero easdem post mortem primùm comparentes, de quibus, inter alios, FORESTUS [80]) testatur, observavimus. Probabili argumento hae nihil nisi ecchymomata, haud raro sub ipso mortis articulo prorumpentia [81]) fuerunt. Affirmat DIE-

Autopsia cadaverum.

74) L. c. cap. 7.

75) L. c. cap. 2.

76) Acta mea clinica. Vol. I. cap. 3. p. 51.

77) BORSIERI l. c. §. 313.

78) L. c. sect. 4. §. 38.

79) P. I. Vol. I. §. XLIX. 9.

80) Obs. et curat. medicae. T. I. Lib. VI. obs. 37.

81) Cap. de ecchymomate.

Diemerbroeck, peticulas apicem in cute habuisse, cum basi vero profunde, ita ut fere conum efficerent, ad ossa penetrasse [82]). Stollius vero hunc auctorem cum peticulis ecchymomata confudisse objicit [83]), nequaquam vero negat, *peticulas* dari *internas*, quas autopsià cadaverum ad pleuram, pericardium, cor ipsum, diaphragma, meninges demonstravit, quarumque existentiam et Schlichthorst comprobavit [84]). Hujusmodi autem peticulae internae nullam cum externis communicationem alunt. Sedem peticularum in rete vasculare et quidem in arterias, ad systema vasorum capillarium pertinentes, posuit Marcus [85]). Cerebrum in morbis petechialibus inflammari, contendit Jemina *). Idem de arachnoidea asserit Reuss **).

§. IX.

Caussae.

C. praedisponentes. 1. Quamvis peticulae nulli aetati nullique sexui parcant; attamen eae rarius infantes, senes, et feminas aggredi solent.

C. excitantes. 2. Si ex morbis, in quibus peticulae observantur, ad earum *caussas* arguere liceat; has tum in

82) De peste. Lib. IV. hist. 52.
83) L. c. P. I. sect. cadav. 8.
84) L. c. p. 12.
85) L. c. S. 398.
*) Brera *Giornale di medicina pratica*. Vol. 3. 1815.
**) L. c.

in contagium typhodes, tum in saburras primarum viarum locari oportebit.

3. Ad *caussam proximam* quod spectat, ponitur ea vulgo in sanguinis guttam, in rete mucosum cutis effusam, unde quaevis peticula pro parvo habetur ecchymomate. Opinio haec ab analogia peticularum cum morsibus pulicum, cum maculis scorbuticis, et a societate, quam facile cum haemorrhagiis ineunt, comprobari videtur, atque optime sic originem peticularum per hypotheses variorum systematum explicari licet. Nunc enim explicatur per solutionem et corruptelam sanguinis, nunc per laxitatem et atoniam solidorum, nunc per astheniam, nunc per defectum oxygeni et nimiam carbonici in humoribus copiam etc. Verum dum perpendimus, peticulas constanter figuram subrotundam offerre, eas vix unquam inter se confluere, atque uno fere temporis puncto saepe erumpere et evanescere; id saltem, quod characteri febrili et plerumque contagio alligatae sint, proprium habere censemus. Quid enim de *peticulis chronicis* cogitandum sit, alio loco [86]) trademus. Si hypothesi tantillum indulgere liceret, non alieni foremus, peticulas ex specifica secretione vasorum capillarium in cute, a caussa, statum medium inter inflammationem et haemorrhagiam tenente, repetere, quae opinio, quodammodo cum ea Swie- C. proxima.

TENII

86) Cap. de ecchymomate.

TENII [87]) conveniret. Nec ea admodum a REUSSII hypothesi differt.

§. X.

Diagnosis.

Facilis confusio.

1. Peticulae confundi possunt cum *morsibus pulicum*, cum *miliaribus rubris*, cum *morbillis*, cum *lentigine aestiva*, et cum *ecchymomate.*

Distinctio a morsibus pulicum.

2. Peticulae a *morsibus pulicum* distinguuntur: quod hi, saltem recentes, punctum in medio offerant, quodque sub compressione digiti evanescant. *Recentes* dicimus, nam alias maculae, ex morsibus pulicum natae, peticulis ita sunt similes, ut nonnisi habita ratione immunditiei, anni temporis insectis faventis etc. a se invicem distingui possint. Diagnoseos haec difficultas eo, quod utraeque maculae societatem inire queant, magis magisque augetur.

P. exanth. symptomaticum.

3. Peticulas ad exanthemata *symptomatica* ideo cum JOUBERTO [88]), CULLENIO [89]), MACBRIDIO [90]), BERGIO [91]) et FRANKIO [92]) revocavimus: quod stadio invasionis, gentilitiis symptomatibus instructo, destituantur, — quod tempore incerto erumpant, — quod

87) Comment. T. II. p. 404.

88) *Histoire de la société R. de médecine a.* 1776. p. 529.

89) Gen. morbor. ord. 3.

90) Introductio methodica in theoriam et praxin. T. II. cap. XI.

91) Acta academ. scientiarum Suecic. Vol. XXVIII.

92) L. c.

quod absoluta eruptione, nulla mutatio constans et conspicua in morbo contingat, — quod stadium efflorescentiae haud stabile sit, — quodque in diversis morbis occurrant. Verum non reticendum est, LEROY 93), BORSIERI 94), GIANNINI 95) aliosque praesertim inter recentiores *) contrarium defendere, peticulasque pro exanthemate *primario* propterea declarare, quod aequo jure febris, pro symptomate peticularum, quam peticulae, pro symptomate febris, haberi possit, quodque eruptio regularis et constans exanthematis, (testantibus scarlatina, morbillis et variolis, hinc inde eruptione prorsus adeo destitutis) ad morbum primarium constituendum, absoluta non requiratur. Argumenta hujusmodi, per examen morborum diversorum, in quibus peticulae quatenus symptoma obveniunt, magis magisque diluentur.

4. In *febre intermittente*, cujus, sub nomine *petechizantis*, mentio jam injecta est 96), peticulae, ut pluries in Insubria vidimus, vigente frigoris stadio erumpunt, durante calore perseverant, et cum sudore, ad ingressum novi paroxysmi usque, evanescunt. Interim, num ad peticulas, num vero ad ecchymomata pertinuerint hae maculae, dubitari licebit. Quomodocunque vero res haec P. in febr. intermittentibus.

so

93) L. c. p. 213.
94) L. c. §. 310.
95) L. c. cap. 6.
*) REUSS.
96) P. I. Vol. I. §. XXIV. 2.

se habeat, in diagnosi febris intermittentis sive petechizantis sive ecchymomaticae, ne morbum cum *febre continua*, peticulis sive ecchymomatibus stipata, confundamus, cavendum est. Facilior huic errori locus erit, ubi febres hae primis morbi diebus conspicuis remissionibus insignitae sunt, aut ubi aeger in nosocomio decumbens atque febre hucusque intermittente laborans, nunc a typho petechiali corripitur. Egregie de hoc argumento RICHA et BORSIERI [97]) scripserunt.

P. in febr. typhodibus. 5. Peticulas in *febribus typhodibus* vulgares esse, monuimus [98]). Mirum hinc non est, et probe sub librorum lectione adnotandum, quod scriptores, peticulas pro morbo primario habentes, cuncta febrium illarum symptomata, quasi ad exanthema pertinerent, exposuerint. — Peticulae in typho utplurimum adspectum luridum prae se ferunt ac saepe profunde in cute sepultae jacent.

P. in febr. gastrica. 6. Plerumque contrarium in *febribus gastricis* contingere solet; hic enim est, ubi potissimum peticulas illas rubras et super cutem elevatas conspeximus, quae peticulae, morbillorum instar florentes, *purpurae* nomen a nonnullis obtinuerunt [98]). Cave igitur, ne ex magnitudine peticularum malignam morbi naturam arguas, aut mox ex earum praesentia, ad febrem typhodem concludas.

7. De

97) L. l. c. c.

98) FRANK l. c. p. 118. — *Kieser in* HUFELAND's *Journal der pr. Heilk.* 1812. S. 36.

7. De peticulis, *exanthematum primariorum* et *phlegmasiarum* sociis, hos morbos illustrando loquemur. P. aliis in morbis.

§. XI.

Prognosis. Cura.

1. *Prognosis* febrium, peticulis stipatarum, ex illarum magis natura, quam ex his desumenda est, quin tamen hoc, quominus peticulae, instar aliorum symptomatum, pro *signo* habeantur, impediat. — Peticulae, aut saltem maculae peticulares, in *febribus intermittentibus* non injustam de *perniciosa* harum indole suspicionem movebunt. In *febribus* vero *typhodibus* peticulae potissimum mali ominis esse solent: dum ante quartum diem, et magis adhuc, dum ante reliqua symptomata febrilia evolvuntur; dum vix evolutae, jam evanescunt; dum eruptio ad unum duntaxat cutis locum limitatur; dum sub cute latent, aut tantillum diffluunt [99]); dum minimae et copiosae sunt, dumque colore violaceo sive nigro instruuntur. Exceptiones tamen haud paucas et ista patiuntur. Sic, in epidemia a TROLLI descripta, omnes, quibus peticulae *secundo* die proruperant, mitiorem brevioremque morbum passi sunt. Periculo magno peticulae *rubrae* stipatae erant apud LUDWIGIUM [100]). In genere, incertissimum ex solo peticularum *colore* fertur judicium. Mutatur enim Prognosis.

99) STRACK l. c. p. 26. 28.

100) Adversaria medico-practica. Vol. I. Part. I. p. 55.

enim hic vel unius horulae spatio et quidem, ut LINDIO videtur, a cubiculi mutata temperatura, ab animi pathematibus, a potu meraco, sed ut nos suspicamur, ex caussa saepe plane incognita. Periculosissimae sunt peticulae in febribus typhodibus cum *complicatione inflammatoria* quam PETRI A CASTRO sententiam ultro confirmatam vidimus. Benignae econtra esse solent peticulae in *febribus gastricis*, neque tamen hic eas *criticas* observavimus. Evanescunt potius accedente crisi. Diarrhoeam spontaneam in peticulis interdum salutarem esse, testatur quidem RICHA, at eam fatalem quoque fieri posse, omni jure animadvertit QUARIN [1]). Postremo, plus vice simplici, eundem hominem eas afficere posse [2]), non reticenda est observatio.

Cura. 2. Ad *praecavendas* peticulas, praecepta adversus febres, inprimis typhodes, exposita [3]), sequamur oportet. In *febre intermittente* sic dicta *petechizante*, a *cortice cinchonae*, priusquam de absentia complicationum certitudinem habeamus, cavendum, tunc autem idem cortex eo, quod ex neglecto morbo transitus in febrem continuam timendus sit [4]), audacter exhibendus est. *Unguentum mercuriale* a GIANNINI adversus peticulas in [illegible] febri-

1) De febribus. p. 112.

2) Ter eandem personam a peticulis correptam vidit ROBORETUS (l. c. cap. XI), bisque nonnullos custodes aegrorum in Nosocomio Vindobonensi, ego ipse conspexi.

3) P. I. Vol. I. §. LV.

4) BARONIO *istruzione sull' epidemia di Breno* 1801.

febribus typhodibus nuper commendatum [5]), ex mera hypothesi laudari supponimus. Praesentia peticularum in *febrium typhodum* cura nihil certe immutat, neque adspersioni frigidae adversatur *). Vel indicata ob complicationem inflammatoriam *venae sectio* [6]), non obstantibus peticulis, institui potest. Instituerunt eam PETRUS A CASTRO [7]), HAEN [8]) aliique. „Inprimis, inquit BORSIERI, ad faucium inflammationem respicere oportet. Si haec magna, venae sectio sine periculo omitti non potest [9]).“ — Salutaris revera sanguinis missio, hac sub rerum positione, in epidemia a. 1733. Edinburghi grassata, nec non in ea, de qua PINAROLI egit, observata fuit. Quam caute vero cruor hic mittendus sit, BORSIERIUM non latuit [10]). Sub re dubia, ad *cucurbitulas cruentas* potius confugiendum est. Nunquam hae nocuere in Mutinensi peticularum constitutione, in qua venae sectio plerumque fuit contraria. Sub *gastrica* febris peticularis natura, eadem, ac si exanthe-

5) L. c. p. 369.

*) P. I. Vol. I. §. LV. 8. REUSS l. c. 3 Absch. §. 153.

6) Ibid. 31.

7) L. c.

8) Rat. medend. T. IV. c. 6.

9) L. c. §. 355.

10) L. c. §. 354 et §. 357.

11) BORSIERI l. c. §. 353.

anthema deesset, medendi ratio manebit *). Si complicatio fuerit *inflammatoria temperaturae modicae* praecipue studendum est **). In genere, grassantibus febribus peticularibus, probe explorandum, num genius morbi epidemici forte methodum expectativam potius, quam activam exposcat. „Experientia enim saepissime demonstravit, eos qui naturae rem omnino commiserunt, felicius faciliusque de morbo triumphasse; — quod documentum debet esse iis, qui nunquam desinunt suos aegros medicamentis aliis atque aliis opprimere [11])".

Cap. III.

De Miliaribus.

---

§. XII.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. *Miliaria* [12]) sunt papulae, saepeque pustulae, figurae seminum milii, in diversis morbis acutis, praeviis plerumque febris exacerbatione, pectoris oppressione et sudoribus copiosis ac foetidis, prorumpentes.

Hip-

*) Reuss l. c. §. 180—198.

**) Reuss l. c. §. 169. Ast, ne quid nimis!

12) Germ. *Friesel.* Gall. *La miliaire.* Angl. *Rash.* Ross. Прóсовидная сыпь. Polon. *Fryzle, prosowa wysypka.*

2. HIPPOCRATEM miliaria descripsisse, jam monuimus [13]). Optime id eruditus atque elegantissimus scriptor TRILLER demonstravit [14]). Absoluta tamen illarum notio, seculo decimo septimo debetur, quo accurate de iis locuti sunt: RIVERIUS [15]), NEUCRANTZ [16]) et WELSCH [17]), quorum ultimorum auctorum ille miliaria *Lubecae*, hic *Lipsiae*, in pernicioso puerperarum morbo regnantia, descripserunt. Magis magisque miliarium doctrinam seculo decimo octavo illustrarunt SALZMANN [18]), QUESNOY [19]), BARKER [20]), FANTONI [21]), GASTELLIER [22]), ALLIONI [23]), BORSIERI [24]), Historia.

13) Cap. praeced. §. VII. 2.

14) Exercitatio pathologico-philologica de febre miliari, potissimum feminarum, priscis medicis graecis haud incognita, ad quaedam Hippocratis loca illustranda. Opusc. med. Vol. II. p. 326. Edit. KRAUSII. Frcf. 1766.

15) Prax. med. Lib. XVII. sect. 3. cap. I. obs. 21.

16) De purpura liber singularis. Lubec. 1648.

17) Historia medica novum istum puerperarum morbum continens, qui ipsis *der Friesel* dicitur. Lips. 1655.

18) Historia febris miliaris albae Argentoratum et viciniam ante biennium infestantis. Argent. 1736.

19) *L'art de guérir par la saignée. Paris* 1736.

20) *Observations on the present epidemic fever. Lond.* 1741.

21) Specimen observationum de acutis febribus miliaribus. Nissa 1762.

22) *Essay sur la fièvre miliaire. Paris* 1773. — *Sur la fièvre miliaire des femmes en couche. Montarg.* 1779.

23) Tractatus de miliarium origine, progressu, natura et curatione. August. Taurinorum 1758. Altera editio a. 1792.

J. P. Frank [25]) aliique infra commendandi scriptores. Praesenti seculo memorabilis est febris, miliaribus stipata, quae a. 1801 *Wittenbergae* grassabatur, atque graphice a Kreyssigio descripta fuit [26]).

§. XIII.

Symptomata. Autopsia cadaverum.

Symptomata. 1. Miliaria plerumque a febris exacerbatione, a pectoris oppressione et a sudoribus copiosis ac foetidis *praecedi*, jam dictum est. Febris exacerbatio utplurimum cum horripilatione orditur, quae in genere aegris hic, vel minima porrecta occasione, admodum familiaris est. Subsequens aestus saepe saepius non solum pectoris oppressione, sed et peculiari anxietate, jactatione, doloribus vagis atque crampis potissimum manuum et surarum, stipatur. Sudor saepissime acidum spirat. Praeter enarrata prodroma, dantur alia, certis solummodo epidemiis propria. Hujusmodi sunt: pulsus post novem, undecim, aut sedecim ictus intermit-

1792, cui accessit ejusdem auctoris conspectus praesentaneae morborum conditionis. 1793.

24) Instit. Vol. II. cap. XI.

25) Epitom. Vol. III. p. 129.

26) *Abhandlung über das Scharlachfieber nebst Beschreibung einer sehr bösartigen Frieselkrankheit.* Leipz. 1802. Vid. Hufeland's *Journal der pr. Heilkunde.* 13. B. 3. St. S. 41.

27) Gastellier l. c. p. 83. 84.

mittens [27]), stillicidium sanguinis e naribus [28]), deglutitio impedita [29]), sitis absentia [30]), potus aversio [31]), hydrophobia [32]), motus convulsivi [33]), somnus perturbatus, agrypnia, lipothymiae, molesti mingendi conatus, urina pallida [34]) aliaque minus adhuc constantia, a BALDINGERO [35]) collecta. Incerto admodum tempore miliaria *prodire* solent; nunc enim in primo morbi limine [36]), nunc die tantum trigesimo quarto [37]), plerumque quinto, sexto, aliquando, ut vidimus, vigesimo primo, interdum in ipso articulo mortis [38]). *Eruptio*, praevio saepe cutis pruritu, locum habere solet, primum ad latera colli, ad mammas, ad regionem epigastricam et ad superficiem internam brachiorum, dein ad dorsum, ad abdomen inferius, atque ad reliquum demum corpus, rarissime tamen ad faciem et nunquam ad partem capillatam capitis. Alio interim ordine miliaria interdum prorumpunt. Ut-

28) GMELIN de febre miliari. Tubing. 1752. p. 45.

29) BRENDEL de cognoscendis et curandis morbis. T. II. p. 253.

30) BARAILLON in *mémoires de la Société Roy. de médecine.* T. I. p. 193. Paris 1779.

31) BORSIERI l. c. §. 392.

32) KREBS *in* BALDINGER's *Magazin f. Aerzte.* 6. B.

33) GMELIN l. c.

34) FRANK l. c. p. 134.

35) L. c. 5. B. S. 295.

36) KREYSSIG l. c. S. 61.

37) BORSIERI l. c. §. 394.

38) GMELIN l. c. p. 47.

Utplurimum eruptio per repetita conamina, rarissime enim uno temporis puncto per universum corpus [39]), contingit. *Copia* miliarium plerumque innumerabilis. Nihilominus rarius et nunquam in universa corporis superficie [40]) confluunt. Cutis, cui miliaria insident, color utplurimum non mutatur. *Volumen* miliarium diversum est. Tam exigua ea invenimus, ut oculorum aciem fugerent et, rite monente Mead [41]), non nisi tactu perciperentur. Alias miliaria magnitudinem seminum milii excedunt atque ad eam lentium accedunt. Vidimus talia descripsitque Camerarius [42]). Nunquam vero maxima illa miliaria, de quibus hinc inde in fastis medicis mentio fit [43]), quaeque procul dubio ad *bullas* pertinebant, observavimus. Miliaria, quae sub forma *papularum* prorumpunt, utplurimum, saltem ab initio, *colore rubro* instruuntur: utplurimum dicimus, nam et *alba* observata fuere [44]). Miliaria, e contra, formam *pustularum*

39) Kreyssig l. c.

40) Miliaria in nonnullis locis confluentia vidi cum Goelicke (de purpura alba confluente. Erfurt. 1740) et Störk (ann. med. I. p. 66).

41) Monita et praecept. pract. p. 14.

42) Aegra purpura alba majori laborans. Diss. Tubing. 1723.

43) *Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte.* 1. B. 1. St. S. 64. — Borsieri l. c. §. 387.

44) Becker Diss. de purpura alba maligna et benigna seu chronica. Halae 1758.

larum referentia, plerumque *alba* sunt. Miliaria hujusmodi nonnunquam *basi rubra* et *apice albo*, suppurato, obveniunt. Liquidum in miliaribus pustulosis contentum nunc est diaphanum, coloris margaritae (*Miliaria crystallina*) [45]), nunc serosum (*M. aquosa*) [46]), nuncque purulentum, quasi lacteum (*M. purulenta, lactea*) [47]), nunquam vero acre, rodens, foetens. Saepe variae miliarium formae simul uno eodemque in aegro occurrunt [48]). Peracta miliarium eruptione, febris vel eodem pacto continuat, vel increscit, vel infringitur, quod ultimum interdum ita evidenter contingit, ut ea fere critica dici queant. Miliaria autem in totum critica non vidimus, viderunt quandoque M. COLLIN [49]), QUARIN [50]) etc. *Duratio efflorescentiae* plane incerta, nunc enim ad paucas solum horas, nunc ad plurimos dies protrahi solet. — Miliaria *papulosa*, sensim sensimque in *furfura*, raro in *squamas*, desinunt. Miliaria *pustulosa* interdum flaccida fiunt, resorpto scilicet liquido, quo distendebantur, alias disrupta, *squamas* duriores

45) STORCH Prax. Stahlian. p. 744. — HAMILTON tract. de febre miliari. Ulm 1712. cap. I.
46) Collect. Wratislav. a 1724. mense Maii. p. 485.
47) Ephem. natur. curios. Dec. III. a. 7. 8. obs. 206.
48) KREYSSIG l. c. S. 60.
49) Epistola ad BALDINGERUM, qua demonstratur, pustulas miliares male factitias et symptomaticas dici. Viennae 1765.
50) L. c.

res, fere *crustas* exhibent. Hinc inde exanthema hoc, nullo relicto vestigio, evanescit.

Autopsia cadaverum.

2. Observationes eorum, qui cadavera hominum cum miliaribus demortuorum dissecuerunt, ad trutinam revocantes, nil plane, quod cum iis cohaereat, invenimus. Continent enim historiae sectionum vel reliquias variorum morborum, quorum symptomata miliaria fuerunt, e. c. febris puerperalis, metritidis; vel nil prorsus, quod in sensus caderet, e. c. post typhum. Ellerum miliaria detexisse *interna*, superficiem scilicet hepatis et intestinorum occupantia [51]), retinendum est.

§. XIV.

C a u s s a e.

C. praedisponentes.

1. Miliaria potissimum in regionibus paludosis [52]), vernali tempore, aetate media, in hominibus constitutionis laxae, vitamque sedentariam ducentibus, nec non in puerperis obvenire solent.

C. excitantes.

2. Excitari videntur miliaria a sanguinis jactura [53]), a laesionibus nervorum [54]) et inprimis me-

51) Observationes de cognoscendis et curandis morbis. p. 131.

52) E. c. Mantovae (*Astr* anno medico terzo, ossia storia delle malattie dell' anno 1783), Wittenbergae (Kreyssig l. c. p. 95).

53) Jam Cullen monuit, miliaria magis communia esse in feminis, largis menstruis obnoxiis, et in viris, multo sanguine per vulnera orbatis. Et ego frequentius idem exanthema in peripneumoniis, ubi sanguis praeter modum mittebatur, conspexi.

medullae spinalis [55]), a cohibita lactis secretione, atque a contagio typhi [56]). Opinio HAENII, qui ortum miliarium regimini sudorifero ac neglectae primarum viarum evacuationi adscripserat [57]), a contemporaneis suis [58]) et a posterorum experientia [59]) satis reprobata est. Caeterum, sudores copiosos posse papulas et pustulas excitare, miliaribus similes (*hydroa*), quod nec HIPPOCRATEM latuit [60]) haud negandum est. Errorem in diagnosi vel ii commisisse videntur, qui miliaria ab usu interno arsenici [61]), muriatis superoxygenati hydrargyri [62]) et acidi nitrici [63]) repetierunt.

3. Caus.

54) Miliaria visa sunt a BORSIERI post fracturas (l. c. §. 404), a WERLHOFF post laesiones tendinum et a J. P. FRANK post vulnera (Epit. l. c. p. 141).

55) Puella, quae ictus, spinae vertebrali illati, caussa in convulsiones et hydrophobiam inciderat, copiosa miliaria mihi obtulit.

56) Non ipsa hinc miliaria, sed typhum, sub quo comparent, contagium exhalare, credo.

57) Theses de febribus. Vindob. 1760.

58) COLLIN l. c.

59) Praesenti aevo, quamvis magna pars medicorum, saltem Germaniae, febres solis fere calefacientibus pertractaverit, attamen miliaria haud frequentius quam antea comparuerunt.

60) Aph. 21. sect. 3.

61) SAUVAGES Nosol. T. I. p. 401. — DEGRANGE in *Recueil périodique*. n. 31.

62) FANTONI novum specimen observat. de ortu febris miliaris.

63) DEGRANGE l. c.

C. proxima. 3. Caussam proximam miliarium quaesiverunt, nunc in acida humorum conditione [64], nunc in putredine sanguinis [65], nunc in principio subtili cum caussa hydrophobiae affinitatem alente [66], nunc in vermibus et insectis [67], nunc in laesa excretione uterina [68]; quarum hypothesium insulsarum partem majori, quam possidemus, patientia Borsieri exposuit [69].

§. XV.

Diagnosis.

Facilis confusio. 1. Sudores, stadium invasionis miliarium concomitantes, non dudum timorem redeuntis *febris sudatoriae Britannicae* incusserunt [70]. In genere autem miliaria confundi possunt cum *peticulis*, cum *bullis*, cum *urticaria papulosa*, cum *zostere*, cum *exanthemate mercuriali*, cum *scarlatina miliformi*, cum *morbillis*, cum *rubeola*, cum *hydroa*, et cum *herpete miliformi*.

Distinctio a peticulis. 2. Inter *peticulas* eae duntaxat, quae morbillis similes sunt, cum *miliaribus rubris*, *papulosis*, con-

64) Fr. Hoffmann. Ramazzini.

65) Damilano. Gastellier.

66) Allioni.

67) Goelicke Diss. observationes aliquot practico-clinicas, circa febrem vesicularem exhibens. Erf 1732.

68) Brefeld *in* Horn's *Archiv für med. Erfahrung.* 3. B. 1. H. S. 129.

69) L. c. §. 422—431.

70) Fourcroy *médecine eclairée* etc. Vol. 2. p. 47.)

confundi queunt. Error hic evitatur, habita ratione tum symptomatum prodromorum, tum morborum regnantium.

3. Sciendum autem est, *miliaria cum peticulis* coire posse. Connubium hujusmodi, de quo inter alios docte BORSIERI loquitur [71]), saepius a nobis in typho nosocomii Vindobonensis observabatur. Miliaria post peticulas erumpere solebant. Complicatio m. cum peticulis.

4. Miliaria ad exanthemata *symptomatica* revocamus: quoniam, uti mox palam fiet, in morbis admodum diversis prorumpunt, — quoniam eorum curriculum nequaquam constans est, — et quoniam nullam caussam specificam agnoscere videntur. Nihilominus negari haud potest, miliaria quid peculiare, in symptomatibus prodromis habere. Caeterum nec haec constanter observantur [72]), quamvis auctorum observationibus, ob id, quod haud raro *hydroa* pro miliari exanthemate descripserint, non aequa semper fides habenda sit. M. exanth. symptomaticum.

5. *Febres intermittentes*, praecipue *tertianae*, interdum exanthema offerunt, miliari saltem admodum simile, potissimum sub stadio sudoris efflorescens. Cavendum ob id, ne cum *hydroa sudamine* confundatur, ad quem errorem evitandum refert, maxime ad praesentiam sive absentiam symptomatum prodromorum miliarium respicere. M. in febr. intermittentibus.

71) L. c. §. 406.

72) Sudores in miliaribus defuisse vidit BAUER (Primitia physic. med. Vol. II.), eosque nequaquam acidos fuisse observavit GESNER (*med. Beobachtungen.* 3. B. S. 125).

cere. Cavendum quoque, ne forte *febrem continuam*, miliaribus et conspicuis *remissionibus* stipatam, sicuti in Wittenbergensi epidemia saepe observata est [73]), et sicuti saepe apud puerperas occurrit, pro intermittente habeamus, de quo argumento iterum Borsieri legi meretur [74]).

M. in febr. typhodibus. 6. De miliaribus in *febribus typhodibus* jam diximus [75]). Hac in febre miliaria certe saepissime erumpere solent, ac in ea versamur opinione, praecipuas epidemias febrium miliarium malignarum, de quibus fasti medici loquuntur, nihil aliud, nisi febres typhodes, miliaribus insignitas, fuisse.

M. in febr. gastricis. 7. Rarius miliaria *febres gastricas* comitantur. Observata tamen fuerunt, vel in ipsis *biliosis* [76]), vidimusque ea aliquoties in *pituitosa*, ubi facile connubium cum *aphthis* iniverunt.

M. in febr. catarrhalibus. 8. Miliaria a *febribus catarrhalibus* non esse aliena, jam monuimus [77]). Nec a praesentia talis exanthematis morbo primario malignitatis character imponitur. *Benignas* enim febres catarrhales, in quibus miliaria septimo morbi die prorumpebant, observavimus. In febribus catarrhalibus typhodibus ea plerumque longe tardius efflorescunt.

§. XVI.

73) Kreyssig l. c.

74) Op. c. Vol. I. §. 178.

75) P. I. Vol. I. §. XLIX. 4.

76) Boucher in *Journal de médecine*. *Sept.* 1781. p. 272.

77) P. I. Vol. I. §. LXV. 3.

§. XVI.

Prognosis. Cura.

1. Miliarium *prognosis*, ex indole morbi primarii desumitur. Hoc in opere praecipue ad genium epidemiae respiciendum est. Quocunque autem in casu miliaria nunquam flocci pendenda sunt. Caeteris paribus *bonum*: dum miliaria in primo haud comparent morbi limine; — dum iis comparentibus, symptomata prodroma (excepto moderato sudore) evanescunt, vel saltem multum remittunt; — dum ipsa morbi primarii symptomata ab eruptione miliarium leniuntur, praecipue dum pulsus ex contracto fit expansus et urina ex pallida tincta; — dum miliaria non admodum exigua sunt; — dumque eruptio nec pauca et partialis est, nec copiosa et universalis. Contraria *mala*. Ita quoque repentina, sine nota caussa, in pejus mutatio, vel magna anxietas et jactatio, vel mortis, in aegris nec hypochondriacis nec hystericis, timor. Eruptiones miliarium, per plura conamina operatae, morbum plerumque longum praesagiunt. Ex *colore* quidem miliarium decerni nil potest; rubra tamen, saltem ad basin, albis praeferuntur. Econtra, pellucida, crystallina et lactea deteriora haberi solent. Diarrhoea modica utplurimum proficua; serosa autem et vires posternens mala. Nullum denique exanthema facilius quam miliaria subsidet ac evanescit. Praecipue Prognosis.

hoc

hoc timendum est, ubi morbus ingravescit, inprimis symptomatibus nervosis, viscerum passionibus, vel, quod probe notandum est, affectione systematis muscularis, simul accedentibus.

Cura. 2. Quocunque in morbo miliaria occurrant, nihil ea in medendi methodo immutant. Utile interim esse censemus, nonnullorum remediorum in variis morbis, qui cum miliaribus incedunt, usum ad trutinam vocare. Et primum quidem de *cortice cinchonae officinalis*. Usum hujus corticis Allioni, a propria hypothesi conductus, vel in ipsa sic dicta *febre intermittente* miliari restrinxit [78]), paulo vero infra ipse hic auctor, se duos aegros ob procrastinatam hujus remedii administrationem amisisse, fateri cogitur. Kreyssig cinchonam vel in ipsa *febre continua* miliari laudat [79]); — juxta haec laus erit, absente complicatione gastrica ac sub iisdem rerum positionibus, sub quibus insigne hoc remedium in typho commendavimus [80]). Praesente vitio *gastrico*, miliaria, sicut in Wittenbergensi epidemia, *emetico*, aliunde indicato, nequaquam obstant. Utrum in morbis miliaribus *acida*, utrum vero *alcalina* exhibenda vel proscribenda sint remedia, cum armis prorsus hypotheticis inter medicos pugnatum fuit. Utrisque certe auxiliis, secundum indicationes alibi

78) L. c. §. 210.

79) L. c. p. 109.

80) P. I. Vol. I. §. LV. 28.

alibi traditas [81]), locum esse, docet experientia. Idem de *moscho* valet, praesente anxietate, oppressione pectoris, singultu, pulsu contracto, urina pallida magnaque virium prostratione admodum commendando. Sub hac ipsa rerum positione *murias hydrargyri* multum laudatur [82]. Adhibebatur jam a GESNERO cum *Kermete* ad promovendam miliarium eruptionem [83]. Immo remedium, olim in febribus miliaribus, sub nomine *pulveris tunquinensis* [84]), admodum celebratum, virtutem suam a connubio *mercurii* cum *moscho*, repetiisse videtur. — *Camphorae* quidem laudes restrinxerunt de AGOSTINI [85]), GASTELLIER [86]) et BORSIERI [87]), at secure eandem, modo recte indicatam [88]), exhiberi posse, edocti sumus Idem de *vesicatoriis* dicendum est, nunc laudatis, nunc vituperatis, prout in diversis morbis, miliaribus stipatis, jure aut immerito adhibita fuere A vesicatoriis enim aeque ac ab omnibus irritantibus sane absti-

81) Ibid., §. LV. 15. 23.

82) KREYSSIG l. c. p. 110.

83) *Sammlung von Beobachtungen* 4. B. S. 176. 204.

84) Rec. Cinabaris nativi, coccinellae āā grana viginti quatuor. Moschi optimi grana sedecim. M. f. pulvis, dandus pro una dosi, aut in duas dividendus. (VOGEL in acad. praelection. §. 141.).

85) *Osservazioni medico-pratiche intorno alle febbri miliari* etc. *Novara* 1755.

86) L. c. p. 362.

87) Op. c. Vol. II. §. 443.

abstinendum foret, si miliaria febrem comitarentur indolis *inflammatoriae*. Hoc in casu exanthema, de quo agitur, nec *venae sectioni* obstat, immo in epidemia miliari novariensi a. 1755, omnes, quibus vena *non* erat secta, morte plectebantur [88]. Aliis in epidemiis exempla extant contraria [89]. *Cucurbitulis cruentis*, etiamsi indicatis, ob vix evitandae refrigerationis periculum, hic raro locus esse potest. Nullo enim in exanthemate frigus, magis quam in miliaribus obest. Maxime hinc applicationem linteorum *aqua frigida* madefactorum ad extremitates, nuper in febribus miliaribus commendatam esse [90] miramur. *Retrocessus* miliarium secundum regulas generales [91] curatur. *Convalescentes* regimini severo, eo quod miliaria vel sub provecta jam convalescentia, interdum recrudescant [92], subjiciendi sunt.

88) De Agostini l. c.

89) Allioni l. c. §. 141.

90) Horn's *Archiv für med. Erfahrung.* B. V.

91) §. VI. 14.

92) Kreyssig l. c.

CAP. IV.

De Bullis.

§. XVII.

Definitio. Historia.

1. *Bullas* nuncupamus vesicas magnitudinis circiter amygdalarum, plerumque sero flavescente repletas, in nonnullis morbis febrilibus erumpentes. Definitio.

2. De febre, bullis stipata, sive de *febre pemphigode* jam apud HIPPOCRATEM legitur 93), at divi senis verba interpretari est arduum 94). Primum de bullis, sub nomine hydatidum, exacte scripsit CAROLUS PISO 95). Earum quoque obiter meminit MORTON, de febre sporadica, cum *vesiculis aqueis* per collum et pectus sparsis, loquens 96). Absolutam bullarum descriptionem THIERY 97) et LANG- Historia.

93) In sexto epidem. libro. Sect. I.

94) Vid. edit. Hippocr. CHARTERI T. IX. p. 38. et FOESII oecon. Hipp. p. 297.

95) De morbis a serosa colluvie et diluvie ortis. Obs. 149.

96) Appendix secundae exercitationis. p. 163. Opp. omnia, Genevae 1727.

97) Médecine expérimentale p. 134. Paris 1755.

LANGHANS [98]) dederunt; quorum ille epidemiam a 1736 in exercitu Gallorum *Pragae* regnantem; — hic epidemiam, *Helvetiam* depopulantem, descripsit. Maxime medicorum attentionem ad bullas traxit SAUVAGES [99]). *Pemphigi* iis nomen, quod dein plurimi de bullis scriptores immerito retinuere, imposuit. Inter eos praecipue legi merentur: SELIGER [100]), SCHROEDER [1]), STEWART [2]), DICKSON [3]), UPTON [4]), CHRISTIE [5]), SALABERT [6]), RING [7]), BLAGDEN [8]), HALL [9]), MICHAELIS

98) Acta Helvetica. T. II. p. 260.

99) Nosol. cl. III. ord. I. gen. 3.

100) Ephem. nat. cur. an. VI. et VII. obs. 57.

1) Historia febris bilioso - pituitoso - putridae, quae ab initio decembris 1783 in variis Hassiae regionibus epidemice grassata est.

2) DUNCAN medical comment. Vol. VI. a. 1778.

3) Transactions of the R. Irish Academ. Vol. I. Dublin 1787. Vide *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 13. B. S. 133.

4) Memoirs of the medical society of London. Vol. 3.

5) London medical journal Vol. 10. Part. 4. p. 36. Vide *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte* l. c. S. 491.

6) Journal de médecine Vol. 72. a. 1790. p. 66. Vide *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte* l. c. S. 544.

7) London medical Journal. Vol. II. Part. 3. p. 234. Vide *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* l. c. S. 624.

8) Medical facts. Vol. I. p. 105. Vide *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte* 14. B. S. 673.

9) Transactions of medicine for the year 1798. By DUN-

LIS [10]), GARN [11]), HENNIG [12]), WICHMANN [13]), BRAUNE [14]) et SAVARY [15]).

§. XVIII.

Symptomata. Caussae.

1. Bullae quidem absque certis symptomatibus *prodromis* [16]), nulla determinata morbi die [17]), erumpunt, plerumque tamen aeger in loco, quo eruptio imminet, dolorem urentem accusat. Accedit Symptomata.

CAN. Vol. 3. p. 386. Vide *Samml. auserl. Abh. f. prakt. Aerzte* 18. B. S. 483. Medical records and researches. p. 283. Vide *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte* 20. B. S. 192.

10) HUFELAND's *Journal der prakt. Heilkunde* 3. B. S. 187.

11) Ibid. 6. B. S. 359.

12) Ibid. 21. B. S. 121.

13) *Beytrag zur Kenntniss des Pemphigus.* Erfurt. 1791.

14) *Versuch über den Pemphigus und das Blasenfieber.* Leipzig. 1795.

15) Journal de médecine. Vol. 22. Septbr. 1811. p. 203.

16) Praecessisse bullis sitim, pectoris et praecordiorum oppressionem (REIL memorabilia clinica. Vol. I. Fasc. 2. p. 147.) et dysuriam (SALABERT et SAVARESY) refertur; huiusmodi interim symptomata ad febrem potius, quam ad bullas spectasse, opinor.

17) Omni jure DICKSON opinionem CULLENII, qui periodum eruptionis inter primum et tertium diem morbi collocavit, improbat. Bullas decimo sexto morbi die comparuisse vidi, atque UPTON febrem eruptionem secutam esse adnotat.

dit levis cutis rubor, sat late diffusus, aliquando sublividus, cui *eruptio* bullarum, utplurimum celerrime, hinc inde postridie tantum, succedit. Bullae, ab initio, saepissime pisi magnitudine cernuntur; maxima autem earum pars rapide ad volumen circiter amygdalarum increscit. Minores nucis avellanae, et majores nucis moschatae instar, nunquam vero ampliores, conspeximus, conspexerunt alii. Serum fere semper flavescens, inodorum continent. Bullas tamen, liquore puriformi repletas, vidimus. Ex serosis eae cruentae et ichorosae factae sunt apud STEWART. Absoluto *eruptionis* opere, pruritus et cutis rubor evanescunt, excepto interdum halone rubro, sat diu bullas circumambiente. Nulli quidem corporis parti bullae parcent; saepissime tamen crura sibi eligunt; frequenter pectus, collum et brachia, nonnunquam, ut observavimus, dorsum, aliàs genas, frontem, partem capillatam capitis [18]), orificium meatus auditorii [19]), orisque cavum [20]) adoriuntur. Immo, faucium dolor et diarrhoea cruenta, quibus aegri bullis affecti hinc inde laborant, exanthema hujusmodi tunc vel oesophagum cum reliquo tubo intestinali occupare verisimile reddunt. Suspicio haec quodammodo ab observationibus UPTONI confirmatur. *Copia* bullarum aliquando exigua est

18) BLAGDEN.

19) HALL.

20) BLAGDEN, LANGHANS et DICKSON.

est et tantum ad octo, decem, quatuordecim vesiculas extenditur; aliàs longe hunc numerum, quin tamen eae inter se confluant, excedit. Saepe in decursu morbi nihil immutat bullarum adparitio, nonnunquam cuncta inde symptomata vel augentur, vel imminuuntur, vel evanescunt. Exanthema hoc non diu, et raro ultra nychthemerum formam descriptam retinet. Enim vero saepe bullae, tum ex aegri decubitu, tum sponte, rumpuntur, vel resorpto sero, relinquuntur vacuae. Quocunque in casu, cuticula, quae circumferentiam bullae prius effecerat, flaccida redditur, atque sensim sensimque corrugatur, relicta basi, instar carnis crudae, rubra vel exsiccatura, vel tenuissima obscuraque crusta cooperienda. Quo tempore primae bullae evanescunt, erumpunt novae, atque ita res plures per dies, ne dicamus unam alteramve per hebdomadem, contingunt.

2. Infantes, juvenes, et feminae, bullis praecipue subjiciuntur. Eas connatas vidit Osiander [21]), vel quarto a nativitate die erumpentes Ring. Michaelis infantis sex mensium, ubera matris, herpete faciei detentae, sugentis ac bullis adfecti meminit. Hae apud Garn variolas, et apud Stewart morbillos prope secutae sunt. Utplurimum vero bullae morbos febriles ex inedia, ex humorum jactura et ex contagio comitantur [22]). Caussae.

Ipsas

21) *Denkwürdigkeiten.*

22) Magna inedia laborabat exercitus Gallorum tempore epidemiae supra allatae. Aegri Sauvagesii bullis

Ipsas igitur bullas, quamvis contagio destitutas ac nequidem per insitionem communicandas, pro contagiosis declaratas fuisse, non mirum est.

§. XIX.

Diagnosis.

Facilis confusio.

1. Bullae confundi possunt: cum *vesicis accidentalibus*, cum *miliaribus*, cum *erysipelate pustuloso*, cum *variolis abnormibus*, cum *varicella*, cum *zostere*, cum *hydroa* et cum *pemphigo*.

Distinctio a vesicis accidentalibus.

2. Accidit interdum, quod aegri, sive delirantes, sive soporosi, loca a vesicatoriis occupata cum digitis scalpant[23]), atque hos, a cantharidibus conspurcatos, aliis cutis partibus admoveant, qua ratione, ut *vesicae* oriantur, *bullis* plane similes, contingit. Caveri igitur oportet, ne hae pro symptomate morbi habeantur.

Distinctio a miliaribus.

3. Maxima illa *miliaria*, de quibus fasti medici loquuntur, proprie ad *bullas* pertinuisse, jam monuimus [24]); cui errandi occasioni sequentem hic utriusque exanthematis comparationem opponimus.

Milia-

affecti, erant milites egeni et mendicantes. Aegra Henningii ergastulo inclusa erat. Proprii aegri omnes nosocomiales fuerunt, ac nonnulli nimiis venae sectionibus exhausti.

23) P. I. Vol. I. §. XLIX. 4. not. 16.

24) Cap. praeced. §. XIII. 1.

Miliaria.	*Bullae.*
a. Symptomata *prodroma* fere constantia agnoscunt.	a. Symptomatibus *prodromis* certis destituuntur, ac nunquam a copioso et specifico sudore praecedi solent.
b. Morbus puerperis familiaris.	b. Unum solummodo exemplum in puerperis habemus [25]).
c. Raro in infantibus locum obtinent.	c. Saepius in aetate infantili obveniunt.
d. Eruptio solummodo a *pruritu* annuntiari solet.	d. Eruptio a *dolore ardente* plerumque praesagitur.
e. Efflorescunt utplurimum ad *latera colli*, ad pectus etc.	e. Efflorescunt utplurimum ad *crura*.
f. Saepe *papulas* referunt.	f. Constanter *vesiculas* exhibent.
g. Maximum volumen, illud *lentium* est.	g. Minimum volumen illud *amygdalarum* vel *pisi* majoris est.
h. Colore sive rubro, sive albo, sive mixto instruuntur.	h. Colorem flavum, fere aurantiacum referunt.
i. Facile retrocedunt.	i. Nullum retrocessus exemplum habetur.

4. Bul-

25) Fick diss. de febre vesiculari ab obstructione lochiorum. Jenae 1726.

B. exanthema symptomaticum. 4. Bullae societatem inire solent cum *febribus intermittentibus*, cum *typhodibus* et *gastricis*, nec non cum *arthritide*, *peripneumonia* et *dysenteria*.

B. in febr. intermittentibus. 5. Bullas a *febribus intermittentibus* haud alienas esse jam Piso observavit, bisque eas in tertiana duplici vidit Braune. Nunquam vestigium earum hic deteximus, ac probe, ne *hydroa*, febribus intermittentibus familiare, cum bullis confundamus, cavendum est.

B. in febre typhode. 6. Bullae prae aliis morbis in *febribus typhodibus* obveniunt. Huc epidemiae a Thiery et Langhans descriptae et casus a Selle [26]) nec non a nobis observati, pertinent. Ipse Cullen bullas, quas senex tantum observavit, pro symptomate typhi declaravit.

B. in febre gastricis. 7. In *febribus gastricis* bullas viderunt Schröder, Finke [27]) et Christie. Neque complicationem inflammatoriam hic respuunt, testante Salabert.

B. in arthritide. 8. Exempla haud desiderantur, ubi in *arthritide* inopinate bullae oriebantur, cum tumore oedematoso totius corporis, pustulis magnis, ubique dispersis, sero puriformi repletis, cum delirio perpetuo, sudore profuso, excrementis involuntariis et eventu inter triduum funesto [28]).

8. Du-

26) *Beyträge* I. Thl. S. 100.

27) De morbo bilioso anomalo. p. 110.

28) Acta Societ. Med. R. Havniensis. Vol. I. p. 8.

9. Duobus in *peripneumoniae* casibus nos ipsi bullas conspeximus. Unus aegrorum antehac hepatitide laborasse videbatur, quod bullarum exemplum memorabile apud J. P. FRANK legi meretur [29]). B. in peripneumonia.

10. De bullis, in *dysenteria* obvenientibus, exempla collegerunt BONTIUS [30]), RENGER [31]) aliique. Ni fallimur, dysenteriae indoles typhodes erat. B. in dysenteriis.

§. XX.

Prognosis. Cura.

1. *Prognosin* bullarum ex indole morbi primarii desumendam esse, per se patet. Eas semel *criticas* vidimus, viditque SALABERT. Infantes facillime morbum perferunt. De summo autem periculo bullae in febre typhode epidemica testari solent. Ex absorptione seri, in vesicis contenti, nullum observavimus damnum. Prognosis.

2. *Cura* bullarum morbo primario prorsus accommodanda est. Infantes plerumque sine pharmacis a bullis liberantur. Praesente magna virium jactura, *cortex cinchonae officinalis* et *vinum* uno ore celebrantur. Immo MACBRIDE singulos infantes bullis affectos in Hibernia mortuos vidit, quibus cortex non fuerit porrectus, quod nostrae oppositum est experientiae. In epidemia Pragensi ace- Cura.

29) Epitom. l. c. p. 265.
30) De medicina Indorum. p. 38.
31) *Museum der Heilkunde.* 2. B. S. 102.

acetum bezoarticum optime conduxit. Vigente diathesi gastrica, bullae ea potissime alvum evacuantia exposcunt, quae simul transpirationis officium promovent. Si natura peripneumoniae, bullis stipatae, venae sectionem expeteret, ea non obstante exanthemate, instituenda foret. Quocunque in morbo bullae compareant, secretionis urinae ratio habenda est. Bullae ipsae, quas aperiri nil vetat, nullis indigent remediis localibus.

Cap. V.

De Urticaria.

§. XXI.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. Maculae, aut tubercula, citissime prorumpentia, summe prurientia, basi inaequali, ac si cutis ab urticis caesa fuisset, instructa, sub frigore, plerumque evidentiora, fugacia, cum febre, *urticariam* 32) constituunt.

2. Cel-

32) *Germ.* Nesselausschlag. *Gall.* Fièvre ortiée. *Angl.* The nettle-rash. *Ross.* крапивная сыпь *Pol.* Pokrzywka.

2. Celsus obiter, morbi cutanei sub nomine *aspritudinis* meminit, iis pustulis, quae ex urtica (vel ex sudore) nascuntur, similis [33]. Longe clarius Sydenham urticariam, quo loco *de altera febris erysipelatosae specie* locutus est, descripsit [34]. Ita quoque Sennertus, qui nomina arabica *esserae*, *sorae*, retinuit [35]. Serius idem exanthema apud varios auctores sub nominibus *purpurae urticatae* [36], *febris urticatae* [37], *porcellanae* [38], *scarlatinae urticatae* [39] etc. obvenit. Optimi de eo scriptores sunt: Heberden [40], Vogel [41], Wichmann [42], J. P. Frank [43] et Koch [44]. Historia.

§. XXII.

33) Medicina Lib. I. cap. XXVIII. 15.
34) Opp. Sect. VI. cap. 6.
35) Med. Praxis. Lib. V. P. I. cap. 26. — Chemniz Diss. de essera Arabum. Hafn. 1703.
36) Junker Tab. 75.
37) Vogel de cognoscendis et curandis etc. §. 158.
38) Lieutaud Synops. med. T. I. Lib. I. Sect. 4.
39) Sauvages Nosologie, cl. 3. ord. I. gen. 8. spec. 2.
40) Medical Transactions Vol. 2. Art. 11.
41) L. c.
42) *Ideen zur Diagnostik.* 3 Thl. S. 121.
43) Epit. Vol. III. p. 104. et praecipue: Interpretationes clinicae. Vol I. p. 405. Tubingae 1812.
44) Progr. de febre urticata. Lips. 1792.

§. XXII.

Symptomata. Caussae.

Symptomata. 1. Urticaria *symptomatibus prodromis*, pro varia febris indole diversis, non destituitur. In genere huc pertinent: lassitudo, torpor, capitis gravitas, vertigo, lipothymia, pectoris oppressio, nec non tussicula. Sunt, qui et sudores acidos inter symptomata prodroma hujusmodi exanthematis referant; vehementer tamen timemus, ne ii miliaria pro urticaria habuerint. *Eruptio* urticariae rapide et magno cum pruritu contingit. Pruritus perstante exanthemate continuat, et ad scrotum potissime in dolorem desinit. Urticaria praecipue ad pectus, brachia, femora, faciem et interdum vel ad reliquum corpus prodit. Kochius, cavitatem ipsam oris ab ea non immunem mansisse, refert. *Forma* exanthematis varia est. Plerumque in *maculis* latis, interdum palmae magnitudinis, ad circumferentiam parumper prominentibus, in centro depressis, consistit. Alias maculae sunt, quasi inflicto cuti flagello. Utroque in casu, colorem ex pallido rubrum, in centro fere albescentem prae se ferunt (*Urticaria maculosa*). Nonnunquam descriptis vix maculis, praecipue latis, *papulae* vel *phlyctaenae* insident (*U. papulosa* seu *phlyctaenosa*). Tandem macularum prominentium loco, interdum *tubercula*, nucis, quin immo palmae magnitudinis, excepto apice ex albo ru-

ubente, colore obscure rubro atque basi irregulari instructa, obveniunt (*U. tuberculosa*). Urticaria utplurimum erratica et fugax animadvertitur. Sub rigore, paucis concessis exceptionibus, evidentior fit. Duratio admodum varia est. Plerumque, quin vestigium relinquat, evanescit. Rara enim exempla desquamationis, a Kochio animadversa, dicenda sunt.

2. Urticaria praeprimis in juvenibus et feminis, quolibet anni tempore, interdum epidemice, occurrit. Communissima illius *caussa* in transpiratione suppressa locata est. Accedunt errores in diaeta, inprimis abusus liquorum fermentatorum et alimenta *qualitate* peccantia, vel ob peculiarem *idiosyncrasiam* adversa. Sic urticariae a mytilis jam mentio injecta est [45]). Testantur de eodem exanthemate (aliquando sub nomine erroneo *scarlatinae*), ab esu cancri fluviatilis et fragariae vescae Gruner [46]); — a carne suilla condita Scheidemantel [47]); — ab aliis adhuc cibis Winterbottom [48]), a copioso cioccolatae vel coffeae, quibus balsamus peruvianus admistus fue- Caussae.

45) P. I. Vol. I. §. LIX. 3. Vide et: Moehring epist. ad Werlhoffium *in* Halleri collect. diss. pract. Vol. III. No. 88.

46) Programma de febre urticata a cancris fluviatilibus et fragariae vescae fructu. Jenae 1774.

47) *Fränkische Beyträge* No. 35.

48) Medical facts and observations. Vol. 5. No. 6.

fuerat, potu KOCH [49]). Nec animi pathemata, praecipue terror et ira [50]), — nec pharmaca e. c. semina arthemisiae contra *), valeriana [51]), — nec aquae minerales **), — nec venena [52]), hic excludenda sunt. De contagio autem vix suspicio occurrit.

§. XXIII.

Diagnosis.

Facilis confusio.

1. Urticaria confundi potest: cum *maculis* sive *tuberculis* a *vegetabilibus* acribus et ab *insectis* nonnullis excitatis, cum *miliaribus rubris*, cum *erysipelate*, cum *furunculis*, cum *exanthemate mercuriali*, cum *scarlatina*, cum *morbillis*, cum *rubeola* et cum *urticatione*.

Distinctio a maculis, tuberculis etc.

2. Adspectu quidem conveniunt, sed plurimis urticariae characteribus destituuntur, *maculae* et *tubercula*, quibus *urtica dioica*, *rhus toxicodendron* [53]), *cimex lectuarius*, aliaquc vegetabilia et

49) L. c. p. 12.

50) Post iram plurima urticariae exempla numero.

*) WENDELSTÄDT *in* HUFELAND's *und* HIMLY's *Journal der prakt. Heilkunde* 1813. *Junius* p. 61.

51) FRANK Epit. l. c. p. 111.

**) Virum nosco, qui, quoties aqua selterana utitur, toties urticariae obnoxius.

52) Journal de médecine. T. 37. p. 28.

53) WICHMANN vitium cutis, a rhoë toxicodendro excitatum, immerito ad zosterem revocavit.

et insecta, interdum setarum, pilorum subtilissimorum caussa [54]), ansam porrigunt. Cave igitur, ne hujusmodi cutis vitia, prorsus localia, cum urticaria, utpote cum exanthemate a morbosa conditione totius systematis pullulante, confundas.

Distinctio a miliaribus rubris

3. *Urticaria papulosa* adeo *miliaribus rubris* similis est, ut exanthemata haec nonnisi magnitudine papularum inter se invicem differre, opinatus fuerit Schlactius [55]). Maxime inde suspicio nostra, exanthema, multis sudoribus stipatum ac pro urticaria habitum, ad miliaria pertinuisse, confirmatur. Error hujusmodi eo facilius committitur, cum utraque exanthemata plerumque ab anxietate annuncientur, verumtamen alio sub respectu inter se differunt:

Miliaria rubra.	*Urticaria papulosa.*
a. *Arcetur* eruptio a frigore.	a. *Promovetur* utplurimum eruptio a frigore.
b. Pruritus, si adsit, modicus est.	b. Pruritus *semper* magnus.
c. Eruptio plerumque per repetita conamina contingit.	c. Eruptio celerrime fit.

d. Cuti,

54) De vitio cutis, urticariae simili, a pilis subtilissimis erucarum, et fabam quandam indicam (couhage) obducentium, testantur Reaumur (mémoire sur les insectes T. 3.) et Heberden (l. c. p. 135.).

55) Institut. med. pract. XI. §. 6.

d. Cuti, colore haud mutatae, insident.	d. Papulae *maculis prominentibus* insident.

U. exanthema symptomaticum.

4. Urticariam exanthema sistere *symptomaticum*, observatio, quod illa in variis ac diversis inter se morbis obveniat, docet. Hujusmodi sunt: *febres intermittentes*, *rheumaticae*, *gastricae* et *typhodes*. Neque *variolarum* [56]), *morbillorum* [57]), nec non *icteri* consortium, urticaria respuit.

U. in febr. intermittentibus.

5 Urticariam a *febribus intermittentibus* non alienam esse, jam diximus [58]). Plurima hujusmodi exempla apud PLANCHON [59]), CLEGHORN [60]), KOCH [61]), et FRANK [62]) occurrunt, vidimusque eorum haud pauca *Ticini*, mensibus maio et junio a. 1794 et *Vilnae*, mensibus martio et aprili a. 1812: quibus scilicet temporibus febris intermittens urticata, fere *epidemica* fuit. Plerumque haec typum tertianae, sive simplicis, sive duplicis sequitur. Benignus morbus cum leni faucium inflammatione, ardore oculorum et tussi incipit; perniciosus vero anxietate, jactatione, lipothy-

56) WICHMANN l. c.

57) HUFELAND's *Journal der prakt. Heilkunde.* 13. B. 3s St. S. 39.

58) P. I. Vol. I. §. XXIV. 2.

59) Journal de médecine. Juillet 1765. p. 75.

60) Observations of the epidemical deseases of Minorca. Lond. 1768.

61) L. c. p. 14.

62) Interpretationes clinicae.

pothymiis et singultu insignitur. Comparente exanthemate, symptomata hujusmodi utplurimum evanescunt. Comparet autem illud aut versus finem stadii frigoris, aut incipiente eo caloris, atque cum sudore evanescit. Sub ipsa apyrexia illud perstitisse observavimus.

6. Frequentissime urticaria in *febribus rheumaticis* observatur, immo in ea versamur opinione, *febrem urticariam* auctorum nil aliud esse, quam febrem rheumaticam, exanthemate urticato stipatam. Morbus cum refrigerationis sensu incipit, cui ille moderati caloris ac sitis succedunt. Pulsus febrem indicat, ac artus et abdomen interdum dolent. Urina saepe jumentosa est. Hinc inde alvus liquida, levisque nausea occurrunt. Accedit intolerabilis pruritus, sub quo primo, secundo, rarius tertio morbi die, urticaria, sub forma plerumque *maculosa*, erumpit. Nonnunquam febris vix aut ne vix quidem, saltem si ex pulsu judices, observatur; alias febrilia symptomata, facta jam eruptione exanthematis, perfecte evolvuntur. Accidit interdum, ut cum KOCHIO vidimus, febrem omnibus quidem prodromis signis urticariae stipatam fuisse, in cute vero *nihil praeter pruritum vel acutissimae punctionis sensum* obvenire. Adnotante eodem auctore, tunc saepe sensus aurae frigidae ex parte, in qua pruritus est, ad alia loca remota transit. Urticaria, ut diximus, plerumque sub temperatura frigida

U. in febr. rheumatica.

gida evidentior est, ac sub calida evanescit. Interea vel contraria cum HEBERDENIO exempla observavimus. Quocunque in casu, evanescente pro tempore exanthemate, saepissime anxietas, oppressio pectoris, aliquando vero lipothymiae imminentis sensus, percipi solent. Interdum praesente quoque exanthemate, hujusmodi symptomata, aut observante HEBERDENIO, magna debilitas et ventriculi dolor occurrunt.

U. in febr. gastricis. 7. Praeviis caussis gastricis, interdum vel post modicum pastum, aeger a nausea, vomituritione, ptyalismo, anxietate, aurium tinnitu, vertigine et intolerabili cutis pruritu, prehenditur. Post nonnullas horas febris, ab initio non semper fortis, accenditur. Citissime nunc urticaria, sive maculosa, sive papulosa, saepius vero *tuberosa*, variis in locis, praesertim ad faciem subtumidulam, ad jugulum, dorsum, et super brachia prorumpit. Adjuvante sive natura, sive arte, morbus spatio unius alteriusve nychthemeri feliciter absolvitur. Alias urticaria, plerumque maculosa et fugax, *febres* comitatur *biliosas* et praecipue *bilioso - inflammatorias*.

U. in febr. typhodibus. 8. Nec desiderantur exempla urticariae, *febrem typhodem* comitantis. Vario morbi tempore hoc exanthema, ad gangraenam tunc pronum, ut

ut apud MONSEY [63]), KOCH [64]), FRANK [65]) et LASHAUSSE [66]) videre est, erumpit.

§. XXIV.

Prognosis. Cura.

1. Urticaria, in genere, leve ac benignum exanthema sistit. Hoc autem non impedit, quominus ab illius retrocessu ophthalmia, tussis, vomitus, animi deliquium, languores chronici, dyspepsia diuturna et febres intermittentes larvatae successerint. Immo CLEGHORN de exitiosa metastasi, hac ex caussa ad encephalon facta, testatur [68]). Econtra KOCHIUS pleuritidem illico sublatam ac febris nervosae symptomata, cum papulae urticatae in cute efflorescerent, cito pacata observavit. Prognosis.

2. *Febris intermittens urticata* instar aliarum febrium periodicarum curatur; exanthema nempe cum febre evanescit. In urticaria, *febris rheumaticae* socia, methodus, simplicissimo hujus morbi gradui accommodata, adhibenda est. Quae *gastricam* agnoscit indolem, urticaria haec medendi methodum, febribus gastricis tum primariis, tum secundariis adaptatam, exposcit. Neque in cura Cura.

63) Medical transactions published by the college of physicians in London. Vol. I. p. 173.

64) L. c. p. 14.

65) L. c. p. 417.

66) Journal de médecine. T. 37. p. 28.

cura *febrium typhodum* urticariae praesentia aliquid immutat.

Cap. VI.

De Erysipelate.

---

§. XXV.

Definitio. Historia. Sedes.

Definitio. 1. Rubor, per summam cutem, calentem, ardentem diffusus, per compressionem evanescens, hac cessante citissime revertens, sedem facile mutans, cum febre, *erysipelas* [67]) dicitur.

Historia. 2. Erysipelas jam a medicis graecis descriptum fuisse, monuimus [68]). Testantur de hac re Aetius

67) Ab ἐρυθρὸς, ruber, et πέλας, prope; vel potius, opinante SWEDIAUER (op. c. Vol. I. p. 144.) a vocabulo antiquo πελλὰς, cutis. *Synonyma:* Epiphlogisma HIPPOCRATIS; — febris erysipelatosa SYDENHAMI; — febris erysipelacea HOFFMANNI; — rosa SENNERTI —. *German. Die Rose, der Rothlauf;* — *Gall.* erysipèle; — *Angl.* Erysipelas; — *Ital.* Erisipela. *Ross.* Рожа; *Polon.* Róża.

68) Cap. I. §. 1. 2.

Aetius [69]), Alexander Trallianus [70]), Paulus Aegineta [71]) etc. —. Recentiori aevo accuratius de hoc morbo egerunt Heister [72]), Fr. Hoffmann [73]), Schroeder [74]), Richter [75]), aliique praesertim inter chirurgos.

3. Erysipelas nulli cutis loco parcet; occupat nempe illud, nisi *universam corporis superficiem*, saltem nunc *faciem* et *partem capillatam capitis*, nunc *truncum* et *genitalia*, nunc *extremitates*, ne dicamus, ipsam *viscerum superficiem*. Sedes.

§. XXVI.

Symptomata. Autopsia Cadaverum.

1. Praeter symptomata generalia in definitione erysipelatis allata, morbus hic, pro varia, quam occupat, sede, diversa prae se fert phaenomena, in specie examinanda. S. generatim.

2. *De erysipelate universali* fasti quidem medici plura offerunt exempla, uti videre est apud ZA- E. universalis.

69) Tetrab. IV. Serm. 2. c. 59.

70) Cent. II. Cur. 24.

71) Lib. IV. c. 21.

72) *Wahrnehmungen* I. B. No. 658.

73) Med. Rat. Syst. Vol. IV. P. I. c. 13.

74) Diss. de febribus erysipelatosis. Goett. 1771. v. opuscul. Vol. I.

75) *Anfangsgründe der Wundarzneykunst.* Goett. 1784.

Zacutum Lusitanum [76]), Salmuthium [77]), Cherlis [78]), De la Motte [79]), Bromfield [80]), Michaelis [81]), Metternich et Wittmann [82]); verum, ubi de erysipelate, *uno eodemque temporis puncto* universam cutim obducente, agitur, potius sive scarlatinam, sive urticariam, sive lepram squamosam incipientem, pro erysipelate habita fuisse, opinamur. De hoc vero *sensim sensimque* universam per corporis superficiem ita migrante, ut parte una derelicta in alteram conversum sit, propria quoque nobis experientia testatur.

E. faciei. 3. *Erysipelas faciei* cum symptomatibus febris nunc rheumaticae, nunc inflammatoriae, nunc gastricae, nunc typhodis incipit. Dolet praeterea caput, dolentque saepe fauces, vel aures [83]). Haud raro simul tumor et tensio glandularum jugularium animadvertitur [84]). Secundo sive tertio a febris in-

76) Praxis medica admirabilis. Lib. III. obs. 9.

77) Cent. I. Obs. 32.

78) Cent 2. di rare osservazioni di medicina e di chirurgia. Venez. 1725. Oss. 93.

79) Traité complet de chirurgie. T. I. Obs. 92.

80) Medical communications. Vol. 2. art. 4. p. 22.

81) Loder's *Journal fur die Chirurgie.* 2. B. S. 668.

82) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde* 1811. April. S. 21.

83) Hippocrates in Coac. 200.

84) Frid. Hoffmann l. c. — Borsieri op. c. Vol. III. §. 12.

ingressu die, — nonnunquam primo, vel et octavo, ut vidimus, erysipelas, praevio ustionis sensu, prorumpit. Initium plerumque id in alterutra gena, vel, ad aurem, vel ad nasi radicem, ducit, rubedine splendente rapide per totam utplurimum faciem et saepe per capitis partem capillatam propagata. Facta eruptione, febris, in leviori malo, remittit vel evanescit, in graviori vero aequali, quin immo majori vi saevit. Erysipelas autem ab initio roseum et splendens, tardius obscuriorem induit colorem. Saepe tumor nullus, excepto eo palpebrarum et labii superioris, observatur (*Erysipelas levigatum*). Aliàs universa facies, monstrosum exhibens adspectum, tumet ac tenditur (*E. phlegmonodes*). Praecipue vero tument palpebrae, super oculis clausae, ac materia puriformi conglutinatae, tumetque labium superius cum naribus, unde hiante ore respirare cogitur aeger. Ex hoc saepe magis, quam ex febre, lingua fit arida. Subinde serum sanguinolentum ex auribus manat. Haud raro erysipelas, inprimis ad genas, ad frontem et ad aures *phlyctaenas* vel *pustulas* offert (*E. phlyctaenosum*, *pustulosum*). Liquidum ex phlyctaenis vel pustulis hujusmodi disruptis manans, *crustis*, nunc densis, nigris, bruneis, nunc tenuibus, fuscis, flavis, ansam porrigit. Praeterea epidermis, quocunque in loco erysipelas floruerit, in levissimo malo, sub forma *furfurum*, alias sub illa *squamarum*, secedit. Opus hoc *de-*

squa-

squamationis, nec non secessus crustarum, saepe nonnullorum, aliàs septem, decem, octodecim dierum spatio absolvitur. Sub convalescentia, cutis faciei, tenera et rubella, saepe a crustarum reliquiis obsidetur.

E. trunci et recens natorum.

4. Erysipelas partem capillatam capitis occupans, interdum ad *nucham* extenditur, quod dum contingit, inevitabilis plerumque est, sub novo febris insultu, propagatio illius per universum *dorsum* ad *lumbos*, vel usque ad *os sacrum*. Aliàs erysipelas faciei, a *mento* descendens, *pectoris* superficiei, potissimum autem *mammis* communicatur. Neque exempla erysipelatis, *primitive* ad dorsum vel ad pectus, praevia febre variae indolis orti, desiderantur. Immo erysipelas *totum truncum* circumdans, descripsimus [85]). Fr. Hoffmann de erysipelate, in febribus malignis et pestilentialibus sub *papilla mammae* vel ad *cordis regionem* comparente, loquitur. Simile fere malum (forte *anthrax?*) a Platero sub nomine *maculae latae* describitur [86]). Constitutionis erysipelatosae *scrotum* aggredientis et in gangraenam terminatae Brocklesby meminit [87]). Interdum bubones, a caussa venerea orti, ab erysipelate, late super *abdomen* et ad *crura* diffuso, circumdantur

85) Acta mea clinica. Vol. III. p. 20.

86) Opp. T. II. p. 23.

87) *Oekonomische und medicinische Beobachtungen.* S. 93.

tur [88]). Memorabile autem est *erysipelas*, abdomini, genitalibus et extremitatibus *recens natorum* infensum. De hoc morbo jam FR. HOFFMANN [89]), BURGIUS [90]) et OEHME [91]) mentionem fecerunt: verum prima et absoluta illius descriptio UNDERWOODIO debetur [92]). Novi inde morbi doctrinam BROMFIELD [93]), GARTSHORE [94]) et VELSEN [95]) locupletarunt. Tertio nempe, quinto, decimo, vel et tardiore a partu die, praeviis inquietudine, insomniis, gemitu, interdum vomitu lactis non coagulati, erysipelas plerumque circa *umbilicum*, aliquando autem ad *nucham*, ad *extremitates*, vel ad plurima loca simul, comparet, et super genitalia, crura et nates colorem livescentem et duritiem exhibens, extenditur. Tanto cum impetu contingere haec solent, ut jam tertio sive quarto morbi die infantes obiisse conspecti sint.

Exi-

88) Erysipelas hujusmodi, mihi pluries visum, nuper NEUMANN descripsit (*Chiron.* 3. B. S. 11).

89) Op. c. T. II. §. V.

90) De erysipelate raro vide: Miscell. nat. cur. sive ephemerides medicae. Dec. III. an. 3. p. 334.

91) Diss. de morbis recens natorum chirurg. p. 40.

92) *On the deseases of children.*

93) *Medical communications.* Vol. 3. p. 22. — *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 16. B. 2s St. S. 322.

94) *Medical communications.* l. c.

95) HORN's *Archiv f. medic. Erfahrung.* Jahr 1811. S. 426.

Exitus fatalis potissimum transitui morbi in *gangraenam* debetur. Facillime ab hac partes genitales corripiuntur; quo in casu stranguriam et convulsiones inducens observata fuit [96]. Et adulti pernicioso erysipelati subjiciuntur, quod *glandulis inguinalibus* infensum est, quod vero vel ad *pestem*, vel ad *lepram partialem* *) pertinet.

E. extremitatum. 5. Erysipelas capitis interdum ad *brachia*, rarissime tamen ultra locum, quo musculus biceps inseritur, descendit. Caeterum erysipelata extremitatum superiorum, illis forsitan, quae a caussis localibus gignuntur, exceptis, haud communia dici queunt. Contrarium prorsus de erysipelate *extremitatum inferiorum* valet, quod praecipue senibus et cachecticis habituale est.

E. internum. 6. Veteres non immerito doctrinam *erysipelatis interni* statuisse dictum est [97]. Confirmatur hujus, aut saltem inflammationis superficialis internae praesentia per cadaverum sectiones. Saepius accidit praeterea, homines, erysipelati habituali aut capitis aut extremitatum inferiorum obnoxios, tempore, quo hoc morbo laborare debuissent, in viscerum inflammationes incidere, quarum resolutio vix aliter, quam comparente extus erysipelate, obtinetur.

7. Su-

96) Velsen l. c.

*) Alard *histoire de l'elephantiasis des Arabes.* Paris 1810. p. 205.

97) Frank l. c. p. 28.

7. Superficies *cadaveris* vel nulla amplius erysipelatis vestigia, vel livorem gangraenosum in parte affecta offert. Plerumque epidermis hic secedit. Ad partes internas migrante erysipelate, viscerum, potissime cerebri, tracheae et pulmonum superficies externa, specifico colore *roseo*, notari solet. Haud raro idem hic color, vel coccineus, ad membranas internas, tunc magis turgescentes, inprimis ad meninges, pleuram et peritonaeum, observatur. Utplurimum tunc in cavis vicinis *humor serosus* aut *puriformis* reperitur. Vix autem cadaver aegri, ex erysipelate defuncti, secuimus, quin labem antiquam, saepeque reconditam, e. c. abscessum aurium, cariem cellularum mastoidearum, maxillae, ossis frontis, obstructionem sive scirrhum hepatis, vel vitia cystidis felleae, invenerimus. Autopsia cadaverum.

§. XXVII.

C a u s s a e.

1. Caussae erysipelatum sunt vel *locales*, vel *universales*. Divisio.

2. Ad caussas *locales* pertinent: frictio cutis rudi manu suscepta [98]), contusio, vulnera, inprimis ex ictu sclopeti, sed et levia illa, quae venae se- C. locales.

98) Erysipelas dorsi, pectoris et brachiorum aliquoties in convalescentibus ex asphyxiis, ob frictiones ruditer nimis adhibitas, observavi. Eundem effectum a frictionibus in oedemate crurum conspexi.

sectionis, scarificationum, variolarum et vaccinae inserendarum gratia inferuntur; excisio tumorum cysticorum, extirpatio mammarum, fracturae, potissimum cranii, extensio praemagna cutis, e. c. a varicibus [99]), a tumore vel a sero in textu celluloso collecto; compressio integumentorum [100]), ichor cuti insertus [1]), specificus liquor ab animalculis, praesertim insectis, in sui defensionem cuti inspersus, hirudines pravae indolis, succi vegetabilium rodentes, unguenta rancida, acria [2]), sinapismi, vesicatoria fortiora neglecta, vel eidem loco inflammato, sauciato frequentius imposita, ignis, caustica [3]), aliaque irritantia [4]).

3. *Caus-*

99) Apud senes saepius hac ex caussa erysipelas crurum ortum vidi.

100) Erysipelas pedum, a caligis nimis arctis, plus vice simplici mihi obvenit; ita erysipelas faciei a *larvis* tempore bachanalium applicitis.

1) De erysipelate a pure vaccinae lege: HUFELAND's *Journal der prakt. Heilkunde.* 1811. *März.* S. 120.

2) Erysipelas faciei, ab oxydo mercurii rubro, ad pediculos necandos capiti admoto, in nosocomio Ticinensi a. 1792. conspexi. Ex tinea capitis, arsenici ope fugata, non solum erysipelas faciei, sed et encephalitidem ortam vidit pater meus.

3) A caustico bubonibus imposito aliquoties erysipelas inguinum et abdominis observavi.

4) Acetum radicale, temporibus et naribus lipothymiae caussa incaute admotum, erysipelas faciei generasse, compertum habeo.

3. *Caussae universales* in *praedisponentes* et in *excitantes* dividi possunt. C. universalium divisio.

4. Juvenes et feminae inprimis erysipelati faciei subjiciuntur [5]). Erysipelas extremitatum econtra saepius senes aggreditur. Tempus hyemale praecipue morbis erysipelatosis favet, qui interdum, ignotae constitutionis epidemicae gratia, obveniunt [6]). C. praedisponentes.

5. Ad caussas universales erysipelata *excitantes* spectant: vicissitudines atmosphaerae, refrigeratio corporis aut partis aestuantis [7]), frigus humidum, nebulae maritimae [8]), alimenta pravae indolis, inprimis esus piscium rancidorum [9]), cibi, ob peculiarem idiosyncrasiam contrarii, e. c. hepar squali catuli [10]), cyprini [11]), carnis anserinae C. excitantes.

5) Inter viginti aegros, erysipelate in instituto clinico *Ticinensi* decumbentes, non minor quam *sedecim feminarum* numerus observabatur.

6) HIPPOCRATES lib. tertius epidem. text. 29.

7) LORRY op. c. p. 365. Homines per abusum liquorum fermentatorum aestuantes, ac hyemali tempore in plateis obdormientes, saepe a gravissimo erysipelate capitis affectos *Vilnae* conspexi.

8) PALLAS *Neue Beyträge*. 4. B. S. 156.

9) TODE *med. chirurg. Bibliothek*. I. B. 3. St. S. 161. — Sic erysipelas tempore quadragesimae inter homines solis piscibus et oleo nutritos commune esse, in Rossia observavi.

10) SAUVAGES Nosol. T. I. p. 421.

11) Ephem. nat. cur. Dec. I. an. IX. X. obs. 70.

nae [12]) etc.; — secretio morbosa bilis [13]), vermes intestinales [14]), animi pathemata, inprimis ira et terror [15]), haemorrhagiae, potissime menstrua, suppressae, ulcera artificialia praepostere sanata, forte interdum contagium [16]), et arsenicum *).

C. proxima. 6) *Caussa proxima* erysipelatum ab ea inflammationum in genere differre haud videtur. Inter inflammationes enim et exanthemata erysipelas ita medium tenere arbitramur, ut in leviori gradu (*erysipelatis* scilicet *levigati*) id magis ad exanthemata, in graviori vero (*erysipelatis* videlicet *phlegmonosi*) ad inflammationes magis accedat. In primo casu *sedes mali* potissimum in *rete mucoso,*

12) Hannemannus quotiescunque carne anserina vesceretur, erysipelate faciei exulcerato afficiebatur. (Ephem. Nat. Cur. Dec. II. an. IV. obs. 52.

13) Galenus de simplic. medicam. facultatibus. Lib. VII.— Schroeder l. c. §. VIII. §. XIII. — Tissot *avis au peuple* §. 283.

14) Van der Bosch histor. constitut. epidem. verminosae. p. 179.

15) Permultis hujusmodi exemplis, inprimis a Schroedero allatis (l. c. §. 8.), illud a me observatum addam, infantis scilicet *sex mensium*, a rixis inter parentes ita terrefacti, ut illico a febre, et postridie ab erysipelate faciei corriperetur.

16) Well's *in Transactions of a society for the improvement of medical and surgical knowledge.* Vol. 2. No. 17.

*) *Case of chronic rheumatism and observations on the exhibition of Arsenic in the protracted form of that disease. By* Georg Kellie.

coso, — in altero, profundius et simul in textu celluloso compacto, *cutem*, proprie dictam, constituente, — et quidem non in solis, ut Reil docet, vasis cruentis, sed in *totius systematis cutanei substantia*, posita est.

§. XXVIII.

Diagnosis.

1. Erysipelas confundi potest: cum *bullis*, cum *urticaria*, cum *anthrace*, cum *zostere*, cum *scarlatina*, cum *strophulo* et cum *erythemate*. Facilis confusio.

2. *Erysipelas pustulosum*, a quibusdam scriptoribus cum *bullis* confusum [17]), ab his differt: quod *bullae*, facta eruptione, praeter halonem rubrum eas arcte ambientem, ruborem extensum non exhibeant, atque ad singulas corporis partes, inprimis ad crura compareant; *erysipelas* vero *pustulosum*, exorta jam pustula magis magisque rubere continuet et sat raro citra faciem observetur. Distinctio a bullis.

3. *Urticaria* faciem occupans magnam cum erysipelate hujus partis alit similitudinem. Differt autem sequentibus notis: Distinctio ab urticaria.

Ur-

17) Sprengel *Handbuch der Pathologie*. *Leipz*. 1807. 2. Thl. §. 439. — Carl Bell *in Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte*. 20. B. S. 621.

Urticaria.	*Erysipelas.*
a. Magno *pruritu* stipatur,	a. Stipatur *dolore* ardente.
b. Uno temporis puncto faciem occupat.	b. Sensim sensimque faciem obducit.
c. Facies *variegata* apparet.	c. Facies *aequali rubore* prehensa est.
d. Rubor alternatim evanescit reditque.	d. Rubedo constans observatur.
e. Vix desquamatione aliqua terminatur.	e. Desquamatio evidens locum invenit.

Indoles varia.

4. Erysipelas nunc *malum locale*, nunc *symptoma morbi universalis* constituit; quo ultimo in casu diathesis *rheumatica*, *inflammatoria*, *gastrica*, *typhodes*, *arthritica*, *scorbutica* et *carcinomatica* illi ansam porrigere solent.

E. locale.

5. *Erysipelas locale* a caussis tum mechanice, tum chemice in cutem agentibus excitatur. In parte laesa illud incipit, et graviori tantum in malo, aut sensiliores apud homines febrim mere symptomaticam provocat.

E. rheumaticum.

6. *Erysipelas*, quod ex atmosphaerae vicissitudinibus, vel ex frigore aestuante corpore suscepto originem trahit, *rheumaticum* vocatur. Morbus hic instar febrium rheumaticarum orditur. Interdum tamen, rite monentibus DE MEZA [18]) et RI-

18) Compend. med. pract. fasc. I. c. 17.

Richa [19]); pulsus vix febris praesentiam indicat. Erysipelas rheumaticum, sede admodum volubile, *faciem* aut *extremitates inferiores* occupare, atque *formam* plerumque *levigatam* prae se ferre solet. Solvitur aegritudo, quinta sive septima morbi die, cum sudore universali et urina sedimento lateritio instructa.

7. Erysipelas *rheumaticum*, sub constitutione corporis florida, *complicationem inflammatoriam* facile induit. *Erysipelas* praeterea extat, prima jam origine *inflammatorium*, ac praecipue vernali tempore [20]), apud viros floridos, obesos, liquoribus fermentatis deditos obveniens. Incipit hic morbus cum frigore, interdum ad quatuor, sex vel septem horas extenso. Sequitur aestus cum pulsu duro, cephalaea, epistaxi, sopore ac facile cum vomitu. Comparente erysipelate, quod saepissime contingere solet, ad *faciem*, praedicta symptomata, sat saepe quidem, nec attamen in omnibus, leniuntur. Sub morbi incremento, facies intumescit, saepe a phlyctaenis, sive pustulis obsidetur, ac aegrotus, magis magisque soporosus, rhonchos ducere, ac interdum tacite delirare, observatur. Tenduntur nunc hypochondria, alvus obstruitur, ac tendines nonnunquam subsiliunt. Crisis vix ante septimum diem, plerumque circa decimum, vel tardius, sub largo sudore, diarrhoea, E. inflammatorium.

19) Constitut. epidem. Taurin. altera §. 8.

20) Grant *Beobachtungen über die Fieber* S. 391.

rhoea, haemorrhagia narium, fluxu menstruorum sive haemorrhoidum et urina, copioso sedimento puriformi, fere *squamoso*, obtinetur. Aliàs *encephalitis* vel *otitis*, propriis signis et periculis stipatae superaccedunt, aut febris ex inflammatoria in typhodem convertitur.

E. gastricum. 8. *Erysipelas gastricum*, praeviis indicatis caussis ac sociis symptomatibus febris gastricae, sat placide, nunc ad *faciem*, nunc ad *truncum*, nunc ad *extremitates* prorumpit. Forma illius utplurimum *levigata* est, atque sub debita medendi ratione, aut in sanis caeterum hominibus, nonnullorum dierum spatio, interdum (ut in Taurinensi epidemica erysipelatum constitutione accidit) leni diarrhoea solvitur, sub contrariis autem conditionibus, typhodem facile induit naturam.

E. typhodes. 9. *Erysipelas typhodes*, aliis *malignum*, quamvis Cullenio, quod miramur, haud visum[21]), minime in dubium revocandum est. Huc atrox et epidemicus ille morbus, *ignis St. Antonii* (*feu de St. Antoine*, *mal des Ardennes*), a quo sub Ludovico VII. utraque *Lotharingia* devastata fuit [22]), pertinere videtur. Neque absoluta erysipelatis typhodis descriptio, apud Fr. Hoffmannum desideratur[23]). Morbus hic vel ex erysipelate inflammatorio aut gastrico sive neglecto sive male

1) First lines §. 713.

22) Mezeray Historia Galliae.

23) Op. c. T. IV. p. 303.

male curato descendit; vel in primo mox limine atrocem suam patefacit naturam. Primo in casu, praeviis sudoribus saepe inanibus, ac invalescentibus caeteris symptomatibus, erysipelas concidit, livescit, vires sphincterumque officia franguntur; ac peticulae, miliaria et gangraena, maxime a decubitu, in conspectum veniunt. Altero in casu, morbus cum ingenti virium jactura et interdum cum lipothymiis orditur. Rapide deinde consueta febris typhodis symptomata evolvuntur. Erysipelas ipsum, saepe primis morbi horis, nunc ad *faciem*, nunc ad *truncum*, nunc ad *extremitates* comparet. Forma illius plerumque *levigata*, et color profunde lividus est. Interdum cutis affecta, vesiculis, sero acri, rodente repletis, cooperitur, quae vesiculae disruptae, tota *loca gangraenosa* relinquunt. Haud raro hic *vibices* et alia *ecchymomata* cernuntur. Curriculum et finis morbi, illis typhi respondent.

10. *Erysipelatis recens natorum* indolem, quamvis hucusque obscuram, *gastrico-typhodem* esse, tum ex symptomatibus, tum ex socio periculo, tum ex medendi ratione, huic morbo magis opportuna, suspicamur. Observatio.

11. Luculentissimum *erysipelatis arthritici* exemplum, ipsa *podagrae*, alibi describendae 24) symptomata, largiuntur. At, vel citra podagram, dia- E. arthriticum.

24) P. III. Vol. II. cap. de arthritide.

diathesin arthriticam, rite monentibus STOLL [25]) et MUSGRAVE [26]), in generationem erysipelatis saepius influere, ex eo apparet, quod homines, arthritidi subjecti, simul erysipelati, praesertim *habituali* frequenter obnoxii sint; — quod hoc, ubi vere et autumno pro more revertitur, ab aliis malis, potissimum arthriticis, libertatem concedat [27]): — et quod, non comparente consueto erysipelate, haud raro inflammationes internae, inprimis peripneumoniae, sequantur.

E. scorbuticum. 12. Neque erysipelas ex *diathesi scorbutica*, inprimis senibus et cachecticis habituale, rarum est. Plerumque id extremitatès inferiores saepe cum varicibus detinet; ac ad exulcerationem et gangraenam [28]) pronum observatur.

E. carcinomaticum et eprosum. 13. Erysipelas, ad loca glandulis permultis instructa, comparens, saepe revertens, in duritiem desinens, subsequente ulcere cancroso, aperte indolem *carcinomaticam* prae se fert. Non multum ab eo altera erysipelatis species differre videtur, quae nunc ad faciem, nunc ad mammas, nunc ad

25) Rat. medendi Vol. V. p. 436.

26) De arthritide anomala.

27) Virum novit LORRY, qui, dum diarrhoea laborabat, ab erysipelate liber erat; dum illam sistebat, hoc denuo laborare coepit. Feminas nonnullas malis arthriticis et fluori albo obnoxias curavi, quae, prorumpente erysipelate, a malis illis, saltem pro tempore, liberabantur.

28) JACOBI Diss. casus erysipelatis scorbutici subito in sphacelum terminati. Erfurt. 1711.

ad scrotum, nunc ad labia vulvae, nunc ad extremitates comparet, quaeque periodice revertens sensim sensimque *volumen partis monstrose auget* ac jure *pro initio leprae partialis* declaratur *).

§. XXIX.

Prognosis.

1. Nullum erysipelas, ob facilem propagationem sive conversionem ad partes internas, flocci pendendum est. Praeterea prognosis potissimum a morbi *sede*, *indole*, nec non ab aegrorum aetate et *constitutione* desumitur. Erysipelas faciei, etiamsi adspectu leve, praesentibus gravi cephalaea, sopore, deliriis atque anxietate, ob metum transitus in encephalitidem, hydrocephalum acutum et apoplexiam, magno semper periculo stipatur. Idem de erysipelate, cui graves laesiones locales, vel diathesis typhodes ansam porrigunt, dici oportet. Infantes et senes difficillime erysipelas ferunt. Sic et valetudinarii, apud quos erysipelas partem jam labefactatam facilius aggreditur e. c. in phthisi tracheali tracheam, in phthisi pulmonali pulmones, in difficultatibus urinae vesicam etc. — Interdum erysipelas salutare 29), vel, uti in febre catarrhali vidimus, cri- Generatim

*) *Nouvelles observations recueillies sur l'éléphantiasis des Arabes, par* Alard. *Paris* 1811. p. 27.

29) „Novi, inquit Schroeder, alios morbos, praesertim asthma convulsivum, ab erysipelate superveniente, fuisse feliciter sublatum.“ l. c. p. 308.

criticum [30]) observatur. Erysipelas ab externis partibus *intro* converti, malum; ab internis vero *extra*, bonum [31]); addite tamen: si partes internae ab erysipelate ad exteriora converso liberentur [32]).

Exitus. 2. Erysipelas aut *resolutionem*, aut *oedema*, aut *indurationem*, aut *suppurationem*, aut *exulcerationem*, aut *gangraenam* pro *exitu* agnoscit.

Resolutio. 3. Erysipelas symptomaticum, per morbi primarii *crisin* solvitur. Quocunque autem in erysipelate, ut crisis *perfecta* dici queat, *desquamatio epidermidis* plus minusve requiritur, ut sub cujus defectu malum plerumque recrudescit, vel ad vicina loca propagatur [33]). In erysipelate partis

30) Percival *Essays*. Vol. I. p. 274. Frank l. c. p. 16.

31) Hipp. Aphor. VI. 28. Coac. 103.

32) Vir illustris, Mediolani, cum sibi tumores folliculosos ad partem capitis capillatam scarificari jussisset, mox vero se aëri liberiori frigido, ac simul radiis solis exposuisset, nocte insequente in lethargum incidit. Versus sextum morbi diem insigne comparuit faciei totius erysipelas. Medicus ordinarius, aegrum in salvis esse, decrevit, cum vero lethargus persisteret, erysipelas externum pro morbi incremento ac pro lethali a patre meo declaratum et eventu confirmatum fuit.

33) Sic erysipelas capitis, deficiente debita desquamatione facillime ad nucham propagatur, quod dum accidit, inevitabilis descensus ad dorsum et lumbos observatur.

tis capillatae cranii, praeter epidermidis desquamationem, et *defluvium capillorum* succedere solet.

4. *Oedema* genarum, colli, dorsi, et lumborum, cum imminuta simul urinae secretione, haud raro harum partium erysipelas sequitur; quem hujus morbi non infrequentem exitum in *hydropem textus cellulosi acutum* a scriptoribus negligi, miramur Nec rarum est, sub erysipelatis curriculo aut convalescentia, praecipue apud potatores, *hydropem acutum internum*, inprimis cavitatis pectoris, vitae insidias struere. Oedema.

5, Jam Aetius, ubi remedia spirituosa et frigida in erysipelate adhiberentur, partium adfectarum *indurationes* succedere, edixit 34). Sed et citra hanc caussam, erysipelas, inprimis illud extremitatum inferiorum, frequenter repetitum, saepe duritiem et insigne partis volumen relinquit. Sunt tandem, qui *indurationem textus cellulosi recens natorum* praevio erysipelati attribuunt; — at immerito, uti suo loco demonstrabimus. Induratio.

6. Facilis, et nunc salutaris 35), nunc ominosus 36) est erysipelatis phlegmonosi in *suppurationem* Suppuratio.

34) Tetrab. IV. Serm. II. c. 59.

35) Schroeder, observationes Strackii de erysipelate epidemico adducit, quod, nisi suppuraretur, in mortem abivit (l. c. p. 207.).

36) Home principia medicinae. p. 183.

nem transitus, inprimis ad palpebras, ad genas, super nasi radicem, sub galea aponeurotica cranii, sub musculorum bicipitis et fasciae latae expansionibus tendinosis. Ne *abscessus* hujusmodi nos lateant, partes a dicto erysipelate diutius detentae, iterum iterumque examinandae sunt. Ne tamen *materiam puriformem* ex phlyctaenis hinc inde sub crustis densis retentam, pro pure in *vero abscessu* collecto habeamus, cavendum est. Abscessus loco, post erysipelas, interdum *furunculus* nascitur.

Exulceratio. 7. Indurationes et abscessus ab erysipelate, nec non erysipelas scorbuticum, inprimis ad crura, saepe saepius *ulceribus chronicis*, pro varia aegrorum constitutione, indolis variae, ansam porrigunt.

Gangraena. 8. *Gangraena* potissimum ex erysipelate typhode et scorbutico ad aures, genas, scrotum et extremitates inferiores expectanda est. Plurima hujusmodi exempla apud BROCKLESBY 37), TISSOT 38) et VAN DER BUSCH 39) obveniunt. Transitum erysipelatis in gangraenam praecipue autumnali tempore contingere, GRANTIUS existimat 40). In genere, annuntiatur hic gangraena a livore aut

37) L. c.

38) L. c. §. 279.

39) L. c. p. 183.

40) L. c. p. 391.

aut nigrednie partis, a striis quasi igneis, nec non a vesicis sero cruento turgentibus. Ne vero *nigredinem a sanguine extravasato* pro gangraena habeatis, cavete.

§. XXX.

C u r a.

1. Cura *erysipelatis localis* in eo consistit, ut caussa morbi, si id sine nimia partis irritatione fieri queat, abigatur, aut saltem, ut deleterii illius effectus, quoad licet, temperentur. In malo *recenti hirudines* in viciniis loci affecti applicandae sunt. Ipsi vero parti aegrotanti *fomentum frigidum, ex aqua et acetate plumbi liquida*, methodo Goulardi paratum [41]), ope lintei tenuis imponitur, saepeque renovatur. Sub minore mali gradu, *chartam compactam*, cui *pulvis acetatis plumbi* adspersus fuit, imposuisse sufficiet. Morbo autem *provecto* alia accommodanda est medendi ratio. Nisi enim hic suppurationis jam adsint indicia, pars morbosa cum *fomentis siccis ex herbis resolventibus*, addita *camphora*, vel saltem cum *linteo sicco* camphora adsperso, cooperienda est. Si febris simul adfuerit symptomatibus inflammatoriis stipata, ea methodo antiphlogistica temperanda foret. Senescente morbo, et ingruente virium prostratione, purgatis, si opus fuerit, primis viis, ad *decoctum corticis cinchonae* of-

C. erys. localis.

41) *Abhandlung vom Gebrauche des Bleyes.* 1. *Abschn.* S. 26.

officinalis devenitur. Doloribus et vigiliis *tunc* quoque *opium* prospicit [42]).

C. e. rheumatici. 2. *Erysipelas rheumaticum* regimen exanthematibus simplicibus accommodatum [43]) exposcit. Praeterea febris ope *nitratis potassae* primum temperanda, dein lenibus diapnoicis, praecipue vero, parvis *tartritidis stibii et potassae* dosibus debellanda est. Remedia topica, hic sicuti in omni erysipelate symptomatico, superflua et saepe nociva sunt. Solum, si lectus ab afflatu aëris non omnino securus esset, ac faciem erysipelas teneret, haec cum linteo tenuissimo, larvae instar, foraminibus circa oculos, nares et os instructo, obtegi posset. Neque in erysipelate trunci et extremitatum partes affectas ope *sacculorum*, *farina foeni graeci aut tritici repletorum*, foveri nocet. In erysipelate, ad aures usque extenso, ornamenta istarum feminea, quae in tumore partis quasi sepulta gangraenam induxisse observavimus, sine mora removenda sunt.

C. e. inflammatorii. 3. *Erysipelas inflammatorium* veluti exanthemata primaria inflammatoria tractatur. *Venae sectione* autem, quemadmodum in genuinis inflammationibus utimur, in aegro robusto et florido, in morbo recente, sub annua constitutione, morbis inflammatoriis favente, sub pulsu constante, in morbo phlegmonoso, cum sopore et delirio. Ne sym-

42) E. c. homini adulto ad vesperas *granum unum*, aut *guttae quindecim* tincturae opii compositae Sydenhami.

43) Cap. I. §. VI. 8.

symptomatum sive gastricorum sive nervosorum, hepatis cum cerebro, aut nervorum cum ventriculo consensui tribuendorum, praesentia, hic a venae sectione, aliunde indicata, nos absterreat. Si provecto in morbo vires jam evidenter fractae usum venae sectionis dubium redderent, ad *hirudines*, quocunque tempore, sub gradu mali minore, phlebotomiae locum facile tenentes, confugiendum foret. Earum decem vel duodecim in erysipelate faciei, retro aures, circa collum, vel ad internam crurum superficiem ponuntur. Stollius hoc in casu, inprimis vigente gravi cephalaea, *scarificationes* ad nucham adhibuit[44]. Ipsius partis erysipelate affectae scarificationes commendavit Freind[45]), cui tamen consilio, ob exempla gangraenae inde secutae, difficulter subscribimus. — Peracta sanguinis detractione, ad *alvi purgationem*, rite monente Brocklesby, in erysipelate inflammatorio efficacissimam, deveniendum est. Interea *temperatura* cubiculi esto moderata, ac abstineatur a remediis topicis. Hac sub methodo spatio nonnullorum dierum plerumque frangitur impetus mali, quo facto tempus, ut morbus curriculum consuetum absolvat, concedendum est. Quod si res sub methodo antiphlogistica, forte sero nimis adhibita, minus fauste incederet, ac transitus morbi in febrem typhodem timendus foret,

44) Rat. medend. T. IV. p. 65.

45) Historia medicinae. p. 29.

foret, virium tunc summam rationem habere oporteret. Hac de caussa, concesso victu ex jusculis carneis, exhibitoque pro potu infuso diapnoico, primum ad *liquorem acetatis ammoniae*, dein ad *infusum radicis angelicae archangelicae*, et si haec non juvarent, ad parvas *camphorae* doses, *nitrati potassae* nuptas [46]) deveniendum est. Urgente sopore vel delirio *vesicatoria* aut *sinapismi*, cruribus, nunquam vero nuchae, ob facilem morbi ad hunc locum propagationem, admoventur. Haec ipsa remedia, si, quod frequenter accidit, encephalitis, erysipelatis faciei socia, in cerebri hydropem acutum jam transiverit, aut *muriati hydrargyri*, aut *floribus arnicae montanae*, aut *foliis digitalis purpureae*, secundum artis praecepta, alibi tradenda [47]), nubenda forent.

C. e. gastrici. 4. *Erysipelas gastricum* methodo exanthematibus gastricis accommodata curatur. Saepe *emetico* locum esse, Sydenham, Baglivi, Mead, Freind, Tissot, Sauvages, Brocklesby, Monro (quorum testimonia Schroeder collegit,) docuerunt, ac propria nobis experientia ultro confirmat. Plerumque vomitum excitandi scopo hic *tartritidem stibii et potassae*, ut quo simul alvus leniter et cum fructu movetur, eligimus. Fortiora

46) R. Camphorae grana sex. Nitri drachmam unam. M. F. pulvis. Div. in sex partes aequales. D. S. omni secunda hora pulverem capiat.

47) P. II. Vol. I. Cap. de hydrope cerebri.

ra nempe purgantia, recte monente QUARIN [48]), praecipue in debilioribus, quorum pulsus celer et parvus est, morbum exasperant.

5. In *erysipelate typhode*, caeterum secundum regulas generales curando, *cortex cinchonae officinalis* praecipuam sibi laudem promeruit. Virtus illius potissimum in *erysipelate recens natorum* ab UNTERWOOD et GARTSHORE celebratur. *Clysteres* hic *ex decocto corticis saturato*, addito quoque ejusdem extracto, omni quarta hora injiciuntur, ac simul, quantum ore porrigi potest, ingeritur [49]). Plerumque hisce remediis alvi lenis purgatio, ope syrupi rhei, praemittitur. Parti ab erysipelate detentae lintea calida, quibus camphora rasa adspersa est, vel, suadentibus supra laudatis Angliae medicis, lintea *alcohole camphorato* imbuta apponuntur. Et *mercurius* nuper a VELSIO hoc in recens natorum morbo commendatus fuit [50]). C. e. typhodis.

6. Ut *erysipelas arthriticum* consuetum sibi decursum rite absolvat, maxime studendum est. Hac de caussa, si praesens forte *complicatio* inflammatoria aut gastrica regulari morbi curriculo obstaret, ea vel *hirudinibus*, vel *lenibus purgantibus*, C. e. arthritici.

48) De curandis febribus et inflammationibus. Cap. X. p. 141.

49) R. Syrupi corticis peruviani unciam unam. Extracti corticis ejusdem grana decem. M.

50) L. c. p. 436.

tibus, e. c. *electuario lenitivo*, abigenda, simplex vero morbus naturae committendus foret. Erysipelas ipsum, nisi faciem detineat (quo in casu secundum regulas supra allatas agendum est), *speciebus resolventibus siccis* fovendum erit. Devicta jam febre, praecipue sub somni defectu, pulvis *radicis cephaelidis ipecacuanhae cum opio* porrigitur. Evanescente praepostere erysipelate, secundum praecepta generalia agendum est.

C. e. scorbutici. 7. *Erysipelati scorbutico*, praeter generale regimen antiscorbuticum, potissime usum internum *infusi radicis acori calami* et *baccarum juniperi communis*, accommodatum invenimus.

C. convalescentiae. 8. Convalescens, donec desquamationis opus absolutum sit, a refrigeratione sibi caveat et spontaneum squamarum vel crustarum decessum expectet. Crustas vero praeter modum duras ac densas, imposita charta bibula *butyro* insulso imbuta, vel applicitis sive *cremore lactis*, sive *decocto malvae rotundifoliae* emollire oportet.

C. exituum. 9. Ut *oedemati* occurramus, per omne erysipelatis curriculum *urinae secretionis* summa habenda est ratio, ac quamprimum ea, quin sudor illius vices agat, imminuitur, *diuretica*, sedi et indoli morbi accommodata, secundum regulas infra tradendas [51]), sine mora adhibenda sunt. — *Indurationes* ab erysipelate relictae, vel tractu temporis,

51) Cap. XLI. §. CLXXIV.

poris, inprimis sub debito partis affectae exercitio, sponte evanescunt, vel *roborantibus*, praecipue *aquis martialibus*, sive lenibus diaphoicis atque diureticis dissipantur. Indurationes, quae hisce auxiliis non cedunt, sanationem vix aut ne vix quidem admittunt, et resolventia localia, frictiones etc., novam pejoremque inflammationem plerumque excitando, plus damni quam auxilii ferunt. — Si *abscessus*, erysipelatum reliquiae, superficiales sint, spontanea eorum ruptura expectari potest; alias cultro aperiendi sunt. Quoniam vero partes ab erysipelate prius detentae, usum protractum cataplasmatum aegre ferunt, eorum loco abscessus maturandus, inprimis noctu emplastro adhaesivo, e. c. *diachylon*, cooperiendus est. — *Exulcerationes* chronicae ab erysipelate relictae remedia tum interna, tum externa exposcunt. Illa, ex classe *tonicorum* et *antiscorbuticorum*, desumuntur; haec, quousque ulcus impurum est, in usu *pulveris carbonum*, *radicis acori calami*, et *unguenti digestivi*, dein vero in applicatione *filamentorum carptorum*, primum *liquore acetatis plumbi* madefactorum, dein siccorum, consistunt. Praeterea maxime puritati studendum est. Si ulcus extremitatem occupat, tota pars affecta *fascia*, sic dicta *expulsiva*, circumdari debet. Neque tunc motus moderatus nocet. *Plagae gangraenosae*, polline *corticis cinchonae* cum *camphora* et *myrrha* insperguntur, vel cum

de-

decocto ejusdem corticis fovendae sunt. *Scarificationes*, circa partem affectam institutae, augere potius quam arcere gangraenam solent. Si adventante gangraena erysipelas adhuc evidentes notas inflammatorias exhibeat, methodus antiphlogistica, viriliter adhibita, optime gangraenae limites ponit.

Cap. VII.

De Furunculo.

---

§. XXXI.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. Tuberculum nucis avellanae vel ovi columbini magnitudine, in medio elevatum, profunde rubrum, utplurimum valde dolens, *Furunculus* 52) dicitur.

Historia. 2. Quamvis furunculus morbum haud semper *localem* sistat, illius tamen doctrina hucusque a

52) *Synonyma:* abscessus nucleatus, abscessus sanguineus; Dothien Swediaueri. Germ. *Blutgeschwür, Blutbeule.* — Gall. *Clou, furoncle.* — Angl. *A boil.* — Ross. Чирей, Beредъ. Polon. *Czyrak.*

a solis fere chirurgis, Heistero [53]) scilicet, Richtero [54]), Callisenio [55]), Nessio [56]), Bellio [57]) etc. tradita fuit. Inter medicos Heimius nuper de furunculo notatu digna exposuit [58]).

§. XXXII.

Symptomata. Caussae.

1. Furunculus nunc in uno solum cutis loco (*F. solitarius*), nunc in plurimis simul partibus, nec exceptis semper oris cavitate et ani vulvaeque orificiis, sub forma noduli duri, rubri, splendentis, in conspectum venit. Citissime is, sub magno plerumque cruciatu, decubitum super partem affectam impediente, crescit. Tumor, ut diximus, variae magnitudinis, rotundus, circumscriptus, durus, in fastigium altum elevatus, observatur. Febris, nisi sub magna aegri et partis affectae sensibilitate, aut nisi plures furunculi simul prorumpant, raro occurrit. Ea praesente, agrypnia, ciborum aversio et hinc inde, apud infantes, Symptomata.

53) Institutiones chirurgiae. Amsterd. 1750.
54) *Anfangsgründe der Wundarzneykunde. Gött.* 1782.
55) Institutiones chirurgiae. Hafn. 1788. Edit. nova Germanica. Copenh. 1798.
56) *Instituzioni di chirurgia. Venez.* 1787.
57) *Lehrbegriff der Wundarzneykunst.* 1790.
58) *Erfahrungen über die Furunkeln, nebst Beobachtungen über eine ansteckende Art derselben.* (Horn's *Archiv der med. Erfahrung.* 4. B. 1s Heft. S. 151.).

tes, convulsiones [59]) succedunt. Furunculus lentius, quam reliquae inflammationes, in suppurationem transit. Incipit vero suppuratio circa apicem, quo in loco, nucleus [60]), ex fibris densis et crassis, subalbidis, subrubris compactus, nec in pus convertendus, invenitur. Reliqua apostematis maturi superficies, plura tandem foraminula, pus, multo sanguine mixtum, fundentia, exhibet. Expulso si e educto nucleo, saltem in corpore aliunde sano, abscessus cito sanatur. Quandoque furunculo uno sanato, alius in vicinia, vel etiam plures alii in variis corporis partibus comparent.

Caussae. 2. Qui *solitarius* vocatur furunculus, is saepe in illis, qui secunda omnino valetudine fruuntur, ex caussis localibus, hucusque vix cognitis, probabili ratione, vel a plethora cutanea, vel ab adipis corruptela, vel ab insectis, vel a vermibus [61]) evolvitur. Ipse tumor inflammatorius cutis, cui *filaria medinensis* ansam porrigit, non multum nobis a furunculo alienus videtur [62]). Alias furunculus,

59) Richter op. c. 1. Th. S. 133.

60) Germ. *Pfropf; Eiterstock.*

61) In variis saltem animalibus tubercula vermibus scatent (Rudolphi op. c. Vol. I. p. 437.).

62) Germ. *der Medinawurm, der guineensische Fadenwurm.* — Gall. *Le Dragonneau.* — Angl. *The guineaworm.* — Vermis hic in regionibus torridis endemicus, hinc inde in Lithuania obvius, longitudine duorum, trium,

culus, praesertim *habitualis*, a vitiis primarum viarum viscerumque abdominalium, a labe scrophulosa, scorbutica, arthritica, venerea, a laesa uteri et mammarum functione oritur. Excitatur vero hic morbus in genere a suppressa derepente transpiratione, ab actione diuturna frigoris, caloris [63]), a mercurii abusu, et a febribus aliisque morbis e. c. a scarlatina, a morbillis, a variolis, ab erysipelate, imperfecte judicatis. Sunt, qui contagium accusent [64]).

§. XXXIII.

Diagnosis.

Facilis confusio.

1. Furunculi confundi possunt cum *urticaria nodosa*, cum *anthrace et carbunculo*, cum *psydracia* et cum *psora*.

Distinctio ab urticaria.

2. Si *furunculi* per universam corporis superficiem prorumpant, ut ab *urticaria nodosa* distin- [illegible] guan-

trium, duodecim pedum, crassitie chordae mediocris et coloris albidi observatur. Habitat in tela cellulosa subcutanea hominis, praesertim ad pedes. Excitat pruritum intolerabilem, et, nisi vermis extrahitur, funestam inflammationem. Optimi de eo scriptores sunt: Kaempfer (de dracunculo Persarum, in amoenitatum exoticarum Fasc. V. p. 524.) — Grundler (Commerc. Litter. Nor. 1740.) et Rudolphi (Op. c. Vol. II. P. I. p. 56.)

63) Frank Epit. Vol. IV. p. 40.

64) Heim l. c.

guantur, ad sequentes characteres respiciendum est.

Urticaria nodosa.	*Furunculi.*
a. *Pruritu* summo stipatur.	a. *Dolore* insigniuntur.
b. Tubercula irregularia aut subrotunda refert.	b. Tumores circumscriptos et acuminatos exhibent.
c. *Desquamatione* terminatur.	c. Semper in *suppurationem* transeunt.

§. XXXIV.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. Furunculi interdum cum emolumento contingunt, ac non raro sub convalescentia aliorum morborum *criseos* sistunt *complementum*. Sic a furunculo aliquando febrem intermittentem quartanam solvi, VOGEL docuit [65]). Convalescentes ex typho vidimus, quibus vires non prius, quam ubi unus alterve furunculus prodiisset, restitutae fuerunt. Luculentissimum quoque furunculi critici post erysipelas habuimus exemplum [66]). Maniae, a co-

65) Praenot. P. I. p. 15.

66) Vetula, erysipelati habituali indolis arthriticae subdita, in eundem morbum initio hyemis 1811. incidit. Erysipelas dorsum occupabat, omnem desquamationem respuens. Conspicua virium prostratio, vigiliae, inquietudo et cephalaea jam vitae insidias struere videbantur, cum, furunculo in medio dorsi comparente, omnia illico in melius mutata fuerint.

copiosa furunculorum eruptione fugatae, casum refert HEIM [67]). Furunculi autem, qui in senibus aut in hominibus, labe aliqua detentis, circa anum, ad perinaeum et scrotum contingunt; eo quod facile ulceribus fistulosis ansam porrigant, mali ominis habentur.

2. In furunculo *locali*, eo quod nulla resolutio expectanda sit, prima suppurationem promovendi est indicatio, ac nisi abscessus, quo decet modo, locum inveniat, durities, per novam solum inflammationem dissipanda, relinqui solet. Ad suppurationem autem promovendam, in modico inflammationis gradu, cataplasma ex mica panis albi et lacte paratum, addito sub magnis doloribus croco, applicatur. Vigente nimio inflammationis impetu, regimen antiphlogisticum in auxilium ducendum est. Econtra si processus inflammationis et suppurationis lente incederent, cepae assatae, mel farinae mixtum ac similia, furunculo imponenda forent. Quoprimum autem mobilis est nucleus, is, nisi sponte secedat, per artem extrahatur, quo neglecto, cicatrix nulla formabitur, atque ulceris chronici fistulosi periculum imminebit. Raro hoc in opere cultro opus est. Praesentibus insectis sive vermibus, illa *foliis nicotianae tabaci et oleo* necanda, hi vero Cura.

caute

67) L. c. p. 161.

caute abigendi sunt [68]). Furunculus *symptomaticus*, praeter curam localem, et remedia, morbo primario accommodata, exposcit. Latente diathesi scrophulosa, optime usus *sulphureti antimonii et hydrargyri*, cum *extracto conii maculati* conducit.

68) Pro *filaria medinensi* sequentem methodum commendat KAEMPFER: „Loci, ubi erumpere tentat, durities emplastro aliove medicamento emolliente maturatur, ut vermis infixus suppuratione sensim proliciatur; deprehensi portio, quanta lenem attractionem sequitur, circa ligulam pollicaris longitudinis rotatur et epithemate retinetur, ne in ulcus recedat. Hoc indies gemina obligatione a pure suo liberatur, iterata semper attractione et totalis eductionis qualicunque tentamine. Raro vivus illico extrahitur (nisi in scroti cavo, vel sub pectoris cute haeret, ut media ejus pars arripi queat), plerumque diebus circiter decem elapsis aufertur. Cautio est, ne fiat attractio fortis et subitanea; illa inanis est et dolores excitat, haec periculosa, qua vermis plerumque rumpitur et intro recedit, multis symptomatibus aegrum afficiens, donec largiori suppuratione, vel eodem illo, vel novo ulcere excernatur. Verme penitus egesto, ulcus fistulosum vulgari quovis remedio paucos intra dies et supra omnem tractantis fidem, facillime sanatur. Vulgus pauper sola ceparum, sub cinere tostarum, impositione totum maturationis et eductionis negotium nec infeliciter perficit. Sunt, qui frequenti aquae frigidae affusione sibi consulere satagant." (l. c. p. 533.). Et *assae foetidae* locus concedendus videtur (*Schreiben des Dr.* DE CARRO *zu Wien über den Hautwurm in* HUFELAND's *und* HIMLY's *Journal der prakt. Heilkunde.* 1813. p. 112.).

ducit. In furunculo ex labe scorbutica et venerea orto, aliquoties *acidum nitricum dilutum* intus assumptum profuit. Rebelles furunculos, indolis ignotae, sed aperte ex vitio totius systematis pullulantes et continuo recrudescentes, tum *decocto corticis ulmi campestris* [69]), tum connubio *radicis acori calami*, *smilacis chinae* et *baccarum juniperi communis* pluries debellavimus. Nec *ulcera artificiosa* ad brachia in morbo rebelli negligenda sunt.

Cap. VIII.

De Anthrace et Carbunculo.

---

§. XXXV.

Definitio. Historia.

1. *Anthrax* est *tumor* inflammatorius, urens, circumscriptus, apice elevatus, citissime in gangraenam transiens. — *Carbunculus* est *vesicula*, sive potius *phlyctaena* gangraenosa, ambitu indurato, livido, splendente instructa [70]). Definitio.

2. Jam

69) Uncia una corticis pro libra decocti.

70) Uterque morbus indistincte vocatur: Graec. Ἄνθραξ. — Latine carbunculus, furunculus gangraenosus,

Historia. 2. Jam HIPPOCRATES anthracum et carbunculorum mentionem injecit [71]). Ita GALENUS [72]), CELSUS [73]), PLINIUS [74]), ARETAEUS [75]), AEGINETA [76]), AETIUS [77]) aliique. HAHNIUS quidem et TRILLERUS, veteres, sub nomine anthracis, *variolas* descripsisse, crediderunt [78]), at docte hanc opinionem WERLHOFFIUS refutavit [79]). Clarior anthracis et carbunculi notio apud Arabas, praecipue apud AVICENNAM obvenit [80]). Exactissima autem horum morborum descriptio recentioribus tem-

sus, malignus. — ARAB. *Giamrach*, *pruna*. — PERS. *Atshac* (GOLII lexicon. p. 651.) *ab atshca*, *ignis*. (NICOLAI lexicon harmonicon p. 70.) — GERMAN. *Brandbeule*, *Karfunkel*. — GALL. *charbon*, *carbuncle*, *anthrax*, *pustule maligne*. — ANGL. *carbuncle*, *anthrax*. — ITAL. *carboncello*, *crusco*, *carbonchio*. — HISP. *Lobanillo*. — ROSS. Огненной Вередъ. — POLON. *Powietrzna chrosta*.

71) Epid. lib. II. Sect. I.

72) Lib. de atra bile. cap. 4.

73) Lib. V. c. 28. Lib. VI. c. 6. §. 10. c. 18. §. 5.

74) Histor. Natur. Lib. XXVI. c. 1. §. 4.

75) Lib. I. c. 9. de acut. morb. caussis.

76) Lib. III. c. 22. §. 29.

77) Cap. de pustulis in febribus.

78) Opuscul. medica. Vol. II. p. 13.

79) Disquisitio de variolis et anthrace. Opp. T. II. III. p. 745.

80) Lib. IV. Sect. 3. Tract. 1. c. 9.

temporibus debetur, opera Fournier [81]), Bordenave [82]), Chambon [83]), Vimat [84]), Chabert [85]), Enaux et Chaussier [86]), Lemaistre [87]), Chopart [88]), Burel [89]), Achard [90]), Chatenet [91]), Perez de Herrera [92]), Monaredo et Molina [93]), Quinones las Langostas [94]), Tosi [95]), Bal-

81) *Observations et experiences sur le charbon malin. Dijon* 1769.

82) De anthrace. Theses anatomico-chirurgicae, resp. J. J. Robin. Parisiis 1765.

83) *Traité de l'anthrax ou de la pustule maligne. Paris* 1781. Et: *Encyclopédie méthodique. Médecine* T. 3. *Paris* 1790. art. — Anthrax.

84) Fourcroy *médecine éclairée.* T. I. p. 118.

85) *Traité du charbon ou anthrax. Paris.* 1782.

86) *Methode de traiter la morsure* etc., *et de la pustule maligne.*

87) *Journal de médecine.* T. 7. p. 254.

88) Fourcroy l. c. p. 343.

89) Ibid. T. 3. p. 11.

90) Ibid. T. 2.

91) *Essay sur l'antrax. Paris, an. XI.*

92) De carbunculis animadversiones. Pintiae 1604.

93) *Paradoxa sobre la curacion local del carbunculo maligno. Jaen.* 1701.

94) *Del carbunculo. Madrit.* 1720.

95) De anthrace seu carbunculo tractatus. Venetiis 1576.

Baldinger [96]), Gmelin [97]), Pallas [98]), Heirott [99]), Schraud [100]), Brensky [1]), Kausch [2]), Hopf [3]), Mathy [4]), Kopp *), Maurer **).

§. XXXVI.

Divisio. Symptomata. Autopsia cadaverum.

Divisio. 1. Anthraces et carbunculi in *symptomaticos* et in *primarios* dividuntur. De illis, utpote pestis et febrium gastricarum symptomatibus, jam egimus [5]); quare de his tantummodo hic sermo erit.

2. Tum

96) *Neues Magazin.* 3. B. S. 73.

97) *Reise nach Siberien.* 4 Thl. S. 143.

98) *Reise durch Russland.* 2. B. S. 307. 544.

99) Librum, rossico sermone, sed ablato frontispicio, sine titulo, possideo.

100) *Nachricht vom Scharbock in Ungern, und Geschichte, des brandigen Ausschlages, welcher* Pokolwar *genannt wird. Wien* 1805.

1) Horn's *Archiv* 1811. *Februar.*

2) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde.* 1811. *Septbr.*

3) *Beobachtungen und Bemerkungen über die sogenannte schwarze Blatterkrankheit. Altenb.* 1812.

4) *Briefe über Gegenstände der Therapie.* 1. Thl. *Berlin.* 1801.

*) *Jahrbuch der Staatsarzneykunde. Fünfter und sechster Jahrgang.* 1813.

**) Kopp l. c.

5) P. I. V. I. §. XXXVII. 3. 4. §. LIX. 5.

2. Tum anthrax, tum carbunculus, cum pruritu, veluti ab ictu insecti, sive a scintilla, incipit. Sequitur vel *tumor* durus, inflammatorius, urens, solitarius, magnitudine plerumque baccae juniperi, vel majore, apice elevatus, in medio punctum sive maculam aut vesiculam gangraenosam exhibens (*anthrax*); — vel *vesicula*, sive potius *phlyctaena* gangraenosa, ambitu indurato, livido, splendente, instructa (*carbunculus*). Utroque in casu, sensus in puncto gangraenoso deletur, ac loca propinqua, praevio interdum glandularum vicinarum morboso augmento, rubore erysipelaceo, sive tumore oedematoso, sive utrisque, nunc cum, nunc sine dolore, corripiuntur. Rubor ille ad partes vicinas nonnunquam cum foco mali confluit; tumor vero vel supra eum elevatur, vel profundius haeret. Focus, aut crustam cineritiam, nigram (*eschara*), aut consuetae gangraenae humidae imaginem refert. Ibi anthrax sive carbunculus dicitur *siccus*, hic *humidus*. Raro malum solis integumentis inhaeret, sed plerumque musculos, tendines et pinguedinem afficit. Incisa anthracis aut carbunculi *sicci* substantia albicans, flava, livida, nigricans, ac non nisi paucas ichoris guttas manans, conspici solet. Anthrax vel carbunculus *humidus*, conspicuam et ex plurimis foraminulis saepe manantem saniei copiam largitur. Nunquam vero hisce in morbis suppurationis animadvertuntur indicia. Elapsis a

prima

prima morbi origine nonnullis horis, interdum uno alterove nychthemero, aegri vires franguntur, caput obtuse dolet, pulsus fit debilis, somnus inquietus est, et animus dejicitur. Jam vero febris, calore universae cutis vel nullo, vel modico, pulsu autem admodum frequente, saepe vacillante, aut contracto stipata, subintrat. Conqueritur aeger de anxietate, de doloribus vagis artuum, et de peculiari cordis sensu, quod ipsi sublevari videtur. Sequuntur vaniloquia, hebetudo, stupor, ac, nisi mature succurratur, mors ipsa. Feliciori in casu eschara secedit, vel gangraenae limites ponuntur, atque rejectis partibus mortuis, ulcus remanet purum, ocyus serius relicta cicatrice plus minus deformi, sanandum. Quoad *sedem* anthracum et carbunculorum, observati ii fuerunt ad oculos [6]), ad palpebras [7]), ad genas reliquamque faciem [8]), ad collum [9]), ad nucham [10]), ad dorsum

6) Herodotus Introduct. c. 15. — Lieutaud *Journal de médecine* T. 29. p. 469.

7) Aegineta Lib. 3. c. 22. §. 29. — Amatus Lusitanus Cent. 4. cur. 9. — Dupont *in* Capelle *Journal de Santé.*

8) Achard, Chopart l. c. Woyniewicz Diss. de carbunculo faciei. Vilnae 1812.

9) Cavillardi *observations iatro-chirurgiques.* Lyon 1640.

10) Testart *Journal de médecine* T. 43. p. 525. — Mease *in* Jones *chirurgical Works.* — Werlhoff l. c. — Plurima exempla anthracis nucham obsidentis in propria numero praxi.

um [11]), ad mammas [12]) et ad manus [13]). Anthracem faucium [14]) ad scarlatinam, anthracem vero ni [15]) ad furunculum, gangraena accidentali tipatum, pertinuisse arbitramur [16]).

3. Animadvertente CHOPART, textus cellulosus partium anthraci sive carbunculo contiguarum sanguine soluto repletus, pulmones rubri, tumidi, sero innatantes, epiploon et mesenterium lívida, intestina inflammata, gangraenosa, aliquando cum volvulis [17]), inveniuntur. Autopsia cadaverum.

§. XXXVII.

11) PANAROLUS Pentecost. II. — KIRKLAND *on the present state of surgery*. Vol. 2. — GOEKEL Consiliorum Cent. I. No. 53. JONES *transactions of Philadelphia*. Vol. I. P. I. No. 20.

12) BUREL l. c.

13) FRID. EPIPHANIO centum historiae.

14) ARETAEUS l. c. — TOURNEFORT *rélation d'un voyage au Levant*. — *Recueil des actes de la Societé de Santé à Lyon*. Vol. I. p. 28.

15) GARENGEOT *chirurgische Operationen*. 2 Thl. 5 Cap. S. 335.

16) Et POTT anthracem ani ad furunculum revocat (*Abhandlungen über verschiedene Gegenstände der Wundarzneykunst*. Dresd. 1771. S. 79.)

17) BERTIN *relations des accidents extraordinaires observés à la Quadeloupe sur les negres du quartier de la Capesterre, à la suite de l'usage qu'ils ont fait de la chaire d'animaux, mort d'une maladie épizootique*. (HUFELAND's *Journal* 1811. Octob.)

§. XXXVII.

C a u s s a e.

Contagium epizooticum.

1. Communissima carbunculi caussa in commercio cum bobus, vaccis et capris, *lienitide*, ut vocant, vel simili lue laborantibus, invenitur [18]: sicuti enim carnes hujusmodi animalium comestae, febres gastricas carbunculis *symptomaticis* stipatas gignunt [19], ita jam solus eorum *attactus* carbunculo *primario* locum concedit. Visi enim sunt carbunculi ex cura boum aegrotantium [20], ex tractatione pellium caprarum lue defunctarum [21], ex detractione pellis tauri infecti [22], ex introductione brachii in intestinum bovis aegri [23], ex san-

18) Sic docent carbunculi saepius tum in Lithuania, tum prope Warsoviam (sub nomine *crustae nigrae*, *czarna Krosta*), tum in nonnullis Galliae meridionalibus regionibus (*charbon provincial*) obvii et quidem hic a PLINII temporibus (HARDUINUS in notis ad PLINIUM l. c. p. 391. — BOUCHE Lib. I. Historiae Provinciae. c. 8. p. 47.).

19) P. I. Vol. I. §. LIX. 5.

20) CHAIGNEBRUN *in histoire de l'academie des sciences à Paris* 1764.

21) SEZZONI *in Salzburger med. chirurg. Zeitung*, 1804. 3. B. S. 143.

22) J. P. FRANK in judaeo observavit.

23) *Fränkische Sammlung*. 3. B. S. 267.

sanguine bovis mactati [24]), ex anatome vaccae [25]), ac, uti vulgus in Lithuania contendit, ex ipso aëris contigui, ab effluviis epizooticis inquinati, afflatu Contagium lienitidis tam facile ex animalibus aliis ad hominem pervenire; ab homine vero ad hominem, uti videtur, haud propagari, mirum est *).

2. Jam PALLAS suspicatus est, anthracem in *Siberia* endemicum (vulgo *Morawaja Isiva*) ab *insecto* originem trahere. Hanc opinionem et HEIROTT, et HOPF et REHMANN defendunt, quamvis nullus eorum praesentiam insecti demonstrare hucusque potuerit. Constat saltem, anthracem sibericum aestate fervidissima et in locis paludosis, ab insectis inquinatis, grassari, ac non solum homines, sed et equos bovesque, et in genere animalia, pauca lana obtecta, afficere. Constat inter *Calmucos*, insecta varia, praecipue *phalangium araneoidem*, *scolopendram morsitantem*, *bibionem sanguinarium* (vulgo *Moskora*) vitia cutis, anthraci similia, producere; nec minus constat, morbum, sine discrimine sexus et aetatis, inopinate cum pruritu et tumore, illi, qui ex punctura insectorum oritur, plane simili, ingruere, et cum cer- Insecta.

24) GUALENDRINI *in Giornale di medicina*. Vol. 5. p. 135. REMER *in* HUFELAND's *Journal* 1814. *Januar* p. 68.

25) *Göttingische gelehrte Anzeigen*. 1793. S. 165.

*) BRERA *giornale di medicina pratica* 1812. Cap. 4.

certissimo insectorum antidoto, *nicotiana*, profligari. Si objicias, malum sibericum, praeprimis quidem faciem, sed haud raro et partes tectas prehendere; — exiguo insecto viam undique patere, facile respondetur. Praeterea Burel historias trium aegrotantium, anthrace in Gallia correptorum, refert, quorum duo sensum puncturae ab insecto perceperunt, et tertius insectum, araneae simile, cum digitis arripuit. Observationes hujus naturae et apud Chopart, Achard et Richard obveniunt [26]). Vimat, insecta per se innocua, e. c. muscas, fortuito ichorem ulcerum malignorum, sive contagium epizooticum secum ferre, ac insonti alias punctura anthracem sive carbunculum excitare posse, autumat.

Cachexia. 3. Senes, cachectici, ebrietati dediti, retentionibus urinae obnoxii [27]) animique curis vexati, anthraci haud raro subjecti sunt. Excitatur idem morbus in valetudinariis aut convalescentibus ab aestu solis [28]) et a repetita vesicatoriorum in eundem locum applicatione [29]). Et *bilis* inter caussas illius pertinere videtur [30]).

§. XXXVIII.

26) *Recueil d'observations de médecine militaire.* Vol. 2. p. 517.

27) La Fontaine *in Götting. Anzeigen.* 1803. S. 626.

28) Portal *Précis de chirurgie pratique.* Vol. 2.

29) A vesicatorio ad nucham, brevi temporis spatio, ter repetito, bis hujus partis anthracem J. P. Frank observavit.

30) Carbunculi hac ex caussa, potius *symptoma* febris ga-

§. XXXVIII.

Diagnosis.

1 Anthraces et carbunculi confundi queunt cum *erysipelate*, cum *furunculo* et cum *cancro* *). Facilis confusio.

2. Auctores nonnunquam anthraces et carbunculos pro *erysipelate* habuisse et vice versa, ex dictis [31]) arguere licet. Differunt sequentibus notis. Distinctio ab erysipelate.

Erysipelas.	*Anthrax et Carbunculus.*
a. Ruborem *diffusum* exhibet.	a. Anthrax, tumorem inflammatorium *circumscriptum* prae se fert.
b. Pustulae tantummodo sub morbi *curriculo* evolvuntur.	b. Carbunculus, in *primo* jam morbi *limine* pustula notatur.
c. Gangraena solum in morbi *acme* accedit.	c. Gangraena *initium* tum anthracis tum carbunculi comitatur.

3. An-

gastrico-biliosae constituere videntur. Interea carbunculus Hungaricus (Pokoluar), quamvis symptomatibus febrilibus vix stipetur, attamen pro *bilioso* habetur a Schraudio (l. c. p. 112.).

*) Addere possum: cum *bullis* aut *pemphigo*, sic enim nuper Cl. Henning accidisse videtur (Hufeland's *und* Himly's *Journal der prakt. Heilkunde* 1813. *Septbr.* p. 89.) Hac in historia dijudicanda praecipue retinendum est, aegrum officium *macellarii* exercuisse. (p. 91.).

31) Cap. VI §. XXVI. 4.

Distinctio a furunculo.

3. Anthracem et carbunculum pro morbis, *gradu* tantum a *furunculo* diversis, habitos fuisse, nomen *furunculi maligni*, quod illis tributum fuit, testatur. Conspicua autem inter hos morbos intercedit differentia:

Furunculus.	*Anthrax et Carbunculus.*
a. Centro tumoris maxime *dolente* instruitur.	a. Centrum mali *sensu orbatum* referunt.
b. Suppurationem *semper* exhibet.	b. Suppurationem *nunquam* offerunt.
c. *Nucleo* in medio instructus est.	c. *Gangraenam* in medio exhibent.

Differentia inter anthr. et carbunc.

4. Anthracis et carbunculi nomina ut *synonyma* vulgo sumuntur. Ex tradita autem utriusque mali definitione, alius opinionis nos esse elucet. Nec antiqui scriptores [32]) anthracis a carbunculo distinctionem, cui nuperrime et Mouton accessit [33]), neglexerunt. Neque *gradu* tantum, e. c. uti ery-

32) Avicenna, anthracem sub nomine ignis *persici*, et carbunculum sub eo *prunae* descripsisse videtur. Franc. Widemann inter anthracem et carbunculum differentiam statuit, quod hic sedem suam semper in glandulis cutis habeat, ille vero in panniculo tum carnoso, tum adiposo (*Kurze und allgemeine Lehre der Wundarzneykunst. Augspurg.* 1737. 2. edit. S. 299.)

33) *Dictionnaire des sciences médicales. Paris* 1812. T. 2. p. 183.

erysipelas levigatum ab erysipelate pustuloso, dicti morbi inter se differunt: cum vesicula sive phlyctaena carbunculi tumori inflammatorio anthracis non *superveniat*, sed morbi illius jam constituat *initium*. Differentia demum anthracis á carbunculo ipsi caussarum diversitati superstruitur; insecta enim, cachexia *anthracem* potius; — contagium autem epizooticum *carbunculum*, *pustulam* scilicet malignam proprie dictam, excitant.

5. Cum carbunculo similitudinem habere videtur morbus, inprimis regionibus calidis proprius, de quo AETIUS [34]), DIOSCORIDES [35]), SEVERINUS [36]), RIVERIUS [37]), FORESTUS [38]), potissime vero STRACK [39]) sub nomine *epinyctidis* egerunt. Consistit epinyctis in *pustula* solitaria, sublivida, vel subnigra, maxime *noctu* in cute erumpente, cum dolore intensissimo, instar ignis urente, humore tenui et acri referta, post paucos dies in ulcus ichorosum sordidum abitura, materiam viscosam glutinosam fundente [40]); nunc vero in *pustu-*

Epinyctis, thermintum quid sint?

L 2 *lis*

34) Tetrab. IV. Serm. 2. c. 61.

35) Facile parab. cap. 172.

36) De recondita abscessuum natura. Lib. VII.

37) Observat. communic. No. 1.

38) Obs. chirurg. Lib. I. obs. 16.

39) HOEGEL Diss. de epinyctide. Mogunt. 1776.

40) STRACK quandoque plagas, quinque aut sex pollices lon-

lis plurimis, discretis, eodem tempore in trunco vel et in extremitatibus corporis, fabae magnitudine vel etiam minore, erumpentibus. *Thermintum Galeni* huc pertinere verisimile est [41]).

§. XXXIX.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. Anthraces et carbunculi neque resolutionem, neque suppurationem admittunt; ac nisi ante totius systematis adfectionem, qua decet ratione, curemus, aegrotum praecipitant. Frequenter vero nimis morbi initium ab ignaris vilipenditur. Anthrax faciei, animadvertente jam Aetio, prae aliis malignus est. Pessimi quoque ominis observatur anthrax senum, nisi, eo comparente, alia evanescant incommoda. Nunquam autem carbunculum *criticum* vidimus. In genere, dum hi morbi sibi ipsis limites ponunt, bonum est. Si vero affectio localis celerrime decurrit, si morbus universalis eam proxime sequitur; mors ipsa, spatio pau-

longas, quatuor vero pollices latas, hinc inde cutem ipsam nigram, quasi igne adustam, secedente paulatim eschara profundiore, *foveam* in cute relinquente observavit. Cicatrices similes *Berolini* apud nonnullos, qui, fatente egregio Heim, morbo cutis vix definiendo antehac laboraverant, me observasse recordor.

41) *Therminti* Galeno sunt pustulae, basi rubra, purpurea, in apicem nigrum desinentes, summe dolentes, cum gangraenae periculo.

paucorum dierum, aliquando secundo jam ingruente nychthemero, praevidenda est.

2. Leges *politiae medicae*, adversus morborum epizooticorum propagationem stabilitae, pericula quoque carbunculi hoc ex fonte contrahendi avertunt. Qui ab insectis oriuntur anthraces, hi forte cum *fumo*, ex stercore et vegetabilibus, in locis suspectis accensis, per aërem disperso, praepedirentur. Et corporis superficiem *oleo* illiniri, vel faciem saltem ope retis oleo foetenti imbuti obtegi, non inutile erit. Nec *assae foetidae* parcendum foret. Prophylactica.

3. In anthrace et carbunculo *a caussa externa* nascentibus prima indicatio est: irritationem inflammatoriam compescere, focum mali destruere, ac influxui illius in universum corpus limites ponere. Praesente *caussa interna*, actio principii morbosi ad cutem promovenda, primae viae, si opus est, expurgandae, ac vires vitae sustinendae sunt. Haec ultima indicatio, et facto jam vitii localis in morbum universalem transitu, locum habebit. C. generatim.

4. Ad compescendam inflammationem focum mali ambientem, praeter *hirudines*, *cataplasma emolliens* applicandum est. *Fomenta frigida*, hoc in morbo cum successu jam tentata [42]) et quae ana- C. localis.

42) Yonge *in* Beddoes *contributions to physical and medical knowledge*. 1799. No. 5. Vide et Friese *Annalen*. 1. B. 1s St. No. 4.

analogia anthracis cum gangraena a gelu commendare videtur, ulteriori tentamini, saltem in recenti morbo, subjicienda forent. Senescente malo, ac inducto jam sphacelo, *fotus* partium finitimarum cum *herbis aromaticis in vino decoctis*, conducit. Plagae gangraenosae, parum extensae, *caustica*, e. c. aut *pulvis super-sulphatis aluminae fusi* (*alumen ustum*), aut *nitras argenti fusus* (*lapis infernalis*), aut *murias antimonii* (*butyrum antimonii*), ne dicamus de *igne* [43]) et *calce viva* [44]) olim adhibitis, imponi queunt. Eschara jam mobilis, ut ichori liber concedatur effluxus, forficibus abigitur. Praesente autem majoris ambitus sphacelo, a causticis abstinendum, et *scarificatione* partis mortuae haec a viva separanda est. Licet et duplex filum cum acu incurvata per locum gangraenosum ducere, ac sumtis elevatisque extremitatibus illius, hunc discindere, ac si quid de sphacelo remaneat, per scarificationem abigere. Vel ipsa partis affectae *amputatio* proposita fuit [45]). Loco, prius a gangraena obsesso, *unguentum* aut *digestivum*, aut de *styrace*, aut *aegy-*

43) Celsus lib. V. c. 8. No. 1. — De la Vigne: Ergo anthraci ferrum et ignis? Paris. 1616.

44) Aetius l. c.

45) Helvetius: Ergo amputatione tutius, quam decussata sectione, anthrax serpens curandus? Paris. 1740.

aegyptiacum, aut simile [46]) applicari debet. Interim a rebus nimis irritantibus abstinemus, ac ODIERI potius consilium, cataplasma ex *pulvere carbonum*, *opio* et *camphora* commendantis [47]), sequimur. Immo si ulcus omnino purum fuerit, illud filamentis carptis, aqua tepida imbutis, cooperiri ac sanationis opus naturae committi, sufficiet. Siberiae populi anthracem cum acu vel subula perforare ac ope *muriatis ammoniae* et *foliorum nicotianae tabaci* perfricare solent. Sunt inter eos, qui sine praevia scarificatione *lixivium potassae* et *decoctum tabaci* cum *alumine* super anthracem applicent. Alii cataplasma calidum ex pulvere *herbae solani dulcamarae* cum *muriate ammoniae*, *fermento panis* et *farina avenae* anthraci imponunt. Confirmata magis suspicione latentis in anthrace Siberiae insecti, *sulphuris* et *mercurii* virtus exploranda foret. Item *gummi resinae ferulae assae foetidae*.

5. *Ve-*

46) CHAMBON sequens commendat remedium: R. Pulveris acetatis cupri (aerugo crystallisata) unciam unam; — aloes succotrinae, gummi resinae myrrhae ââ. unciam semis; — alcohol camphorati et ammoniati, theriacae venetae, mellis puri ââ. unciam unam. F. unguentum. — MENURET unguentum ex vitello ovi et uncia una muriatis sodae (sal commune) parat et anthraci illiniri iubet (*Journal de médecine de Paris* 1810. p. 82.)

47) *Manuel de médecine pratique* p. 48.

C. universalis. 5. *Venae sectio*, quamvis a medicis antiquis et non ita pridem a BERTINIO in anthrace et carbunculo commendata, tamen, rite cum aliis animadvertente CHAMBON, vix locum obtinet. Prehenso econtra jam toto systemate et praesentibus indiciis gastricis, nulla obstante contraindicatione ad *emeticum*, a SCHRAUDIO maxime laudatum, sine mora confugiendum est. A *remediis alvum purgantibus*, quoniam lente agunt, ac vires facile prosternunt, abstineri suademus. In anthrace a morbo universali originem trahente leuia *diapnoica* cum parvis *tartritidis stibii et potassae* dosibus conducunt. Febrem ingruentem *acidis* tum *mineralibus*, tum *vegetabilibus*, inprimis *succo citri medicae* 48), temperare oportet. Decrescentibus magis magisque viribus, *decoctum corticis cinchonae officinalis*, infusum radicis *aristolochiae serpentariae*, *camphora*, *subcarbonas ammoniae*, cum *vino* et *jusculis carneis meracibus*, potissima sistunt auxilia. Vel somno indulgere, vel ab eodem abstinere 49) aeger cupiat, ejusdem hoc votis relinquimus. Sub *convalescentia* omnis in conditionem viscerum abdominalium dirigi debet at-

ten-

48) BERTIN l. c.

49) BORELLI, de carbunculo in urbe *Rupecurvum* endemico loquens, abstinentiam a somno per novem dies potissimum fuisse remedium, refert. (Cent. 2. observat. Obs. 12.)

entio, ac labefactata eorum functione, potissime ad remedia amara, si alvus tarda fuerit, lenibus purgantibus nupta, deveniendum est.

Cap. IX.

De Zostere.

§. XL.

Definitio. Historia.

1. Phlyctaenae conglomeratae, magnitudine circiter pisi, cum summo ardore, inprimis nocturno, praevia febre, interdum cum anxietate et symptomatibus gastricis ad unum tantummodo corporis latus prorumpentes, *zosterem* [50]) constituunt. Definitio.

2. Plinius primus inter veteres de zostere mentionem injecit [51]). De hoc morbo porro scripserunt Historia.

50) A Graec. Ζωστὴρ, Ζώνη — Circinus Plinii. Zona aliorum. Zona ignea Fr. Hoffmanni. Ignis sacer *auctor.* Hieropyr Vogelii. Herpes zoster, — erysipelas zoster Sauvag. — erysipelas phlyctaenodes Cullenii. Germ. *Der Gürtel.* Gall. *Ceinture dartreuse.* Angl. *Skingles.* Ross. Рожесщной поясъ.

51) Lib. XXVI. cap. XI. Hist. natural.

serunt Jo. RHODIUS [52]), M. A. SEVERINUS [53]), NIC. TULPIUS [54]), Jo. LANGIUS [55]), Jo. HELWIGIUS [56]), FR. HOFFMANNUS [57]), SIM. SCHULZIUS [58]), H. BRECHTFELDUS [59]), PLATERUS [60]), M. ADOLPHUS [61]), GULDENBRANDUS [62]), inprimis vero LORRY [63]), BORSIERI [64]), SCHROEDER [65]) et WICHMANN [66]).

§. XLI.

Symptomata. Caussae.

Symptomata. 1. Morbus cum sensu aegritudinis et cum doloribus artuum incipit. Accedit febris, pulsu frequente et duro stipata. Haud raro amaror oris, nausea, vomituritio, cephalaea, anxietas, dyspnoe

52) In notis ad Scribonium Largum. comp. 63.

53) Lib. IV. De recond. abscessuum natura. cap. IX.

54) Lib. III. obs. med. cap. 44.

55) Epist. 32.

56) Obs. physic. med. obs. 71.

57) Med. rat. syst. T. IV. P. I. cap. XIII.

58) Eph. N. C. Dec. I. an. 3. obs. 4.

59) Act. med. Hafn. Vol. I. obs. 108.

60) Op. T. II. p. 23.

61) Act. phys. med. Vol. X. obs. 9. p. 33.

62) Act. Soc. R. Hafn. Vol. I. p. 142.

63) Op. c. p. 17.

64) Op. c. Vol. II. §. 40.

65) De febribus erysipelatosis.

66) Op. c. I. B. S. 64.

pnoea et aliquando lipothymiae comparent. Jam primo morbi die, longe vero saepius secundo aut tertio, zoster, praevio maximo cutis ardore, raro ad caput [67]) et collum [68]), saepius ad extremitates tum superiores [69]) tum inferiores [70]), nec non ad abdomen [71]), frequentissime autem ad thoracem, prorumpit. Consistit exanthema hoc in phlyctaenis sive vesiculis, magnitudine circiter pisi, conglomeratis, racemosis, saepe confluentibus, sero flavescente, rubello, interdum sublivido, odoris experte, acri, repletis, summum ardorem excitantibus. Cutis conditio inter phlyctaenas, saltem quidquam discretas, normalis cernitur. Id vero zosteri proprium est, quod constanter unum solummodo partis affectae latus, cinguli instar, ad mensuram aliquot digitorum transversorum, ambiat e. c. *caput*, ab auris parte postica, ad medium nasi, vel frontem, veluti sertum, — *collum*, a media larynge ad medium nuchae, — *thoracem*, a medio sterni ad spinas vertebrarum dorsi, — *abdomen*, a linea alba ad spinas vertebrarum lumbalium, vel ab una ad alteram cristam ossium ilei,

67) Burgius in Eph. nat. cur. Dec. II. an. 3. obs. 171. — Acta mea clinica. Vol. III. p. 22.

68) Unum solummodo vidi exemplum.

69) Zosterem antibrachii partem superiorem, veluti dimidium armillae ambientem, in femina scenica polonica observavi.

70) Borsieri l. c.

71) Haen theses pathologicae de divis. febr. p. 3.

ilei, — *brachia* vel *crura*, a medietate sive superiore, sive inferiore etc. Peracta exanthematis eruptione, febris cum reliquis symptomatibus, saltem diurno tempore, remittit; noctu enim singula, et inprimis ardor loci affecti, exasperari solent. Tempus efflorescentiae inconstans est, vidimusque zosterem nunc spatio septem dierum devictum, nunc ad sextam hebdomadem protractum; quin immo de *chronico* zostere, apud Borsieri habetur exemplum. Versus finem vergente morbo, phlyctaenae flaccidae et corrugatae redduntur, ac partim cum desquamatione, partim cum exulceratione, aliquando cancro simili *), terminantur, quae ultima crustis aegre recedentibus, nonnunquam relictis fovea et dolore, profligatis ipsis jam exanthematis vestigiis, per longum tempus excruciante, ansam porrigit.

Caussae. 2. Aetas juvenilis et media, nec non sexus sequior, potissimum zosteri subjiciuntur. Tempore inprimis hyemali hic morbus, in regionibus septentrionalibus, ut videtur, communior [72]), occurrere solet. Plerumque refrigerium et errores in diaeta ansam illi porrigunt. Nec zosteri interdum *veneream* originem tribuere alieni sumus [73]).

Rhus

*) Tale exemplum tempore, quo scribo, coram me habeo, exulcerationem scilicet dimidii brachii, adspectum plane cancrosum exhibentem.

72) Acta mea clinica l. c.

73) Ex duobus viris, cum femina lue laborante, eodem cir-

Rhus toxicodendron nequaquam inter caussas zosteris pertinere, jam dictum est.

§. XLII.

Diagnosis.

1. *Zoster* cum *miliaribus*, cum *bullis*, cum *erysipelate*, cum *exanthemate mercuriali*, cum *hydroa* et cum *herpete* confundi potest. Facilis confusio.

2. *Miliaria*, figurâ quodammodo *zosteri* similia, eo facilius cum eo confundi possent, quod utrique exanthemati saepe anxietas praecedat. Distinctio a miliaribus.

Miliaria.	*Zoster.*
a. Exanthema secundarium.	a. Exanthema primarium.
b. Sudores eruptioni praecedunt.	b. Sudor vix ullus ante eruptionem.
c. Solummodo *pruritu*, neque eo constante, eruptio annunciatur.	c. *Ardor* non solum eruptionem adnunciat, sed quoque eandem comitatur.
d. Certis corporis limitibus non circumscribuntur.	d. Unum tantum partis affectae latus ambit.

3. Dum

circiter tempore commercium habentibus, unum *ulcus glandis* acquisivisse, in altero *zosterem abdominis* secutum esse, compertum habeo. Ille tandem in luem universalem incidit.

Distinctio a bullis

3. Dum de *bullis*, lentium seu pisorum tantummodo magnitudine et dolore ardente ac intolerabili insignitis legimus [74]), *zosterem* pro *bullis* fuisse habitum, supponimus.

Bullae.	*Zoster.*
a. Dolor urens solummodo eruptionem *praecedit*, hac vero facta, moderatur.	a. Dolor urens per *omne morbi curriculum* fere aequalis perseverat.
b. Maxima vesicarum, maturitatem adeptarum, pars magnitudinem *amygdalarum* attingit.	b. Phlyctaenae nunquam *pisi* volumen superant, saepeque minores sunt.
c. Serum in vesicis contentum diaphanum et insons observatur.	c. Serum, in phlyctaenis contentum, turbidum et acre est.
d. Limites minime agnoscunt.	d. Ad unum solummodo latus circumscriptus est.

Distinctio ab erysipelate.

4. Quamvis Borsieri et Nessi [75]) *zosterem* ab *erysipelate* inprimis pustuloso distinxerint; horum tamen differentia primum a Wichmanno recte stabilita fuit.

Ery-

74) Reil memorabilia clinica. Vol. I. Fasc. 2. p. 149.

75) Op. c.

Erysipelas pustulosum.	*Zoster.*
a. Cutis, cui pustulae insident, rubore roseo plerumque detenta est.	a. Phlyctaenae cuti, colore normali praeditae, insident.
b. Pustulae *serius* quam rubor comparent.	b. Phlyctaenae *initium* exanthematis constituunt.
c. Volumen pustularum admodum *varium est.*	c. Forma phlyctaenarum *stabilis* observatur.
d. Pustularum sedes *superficialis* est.	d. Phlyctaenarum sedes est *profunda.*
e. Facta eruptione ardor remittit, ac aeger noctu multas non experitur angustias.	e. Ardor vel facta eruptione continuat, noctu intolerabiles excitando cruciatus.
f. Exanthema diffusum.	f. Exanthema circumscriptum.
g. Crustae sub exsiccatione conspicuae, densae.	g. Crustae minimae, tenues.

Addit Wichmannus: erysipelas, symptomatibus gastricis stipari, zosterem autem absque illis obvenire; — aliter vero nos docuit experientia.

---

§. XLIII.

§. XLIII.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. Zoster quidem aegros ob intolerabiles cruciatus et vigilias exhaurire, nunquam vero vitae insidias struere solet. Animadvertente PLINIO [76]), res forte aliter se haberet, si morbus iste *totum hominem* afficere posset.

Cura. 2. Zoster instar exanthematis primarii gastrici curatur. Ne dolorum et inquietudinis caussa, priusquam febris temperata et vitium gastricum deletum sit, ad *opium* confugiamus, cavendum est. Praescribitur autem hoc, debito tempore, sub forma, sic dicti, *pulveris Doveri*. Decrescentibus in diuturniore malo viribus, *cinchonae* et *vini* usus juste a *Fordyce* commendantur. Parti affectae, nisi desperabundus aeger locale auxilium quaerat, nil applicatur; tunc vero *cataplasma* ex mica panis, lacte et croco imponi potest. Crustarum autem spontaneus secessus expectari debet. Dolor a morbo relictus ope *vesicatorii*, loco affecto imposito, aufertur.

76) L. c.

CAP. X.

De Exanthemate mercuriali.

§. XLIV.

Definitio. Historia.

1. *Exanthema*, praeviis symptomatibus febris catarrhalis ac haud raro ptyalismi, sub forma nunc papularum profunde rubrarum, confluentium, — nunc tuberculorum obscure rubentium, — nunc pustularum miliformium, prorumpens, ac incauto hydrargyrii usui originem debens, nobis *mercuriale* dicitur. Definitio.

2. Quamvis mercurii effectus aliquando nocivi in corpus humanum jam dudum innotuerint [77]; doctrinam tamen morbi, de quo agitur, pro nova habemus. Prima illius rudimenta apud B. BELL [78], J. PEARSON *) occurrunt et HORN **); addiderunt Historia.

77) BRENDEL Progr. de inopinatis ex mercurio dulci noxis. Opusc. T. I. p. 69. — SCHREIBER Diss. de morbo mercuriali. Erfurt. 1792.

78) *A treatise on gonorrhoea virulenta and lues venerea*, Vol. 2. p. 228.

*) *Observations on the effects of various articles of the materia medica in the cure of lues venerea.* p. 167.

**) *Archiv f. med. Erfahr. Jahrg.* 1812. 1s *Heft.* p. 145.

runt his plura Alley [79]), Moriarty [80]), Spens [81]), M'. Mullin [82]) aliique [83]).

§. XLV.

Symptomata. Caussae.

Symptomata. 1. Incipit morbus veluti febris catarrhalis, cum magna et inconsueta inquietudine, debilitate, pruritu cutis, et nonnunquam, ut vidimus, cum sudoribus, odorem specificum, illi oris sub salivatione mercuriali quodammodo similem, manantibus. Plurimi simul ptyalismum et faucium inflammationem experiuntur. Vigente per unum alterumve diem febre, eruptio contingit, nunc sub forma *papularum*, tum laete, tum profunde rubrarum, summopere prurientium, instar *rubeolae*, — nunc sub ea *nodulorum* sive *tuberculorum*, profunde rubrorum, circiter veluti *urticaria nodosa;* — nunc tandem sub forma *pustularum* milia-

79) *An essay on a particular eruptive disease arising from the exhibition of mercury. Dublin* 1804. — *Observations on the Hydrargyria, or that vesicular disease arising from the exhibition of mercury. Lond.* 1810.

80) *A description of the mercurial lepra. Dublin.* 1804.

81) *History of three cases of erythema mercuriale. (Edinburgh medical and chirurgical Journal* 1805. No. 1. p. 7.)

82) *Essay on erythema mercuriale. (Edinburgh med. and chir. Journal* 1806. No. 5. p. 37.)

83) Acta mea clinica. Vol. III. p. 22.

liarium, fluido pellucido, acri, rodente, saepe specifice foetente, repletarum, quae pustulae disruptae crustas, uti in herpete, gignunt. Sedes communissima exanthematis sunt scrotum et crura; non raro autem illud ad lumbos, ad abdomen vel super totam corporis superficiem, non excepta semper facie, extenditur. Facta eruptione, febris non solum non remittit, sed invalescit potius. Idem in graviori saltem malo, de symptomatibus catarrhalibus, quibus cephalaea, pondus praecordiorum superaccedunt, dicendum est. Duratio efflorescentiae varia, ab una scilicet hebdomade usque ad mensem fere. Versus finem vergente morbo, vel desquamatio, vel secessus crustarum incipiunt. Desquamatio locum obtinet, dum eruptio sub forma papularum vel tuberculorum contingit; crustae vero plerumque occurrunt, dum eruptio ex vesiculis constitit. Sunt hujusmodi crustae ex flavo brunneae. Aliàs pustulae solidescunt ac demum desquamantur.

2. Peculiaris aegri adversus mercurium idiosyncrasia, forte a dispositione scorbutica derivanda *), — hydrargyrum, quacunque demum ratione, ac quocunque in morbo, nimia copia ad- Causae

 hibi-

*) Convenimus *hoc sub respectu* cum Chisholm, qui mercurium solum pro caussa occasionali ulcerum et impetiginum mercurialium habet. (*Are thoses deseases attributed to mercurial action on the system of the human body, peculiarly and exclusively generated by it?* — Vide *Medical and surgical Edinb. Journal.* Vol. 8.)

hibitum, — vel refrigeratio corporis sub modico etiam hujus remedii usu, — potissimas exanthematis mercurialis caussas sistere videntur. Hunc morbum nuper *in prole*, ubera matris, mercurium sumentis, sugente, ad crurum internam superficiem, sine ullis luis venereae symptomatibus, vidimus.

§. XLVI.

Diagnosis.

Nominis ratio.

1. Quoniam morbus, de quo agitur, neque leprae, neque erythematis notas prae se fert; eum potius *exanthema mercuriale*, quam sive *lepram mercurialem*, sive *erythema mercuriale*, quibus nominibus Moriarty et M' Mullin usi sunt, vocare maluimus. Posset et *Hydrargyria* *), aut *Eczema mercuriale* **) denominari.

Facilis confusio.

2. Exanthema mercuriale confundi potest cum *miliaribus*, cum *urticaria*, cum *zostere*, cum *rubeola*, cum *herpete* et cum *impetiginibus venereis*.

Distinctio a miliaribus.

3. *Exanthema mercuriale*, tum ob formam papulosam sive pustulosam, quam saepissime refert, tum ob peculiarem aegri inquietudinem, tum ob sudores frequenter foetidos, facile pro *miliaribus* haberi potest. Immo errorem hunc ii, qui mer-

*) Alley op. cit. altero.

**) Pearson l. c.

mercurium inter caussas miliarium recensent [84]), commisisse videntur.

Miliaria.	*Exanthema mercuriale.*
a. Plerumque ad latera *colli*, ad *mammas*, ad *antibrachia* erumpunt.	a. Plerumque ad *scrotum* et *crura* efflorescit.
b. Peracta eruptione *pruritus* in multis *nullus*, in aliis satis *moderatus*.	b. *Pruritus* vel peracta eruptione continuat, et quidem *summus*.
c. Liquidum in pustulis contentum *mite*, aliquando *inodorum*.	c. Liquidum in pustulis contentum *acre foetidumque*.

4. Quod sub forma tuberculorum sese exhibet *exanthema mercuriale*, hoc aegre ab *urticaria nodosa* distinguitur. Distinctio ab urticaria.

Urticaria nodosa.	*Exanthema mercuriale.*
a. Plerumque in febribus, symptomatibus *gastricis* stipata, occurrit.	a. Plerumque cum febre, quasi *catarrhali*, comparet.
b. Apex tuberculi colore *ex albo rubro* instruitur.	b. Totum tuberculum colore *obscure rubro*, notatum est.
c. Exanthema *fugax* est.	c. Exanthema *constans*.

5. *Exan-*

84) Cap. III, §. XIV. 1. (62.)

Distinctio a zostere.

5. *Exanthema mercuriale* sub forma pustularum erumpens, utpote summe pruriens, ac anxietate stipatum, pro *zostere* haberi posset, nisi illud *totam*, quam aggreditur partem, hoc *medietatem* tantum detineret.

§. XLVII.

Prognosis. Cura.

Prognosis.

1. Si quis exanthema mercuriale pro symptomate luis venereae haberet, atque ob id in usu mercurii magis magisque continuaret, de salute aegri desperandum foret. Econtra, sub recta medela, exanthema mercuriale morbum sistit, interdum quidem rebellem, sed plerumque in aegrotantibus caeterum vigentibus periculo destitutum. Aliter res in valetudinariis se habet *). Qui eruptionem hujus exanthematis pro indicio sanatae jam luis venereae agnoscunt, in gravi errore versari videntur.

Cura.

2. Exanthema mercuriale veluti febris catarrhalis curatur. Interea libenter ibi remediis antimonialibus abstinemus, ac magis quam hic alvum movere studemus. Conducit et balneum simplex, te-

*) Alley inter 43 aegrotantes, (28 mares et 15 feminas) octo habuit demortuos. Dividit nuperrime *hydrargyriam* in *mitem*, *simplicem*, et *malignam*. (Op. c. altero.)

tepidum. Ad affusionem frigidam *) in morbo tot symptomatibus catarrhalibus stipato confugere non audemus. Devicta febre, tum *balnea sulphurica*, tum usus internus *aquae*, *gaz hydrosulphuretum* continentis, prosunt. Somni defectui *opium* ad vesperas porrectum occurrit. Scriptores supra allati, usum localem *aquae calcis*, ac dein adspersionem subtilissimi pollinis *carbonum*, *farinae* sive *amyli* suadent; nos vero externa huic exanthemati remedia haud adponimus. Omnes a *plumbo* abstinent. *Ferrum* potius tentamini subjiciendum foret, utpote in ulceribus faucium a mercurio commendatum **).

Cap. XI.

De Scarlatina.

---

§. XLVIII.

Definitio. Historia.

1. *Scarlatina* 85) exanthema primarium, contagio- Definitio.

*) Bonum ab hac methodo effectum Alley expectat, ac ipse nunquam adhibuit (l. c.).

**) Horn l. c.

85) Germ. *Scharlachfieber.* — Gall. *Fièvre scarlatine.*

giosum sistit, praeviis plerumque faucium affectione et febre prorumpens, cutim colore rubro obducens, ac desquamatione, relicto inprimis hydropis periculo, evanescens.

Historia. 2. Gentem Judaicam [86]), Graecos [87]) et Arabas [88]) scarlatinam, saltem malignam, cognovisse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Nihilominus absoluta hujus morbi descriptio primum *Ingrassiae* debetur [89]). Secuti sunt Forestus [90]), Wierius [91]), Ballonius [92]), Bonetus

ne. — Angl. *scarlat fever.* — Ital. *Scarlatina.* — Bat. *Purpur-hoorts, roothont.* — Ross. Скарлатина, кармезинная сыпь. Polon. *Szkarlat.*

86) *Osservazioni e riflessioni sulle scarlatine, di* Benedetto Frizzi. Trieste 1811. §. 1.

87) Aretaeus de morbis acutis, lib. VII. — Aetius tetrab. II. serm. 4.

88) Avicenna Lib. IV. Fen 2. Tr. 4. 6. (Scarlatinam *Hemeka*, id est, betam rubram, vocat), — Haly Abbas theorice lib. VIII. cap. 14. — Rhazes cap. XIV. cont. XVIII. 8. et ad Almansor.

89) De tumoribus praeter naturam. Tr. I. cap. I. (Refert, scarlatinam jam ante a. 1500. Neapoli sub nominibus *rossania*, *rossalia*, a colore scilicet rubro, sermone italico, *rosso*, notam fuisse.)

90) Obs. 2. Lib. VI. (Auctor de epidemia Amstelodami a. 1517. a Tyengio observata, loquitur.)

91) Observ. rar. (Epidemia Germaniae inferioris a. 1564 et 1565 describitur. Vid. et Schenk Obs. lib. VI. p. 775.

92) De epidemiis. Lib. I. 2. et consultat. med. Lib. I. (De

TUS [93]), ALPHONS. DE FONTECHA [94]), PEREZ CASCALES GUADALAJOVA [95]), P. M. DE HEREDIA [96]), MERCATUS [97]), CARNEVALA [98]), NOLA [99]), SGAMBARTUS [100]), CORTESIUS [1]), AETIUS AETUS [2]), SEVERINUS [3]), BARTOLINUS [4]), ALAYMUS [5]), SENNER-

TUS

(De epidemia Parisiis a. 1581, sub nomine *rubiole* grassante, quaestio est.)

93) Sepulchret. T. I. p. 479.

94) Disput. de angina. Lib. II. p. 22.

95) *Tract. de garotillo.* Matriti 1611.

96) De angina maligna. Vid. opusc. med. T. III.

97) Consultat. med. 14. de gutturis anginosis et lethalibus ulceribus; vulgo garotillo. Francf. 1625.

98) De epidemico strangulatorio affectu. Neapol. 1620.

99) De epidemico phlegmone anginoso. Neapol. 1620. (Optimus de scarlatina, Neapoli epidemice grassante, scriptor.)

100) Opuscul. de pestilenti faucium affectu Neapoli saeviente. 1620.

1) Miscell. med. Messin. 1625.

2) Liber de morbo strangulatorio. Romae 1636.

3) Lib. de recondita abscessuum natura. Edit. Francf. 1643. p. 428.

4) De angina puerorum Campaniae Siciliaeque epidemica. Paris. 1648.

5) Consultatio pro ulceris Syriaci, nunc vagantis, curatione. Panormi 1632.

TUS [6]), DORINGIUS [7]), SMETIUS [8]), LOEW [9]), SYDENHAM [10]), MORTON [11]), HUXHAM [12]), STORCH aliàs PELARGUS [13]), UNKER [14]), LANGHANS [15]), PLENCIZ [16]), HAEN [17]), GORTER [18]), SCHOENME-ZEL

6) Op. omn. Vol. I — IV. T. VI. cap. 12. p. 483. (morbo nomen minime impertiit.)

7) Epist. ad SENNERTUM. Vid. BONET. med. septentr. collat. Lib. II. c. 17.

8) Miscell. medica. Francf. 1611. p. 564. 568.

9) Hist. epid. Hung. Act. N. C. p. 26.

10) Opuscul. p. 328.

11) De morbillis et febre scarlatina. cap. IV — V.

12) Opp. de aëre et morbis epidemicis; nunc sub nomine *febris anginosae* (Vol. I. p. 92.), nunc *febris miliaris rubrae* (l. c. p. 60. Vol. VII. p. 115.), nunc *febris miliaris malignae* (Vol. I. p. 123.), nunc *scarlatinae simplicis* (l. c. p. 135. Vol. VII. p. 113.), nuncque *eruptionis erysipelatosae* (Vol. I. p. 95.).

13) *Praktischer und theoretischer Traktat vom Scharlachfieber, wie solches vor etlichen zwanzig Jahren her, als eine seltsamme, jedoch zuweilen grassirende Kinderkrankheit, aus vielen zur Hand gekommenen-Casibus kennen gelernt. Gotha* 1742.

14) Conspect. med. p. 607.

15) Brevis delineatio morbi, qui a. 1652 in valle Simmia, epidemice grassatus est; in Act. Helvet. T. II. p. 260.

16) Op. med. physic. T. III. Vindob. 1762. Habetur versio germanica auct. Pflug. 1779. Et PLENCIZII filius animadversiones de scarlatina scripsit in MOHRENHEIMS *Wiener Beyträgen.* 2. B. S. 39.

17) *Theses sistens febr. divisiones.* p. 25.

18) Prax. med. T. II.

zel [19]), Boehmer [20]), Brunning [21]), Fothergill [22]), Cotton [23]), Starr [24]), Wall [25]), Russel [26]), Grant [27]), Johnston [28]), Withering [29]), Percival [30]), Clark [31]), Sims [32]), Pe-

ART

19) Diss. de scarlatina in annis 1775 — 76 epidemica. Heidelberg. 1779. (Frank delectus opusc. med. Vol. II. p. 253.)

20) De febre scarlatina epidemice grassante. Halae 1764.

21) Constitutio epidemica Essediensis a. 1769 et 70. sistens historiam febris scarlatino-miliaris anginosae. Vesel. 1772.

22) *Account of the sore-throat* etc. Lond. 1751.

23) *Lettre to Dr.* Mead.

24) *Philosophical transactions.* 1749. No. 46. 49.

25) *Medical Tracts, — Gentlemann's Magazin.* Vol. 21, p. 497.

26) Oecon. nat. in morb. gland. p. 105.

27) *On fevers.* Vol. 2. p. 129.

28) *Memoirs of the medical Society of London.* Vol. 3. art. 16.

29) *On the scarlat fever and sore-throat.* Lond. 1779. (*Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 5. B. 18 St.).

30) *Essays medical and experimental.* Lond. 1772.

31) *Observations on fever attented with ulcerated sore-throat, as it appeared at Newcastle upon Tyne the year* 1778.

32) *Of the scarlatina anginosa as it appeared in London in the year* 1786. (*Mem. of the med. Soc. of London.* Vol. I.

ART [33]), WALDON [34]), CRICHTON [35]), PAERS et BLACBURNE [36]), RUSH [37]), MALOUIN [38]), LOISY [39]), NAVIER [40]), CHOMEL [41]), RABOURS [42]), LORRY [43]), BRUGNONE [44]), NANNONI [45]), BERTRANDI [46]), ASCOW [47]), BANG [48]), EICHEL [49]), BI-

33) *Practical information on the malignant scarlat-fever and sore-throat.* 1802.

34) *Medical and physical Journal.* No. 94. p. 552. (*Samml. auserl. Abhandl. fur prakt. Aerzte.* 24. B. 3 St.)

35) Vide infra.

36) FRIESE apud WILLAN op. c. p. 256. Not. ***).

37) *Philadelphical medical inquiries and observat.* 1789. p. 102.

38) *Histoire de l'academie des sciences,* Art. *esquinancie maligne.*

39) *Récueil d'observations de médecins d'hôpitaux militaires pr.* MR. RICHARD DE HAUTESIERK. Vol. 2.

40) *Sur plusieures maladies populaires qui ſont regnées à Chalons sur Marne* 1753.

41) *Abhandlung über die brandige Bräune.* 1749.

42) De ulcere tonsillarum. (*Mémoires de l'académie de Montpellier — Journal de médecine* T. 31.)

43) *Actes de la Soc. R. de médecine.* Vol. 2.

44) *Opuscoli interessanti.* Torino 1777. Vol. I.

45) *Trattato di chirurgia.* T. 2. p. 42.

46) *Opere anatomiche e cerusiche.* T. I. p. 57.

47) Acta R. Societ. med. Havn. Vol. II. p. 91.

48) Ibid. No. 3.

49) Ibid. No. 1.

Bicker [50]), Wilhelm [51]), Hagstroem [52]), Wilke [53]), Schaeffer [54]), Cappel [55]), Henrici [56]), Kreyssig [57]), Titius [58]), Struve [59]), Stieglitz [60]), Kletten [61]), Reich [62]), Horn [63]),

Heim

50) *Samml. auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 9. B. S. 132.

51) Historia febris scarlatinosae a. 1766. Herbipoli epidemice grassantis. Würceburg 1766.

52) *Samml. auserl. Abh. f. prakt. Aerzte.* 14. B. 5. St.

53) Diss. inauguralis de angina infantum in patria (Suecia) recentioribus annis (1757 – 1764.) observata. Upsal. 1764.

54) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde.* 6. B. S. 224.

55) *Abhandlung vom Scharlachausschlage.* Gött. 1803.

56) Ad historiam scarlatinae symbolae nonnullae. Kiliae Holsat. 1799.

57) Op. c. (cap. III. § XII. 2. Not. 26).

58) *Diss. de scarlatina, observationes et meletemata quaedam.* Wittenberg. 1796.

59) *Untersuchungen und Erfahrungen über die Scharlachkrankheit.* Hannov. 1803.

60) *Versuch einer Prüfung und Besserung der jetzt gewöhnlichen Behandlungsart des Scharlachfiebers.* Hannover 1807.

61) De varia malignitatis ratione in febre scarlatinosa observationibus illustrata. Lips. 1811.

62) *Neue Aufschlüsse über die Natur und Heilung des Scharlachfiebers.* Berlin 1810.

63) *Archiv für med. Erfahrung.* 1811.

HEIM 64), BENEDICT 65), ne dicamus de scriptoribus vel universam doctrinam medicam, vel eam morborum cutis in genere amplectentibus, inter quos ultimos WILLAN et FRIESE primum hic occupant locum.

§. XLIX.

Symptomata. Autopsia cadaverum.

Generatim. 1. Cum multum intersit, rectam *curriculi* exanthematum primariorum habere rationem, verum nil magis huic notioni obstet, quam diffusa symptomatum specialium illustratio, hanc illustrationem ad diagnosin remittimus atque hic solummodo decursum *scarlatinae* tum *simplicis*, tum *inflammatoriae*, tum *gastricae*, tum *typhodis* succincte exponemus.

Sc. simplex. 2. *Scarlatina simplex* cum sensu debilitatis, facie pallida, levi horripilatione, subsequente calore, siti, fauciumque affectione ingruit. Cuncta symptomata horis vespertinis augentur. Primo ad finem vergente nychthemero, sive secundo incipiente, nonnunquam serius, praevio interdum tali sensu, ac si cutis aciculis puncta esset, exanthema sub forma punctulorum et macularum rubrarum, varias corporis partes occupantium, dein confluentium, et sese per universam superficiem ex-

64) Ibid.

65) *Geschichte des Scharlachfiebers, seiner Epidemie und Heilmethode.* Leipz. 1810.

extendentium apparet. Si digito tunc cutis comprimatur, rubor evanescit ac ablata compressione redit. Peracta eruptione, febris et faucium affectio vel imminuuntur, vel plane evanescunt. Jam tertio, quarto ab eruptione die, non raro quaedam desquamatio sub forma furfurum pluribus in locis animadvertitur, et exanthema decrescit, donec idem septimo sive octavo die morbi, comparente ampliori desquamatione, evanescat. Eodem hoc tempore, vel sudor universalis, vel urina cum sedimento puriformi, vel lenis alvi fluxus, aegritudini finem imponunt.

3. *Scarlatina inflammatoria* saepe a lassitudine, morositate, tristitia, capitis pondere, raucedine, rigiditate musculorum nuchae et maxillae inferioris, per aliquot dies perseverantibus, praesagitur. Sequitur febris cum horrore, cui calor summus, pulsus frequens, nunc depressus, nunc durus, cutis sicca, ardens, epistaxis, facies accensa, oculi fulgentes, rubri succedunt. Aliàs morbus immediate cum febre orditur. Ea vigente, quocunque in casu, faucium affectio, deglutitione summopere dolente stipata, molestissima fit. Examinatis faucibus rubor coccineus tonsillarum, palati, veli penduli, linguae et gingivarum, saepe sine partium affectarum tumore, conspicitur. Tonsillae plerumque plus minus lympha coagulabili obductae. Vox nasalis est. Glandulae submaxillares, quin immo et parotides, non raro tument.

Sc. inflammatoria.

tument. Interdum apparatus symptomatum gastricorum prodit. Versus noctem manifesta exacerbatio, saepe cum delirio, sopore, convulsione, respiratione calida anhelosa, suspiriis intersecta, occurrit. Exanthema tempore et modo, superius indicato, contingere ac decurrere solet. Saepe cutis praeter universalem ruborem, papulas miliformes aut phlyctaenas exhibet. Peracta eruptione, febris haud multum remittit, quin immo, saepe invalescit, quod si acciderit, facile cerebrum, aures, trachea, pulmones, ventriculus, intestina, uterus et vesica urinaria ita in consensum trahuntur, ut symptomata, inflammationi horum viscerum propria, in conspectum veniant. Nec rarum est, sive miliaria, sive aphthas accedere. Nisi aeger decedat, febris plerumque sexto aut septimo die, ampla accedente desquamatione, solvitur. Interdum ea ad tertiam hebdomadem, vel et quadragesimum diem 66) protrahitur. Quot pericula convalescentem expectent, infra palam fiet.

Sc. gastrica. 4. *Scarlatina gastrica* symptomata, medium fere inter scarlatinam simplicem et inflammatoriam tenentia, exhibet. Praeterea haud raro debilitas conspicua, peticulae, et ascaridum lumbricoidum secessus 67) observantur.

5. *Scar-*

66 VOGEL's *Handbuch.* 3. Thl S. 235.

67) Sic in epidemia Cephaloniae accidit (ANGELO ZULATTI in *Giornale di medicina.* Vol. 2. No. 29.)

5. *Scarlatina typhodes* cum ingenti virium prostratione ac vertigine incipit; sequitur frigus, succedentibus calore, acutissimoque capitis dolore. Pulsus utplurimum frequentes, parvi, interdum ab initio morbi, pleni et duri. Urina pallida. Urgent anxietas, diarrhoea et vomitus. Accedunt lipothymiae, suspiria, vigiliae aut sopor. Oculi fiunt turbidi aut rubri et lacrymantes. Aeger, vel sub ipsa deglutitione, sensum constrictionis potius quam doloris in faucibus percipit. Hae si examinentur, maculae ex albo cinereae, circulo rubro sive livido circumdatae, cito livescentes vel nigricantes, praecipue ad tonsillas, in conspectum veniunt. Nonnunquam et narium cavitates simili pacto laborant. Halitus maxime foetet, ac acerrimus ichor ex partibus gangraena correptis manat, qui, ab infantibus deglutitus, ventriculum et intestina aggreditur, vel in pulmonem depluit, varias hisce in organis excitando turbas. Neque parotides et ptyalismus raro hic observantur. Interdum collum et pectus cum suffocationis periculo riget atque intumescit. Primo sive secundo die, aliquando serius, exanthema, nunc levigatum, nunc miliforme, nunc pustulosum, mox rubrum, mox lividum, prodit. Occurrunt simul peticulae, vibices, miliaria. Interea morbus, symptomata typhi gravissimi, praesertim haemorrhagias, subsultus tendinum, singultum, exhibens, crescit, ac interdum gangraena, per Sc. typhodes.

per tubam Eustachii ad aurem proserpens, tympanum destruit. Plurimi hac sub rerum positione circa quartum morbi diem moriuntur. Felicioribus, secedente eschara fauces depurantur, et comparente sudore universali, vaporoso, calido, exanthema desquamatur. At, vel tunc multa aegros pericula circumdant.

Autopsia cadaverum. 6. Cadaverum, de quibus agitur, superficies nunc rubet, nunc livet, nunc variegata est. Facile epidermis secedit, ac alia putredinis praematurae indicia cernuntur. Nonnullis ichor cruentus ex ore et naribus manat. Saepe vasa sanguinea turgida, meninges et cerebri superficies inflammatae, ventriculique cerebri sero repleti sunt. Tympani erosionem praeter alios Horn vidit [68]). Lympha coagulabilis non solum fauces obducit ac interdum sub forma pseudomembranae obturat [69]), sed aliquando in ipso textu celluloso musculos colli ambiente, invenitur. Interdum sphacelus faucium, ad oesophagi initium extensus occurrit. Neque exempla gangraenae, internam superficiem tracheae [70]) et tubi intestinalis [71]) obducentis, desunt. Saepissime pulmones, vel prorsus normales, vel

68) L. c. S. 263.

69) Starr l. c. Tab. I.

70) Taffius obs. med. p. 42.

71) Le Cat *Philosoph. Transact.* Vol. 12. *Leskische Uebersetzung.* 4. B. S. 217. — Lieutaud *précis de médecine.* T. 2. p. 518.

vel roseo colore notati, sero copioso innatant. Vel eorum oedema hic observatum est [72]. Nec hydrops pericardii in dubium vocari licet. Tumorem oedematosum scroti enormem CAPPEL [73] et VOGEL [74] conspexerunt. Praeterea cadavera hominum ex scarlatina peremtorum saepe vestigia aliorum morborum chronicorum, inprimis hepatis, lienis et mesenterii, exhibent.

§. L.

C a u s s a e.

1. Observationes CLARKII [75], HEBERDENII [76], SIMSII [77] et nostrae docent: 1. infantes infra decimum aetatis annum quammaxime scarlatinae obnoxios esse; 2. utrumque sexum ad vigesimum annum usque pari pacto ab hoc morbo affici, ita tamen, ut non quodlibet individuum necessario illi subjiciatur [78]; et 3. a vigesimo autem anno rarissime mares *), saepissime vero feminas, in- C. praedisponentes.

N 2 pri-

72) CLARK l. c. p. 210.

73) L. c. S. 88.

74) L. c. S. 235.

75) L. c. et apud WILLAN l. c. S. 263.

76) Comment. de morbor. histor. et curat. p. 15.

77) L. c. p. 138.

78) Permulti medici, nec me excepto, inter aegros scarlatina affectos versantur, quin morbum contrahant.

*) Hoc ipso momento aegrum, vigesimum octavum aetatis

primis graciles et puerperas ab eo corripi. — Scarlatina plerumque circa aequinoctium tum vernale, tum autumnale occurrit [79]). Quae hoc tempore evolvitur, haec per totum hyemis curriculum grassari solet. Verum nec aestatem hic morbus respuit [80]). Vidimus eum continuo per plures annos regnasse [81]). Patet igitur SCHOENMEZELIUM omni jure contendisse, annuam constitutionem parum vel nil in scarlatinam influere [82]).

C. excitans. 3. Caussa scarlatinam excitans, procul dubio in *contagio* specifico locata est. Sic docet inprimis modus, quo hic morbus propagatur. Propagatur enim per contactum aut commercium cum aegris scarlatina laborantibus vel cum ipsis ex hoc morbo convalescentibus [83]), nec non per usum supellectilis, vestium, et mercium infectarum. Propagatio ista, nunc facillime, nunc difficulter locum obtinet, ita ut scarlatinam interdum cum LENTINIO [84]), haud contagiosam dixeris

tatis suae annum numerantem ac scarlatina detentum, curo.

79) PLENCIZ l. c.

80) WITHERING l. c. p. 250. — RUSH l. c. p. 102. — WILLAN l. c. p. 264.

81) Vindobonae, ab anno 1797. — ad a. 1801.

82) L. c.

83) WILLAN l. c. p. 194.

84) *Beyträge zur ausübenden Arzneywissenschaft.* 1785.

ris [85]). Nil potentius actionem contagii scarlatinae adjuvat, quam corporis, inprimis aestuantis, refrigeratio. Fertur, quod ii, qui effluvia aegrorum scarlatina laborantium prope suscipiunt, saepe sensum sulphatis cupri ad linguam percipiant et hinc inde in nauseam et salivationem incidant [86]; verum id nunquam animadvertere potuimus. Periodus latentis contagii, nobis videtur plerumque quinque dierum. Sic et HEBERDEN autumat [87]. Duos solummodo dies BINNS [88], tres sive quatuor WITHERING [89] et septem GRANT [90] stabiliverunt. Quoad originem contagii scarlatinae, densa adhuc ea caligine involuta est. Interim omni attentione opinio NAVIERI et PLENCIZII digna videtur, utpote qui scarlatinam tum a propriis animalculis, tum a pecudum affectionibus derivant [91]. An forte *carbunculus oris* pecudum species scarlatinae malignae? — Ex homine in canem scarlatinam migrasse, HEIM refert [92].

3. *Caus-*

85) WILLAN l. c. S. 194. — Acta mea clinica. Vol. III. p. 17.

86) WILLAN l. c. S. 296.

87) L. c. p. 18.

88) L. c.

89) L. c. p. 61.

90) L. c. p. 363.

91) Locis citatis.

92) L. c. p. 72.

C. proxima. 3. *Caussam proximam* scarlatinae in inflammationem specificam superficiei cutis, potissimum retis mucosi ponimus. Patet inde scarlatinae cum erysipelate affinitas, quae praeterea a febre, a rubore cutis, ad compressionem digiti evanescente, hac cessante revertente, a desquamatione et a proclivitate ad extravasatum, abunde confirmatur. Scarlatinam nisum naturae ad repellendam veterem novamque generandam epidermidem sistere, hypothesis est, ab aliis jam satis refutata 93).

§. LI.

Diagnosis.

Symptomatum illustratio. 1. Ut superius innuimus, potiora scarlatinae symptomata, nempe *faucium affectionem*, *febrem* et *eruptionem cutaneam*, speciatim nunc ad trutinam revocabimus.

Faucium affectio. 2. In scarlatinam nemo incidit, quin ocyus serius *faucium* patiatur *affectionem*. Sic, exceptis CLARK et RUSH, omnes jure testantur scriptores. Constat autem haec faucium affectio *rubore*, *dolore* et *tumore*, nunc simul, nunc *separatim* obvenientibus. *Rubor*, formâ striae, per palatum molle sub uvula decurrens, saepe primum suscepti scarlatinae contagii indicium sistit. Serius is totam faucium cavitatem, praecipue tonsillas,

93) *Jenaer allgemeine Literaturzeitung* 1810. No. 208. quo loco REICHII opus ad trutinam vocatur.

las, occupare, et plerumque ad oris cavum sese extendere solet. Haud raro rubor ob lympham coagulabilem fauces ita obducentem, ut albescant, ac falsam, rarissime hic latentis, abscessus imaginem prae se ferant, non animadvertitur. Aliàs rubor faucium sine omni incommodo praesto est, ac nychthemeri spatio jam evanescit; unde quam facile sit eum non animadvertere, quivis sponte intelligit. Plerumque tamen rubor hic ardore sive *dolore* stipatur, qui dolor in nonnullis epidemiis, morbi adventum annuntiat [94]), aliàs sub curriculo tantum aegritudinis, scilicet die septimo [95]), octavo, nono [96]), apparet. Maxime ille ad tonsillas sub opere deglutitionis, saepe impedito sive deleto, percipitur. Ingesta tunc vel ex oris angulis, cum saliva aliquando cruenta [97]), depluunt, vel per nares redeunt, concomitantibus impotentia verba rite articulandi, *tussi* [98]), et voce nasali interdum rauca, stridula [99]). Trismum

94) Loisy l. c. p. 263. Idem testatur Eichel et Schoenmezel.

95) Vidit Goettingae a. 1784 et 1785 pater meus, vidi Vilnae hyeme a. 1811–1812.

96) Sic accidit in epidemia Berolinensi (Acta medica Vol. II. p. 20.)

97) Plenciz l. c. p. 20.

98) Sims l. c. p. 405.

99) Rush l. c. p. 102. Verum *croup* ex rubore scarlatinoso ad tracheam propagato observavit Batermann. (*Re-*

mum [100]) nunquam hic vidimus. Sub maximis licet faucium doloribus et deglutitionis impedimento, partes affectae tamen vix multum *tumoris* exhibent, ac potius *rigere* videntur. Interdum ab *aphthis* obsidentur. De gangraena faucium, utpote de exitu, speciei scarlatinae typhodi proprio, infra agemus.

Febris. 3. *Febris* pro varia morbi indole, variis symptomatibus stipari, ex dictis [1]), elucet. *Frigus* ad duodecim horas protractum fuisse, Loisy [2]) refert. *Calor* interdum minor, quam ex rubore cutis expectandum foret; alias maximus et a thermometro confirmatus [3]) observatur. *Pulsus* raro magnus, fere semper obscurus, creber, et variabilis *), aliquando, praecipue apud infantes, intermittens et irregularis obvenit. *Urina* nunc limpida, nunc rubra, nunc nigra [4]). Versus finem morbi

(*Report of diseases treated at the public Dispensary near great Carey-street. London from Sept.* 1811 — *to Jun.* 1812. *In Edinb. med. surgical Journ.* 8. Vol.)

100) Withering l. c. p. 18. 21. — Willan l. c. p. 261.

1) §. XLIX.

2) L. c. p. 265.

3) Ad 112 gr. Th. F. apud Willan l. c. p. 202.

*) Pulsuum istam in scarlatina fere *specificam* conditionem verbis describere nequeo, sed attentionem medicorum pro ea solicito.

4) Heim l. c. S. 70.

morbi lotium non raro sedimento puriformi, furfuraceo, quasi squamoso instruitur. *Sudor* vix unquam ante morbi finem animadverti solet. *Odorem specificum*, quem aegros scarlatina affectos spirare, HEIM contendit [5]), minime percipere potuimus. Febris scarlatinosa sat constanter *exacerbationes* vespertinas et nocturnas patitur. Iis vigentibus, aeger facilius, quam aliis in morbis, aliena loquitur [6]).

4. *Eruptionem* scarlatinae inter finem primi et initium secundi morbi diei posuimus, atque ita in genere. Non desunt enim exempla scarlatinae vel febrem praecedentis [7]), vel eam post nonnullas horas sequentis [8]), vel tertio, immo quarto [9]) morbi die erumpentis. Prima quidem eruptio plerumque ad faciem, jugulum, pectus et ad brachia, sed hinc inde vel ad crura et ad abdomen contingit. *Puncta*, sub quorum forma exanthema erumpit, innumerabilia cernuntur; *maculae* ad figuram rotundam tendunt. Saepe circumferentiae plurimarum macularum sese invicem attingunt, donec confluant, quod spatio unius nychthemeri accidere solet. Attamen rubor ad dorsum raro continuus, ac plerumque sub adspectu retis vasorum,

Eruptio cutanea.

5) L. c. S. 69. 74.

6) HEBERDEN l. c.

7) HEISTER Compend. med. C. 3. Sect. 6.

8) LOISY l. c. Vol. I. p. 342. — EICHEL l. c.

9) HEBERDEN l. c. p. 20.

rum, quasi arte injectorum, apparet. Evidentissime exanthema ad lumbos, coxas et articulationes, floret. Calor illius ab initio est ex pallido, coccineus, cancri cocti fere instar, aut si quis verecundiae gratia erubesceret; deinde vero obscure ruber, veluti beta rubra, vel et lividus evadit. Probe autem notandum est, variam cutis conditionem, permultum in colorem exanthematis influere. Qualiscunque vero sit rubor, id, ut diximus, peculiare habet, quod ad compressionem digiti evanescat, ac ea ablata, a peripheria ad centrum redeat. Scarlatina nunquam tumore, saltem universali, stipatur. Manus econtra ita interdum tument, ut aeger digitos flectere nequeat. Et faciei palpebrarumque intumescentia nonnunquam observatur [10]). Animadvertente SIMS, tumor cutis in scarlatina id proprium habet, quod valde doleat [11]). Exanthema hujusmodi non solum universam corporis superficiem externam occupare, sed sese vel ad viscera extendere, tum ex descriptione morbi, tum ex autopsia cadaverum, elucet. Rubor oculorum primum in ea albugineae parte apparet, quae a palpebris tegitur [12]), unde medicus, ut mature de oculorum statu certior fiat, palpebras removere debet. Non obstante rubore, oculi lucem satis ferunt, et quamvis saepe tumidi sint,

atta-

10) BICKER l. c. p. 145. — STIEGLITZ l. c. p. 110.

11) L. c.

12 WITHERING l. c.

attamen nunquam lacrymantur. Scarlatinam neque naribus parcere, docet earum rubor, ac rara quidem, at haud neganda [13]) et a BICKERO jam observata [14]) sternutatio. Dysuria et tenesmus, quibus scarlatina interdum insignitur, de exanthematis ad vesicam urinariam et ad anum extensione testari videntur. Interdum autem scarlatina tantummodo *partialis* est. Id inprimis ad pectus, brachia, et genua, praecipue in adultis [15]), vel fugato ante tempus universali exanthemate, eoque redeunte [16]), contingit. Scarlatina nempe aliorum exanthematum instar, citius quam par esset, inprimis ob susceptum refrigerium, evanescere solet, quin immo datur, nobis aliisque [17]) pluries visa, *febris scarlatinosa sine omni efflorescentia.* Stabilitur illius praesentia: dum aeger, qui scarlatinam nunquam perpessus erat, tempore quo morbus iste grassatur, in febrem incidit cum faucium affectione, characteres cynanches scarlatinosae

13) WILLAN l. c. p. 198.

14) L. c.

15) NEUMANN in HORN's *Archiv* 1811. 2. B. 309.

16) HEIM in HUFELAND's *Journal* 1812. 3s St. S. 66.

17) HAGSTROEM l. c. p. 463. — JOHNSTON l. c. p. 358. — DE MEZA l. c. p. 58. — SIMS l. c. p. 413. — WITHERING l. c. p. 22. — VOGEL l. c. p. 226. — CLARK l. c. p. 361. — LOISY l. c. p. 263. — SCHAEFFER in editione operis ARMSTRONGII de morbis infantum p. 150. — CAPPEL — l. c. S. 77. — STRUVE l. c. S. 193. — J. P. FRANK l. c. p. 67. etc.

nosae exhibente, nec non cum cute valde ardente, dumque totus morbus tempore scarlatinae praescripto, praecipue cum epidermidis desquamatione, terminatur. Interea exempla febris scarlatinosae sine scarlatina rariora numerarentur, si cutis examen debita semper diligentia institueretur, ac ruboris partialis major haberetur ratio [18]. Caeterum cavendum est, ne omnem mox ruborem superficiei corporis, potissimum apud lotrices et feminas cuti candida instructas ac vehementer febre laborantes, pro scarlatina declaremus. — Exanthemati huic *triplex est forma*, unde scarlatina dividitur in *levigatam*, in *miliformem* et in *pustulosam*. — *Scarlatina levigata* sive *plana*, superficiem cutis tum visui, tum tactui aequalem et planam offert. *Scarlatina miliformis* sive *papulosa*, quam EICHEL [19], BICKER [20], LORRY [21], BOR-

18) „Non raro vidi exteriorem partem carpi levi rubore suffusam, cujus nusquam alibi reperire potui vestigium." (HEBERDEN l. c. p. 17.) — In puero septenni, nuper ex *cynanche gangraenosa*, quarto morbi die Vilnae defuncto, scarlatina, in quam per tres dies incassum inquisiverunt medici, non nisi *paucas ante mortem horas*, a chirurgo vesicatoria curante, fortuito detecta est.

19) L. c. p. 8.

20) L. c. p. 151.

21) L. c. p. 7.

Borsieri [22]), J. P. Frank [23]), Lauth [24]), Cappel [25]), Kreyssig [26]), Kieser [27]) aliique [28]) descripsere, cutem universam, praecipue ad digitos et ad abdomen, asperam, anserinam, ac si granulis minutis sive seminibus milii conspersa esset, offert. — *Scarlatina pustulosa* sive *phlyctaenosa*, sive *vesicularis*, cujus Störk [29]), Baraldi [30]), Rosenstein [31]), De Meza [32]), Rush [33]), Kreyssig [34]), J. P. Frank [35]) et Kieser [36]) rationem

22) L. c. §. 81. ex: *Giornale di medicina di* Pietro Orteschi. Vol. 2. No. 19.

23) L. c.

24) *Vom Witterungszustande, dem Scharlachfriesel und bösen Hals.* 2 Abthl. S. 23.

25) L. c. S. 141.

26) L. c. S. 12.

27) Hufeland's *Journal* 1812. 18 St. S. 36. 28 St. S. 65.

28) Hahnemann in *Reichsanzeiger* 1806. N. 191. et in Hufeland's *Journal* 24. B. S. 139. nec non Wendelstaedt ibid. 27. B. 3 St., sub erroneo nomine, *febris purpurae miliaris.*

29) An. med. secund. p. 46.

30) *Raccolta d'opusc. med. pratici.* Vol. 2. p. 202.

31) *Anweisung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten*, 6te *Auflage mit Anmerkungen von* Loder *und* Buchholz. S. 361.

32) Compend. med. pract. p. 59.

33) L. c. p. 123.

34) L. c. S. 57.

35) L. c.

36) L. c. 28 St. S. 83.

nem reddiderunt, *pustulis*, ortum exanthematis comitantibus, vel parum postea comparentibus, vel *phlyctaenis* sive *vesiculis*, variolis similibus 37) ac die sexto, octavo, et tardius erumpentibus, primum sero, non aëre 38), repletis, dein, absorpto scilicet liquido, vacuis, plerumque desquamatione, interdum, praesertim in facie, crustis 39), terminandis, instruitur. In genere scarlatina *duplicem*, ut diximus, *desquamationem* exhibet, quarum una, die tertio sive quarto eruptionis, sub forma furfurum minimarum, praecipue ad extremitates, altera, die septimo, octavo, vel tardius, sub adspectu furfurum majorum vel squamarum, occurrit. Haud raro integra epidermis, partis denudatae, inprimis manuum et plantae pedum, figuram referens, interdum simul cum crinibus, unguibus 40) et verrucis 41), secedit *). Et desquamationis species in oris et faucium cavis 42), ne-

37) Scarlatina variolosa. SAUVAG.

38) Sic docuit ROSENSTEIN.

39) BARALDI l. c.

40) Tale exemplum pater meus in femina Parmensi a. 1787 habuit.

41) LENTIN *Beyträge* No. 210.

*) Nullibi accuratius structura cuticulae apparet, quam in frustis, quae scarlatinae culpa, secedunt: lineas enim sulcatas spirales in digitorum apice, et ramoso-parallelas in vola manus, exhibent.

42) „Visa fuit lingua, sub desquamationis tempore, ita a

ne dicamus in ipsa urina, animadvertitur. Ad volas manuum et ad digitos nova epidermis; aliquando jam sub antiqua, semi-elevata, comparens, ruborem, a compressione digiti, non sine doloris sensu evanescentem, ac si pars vernice obducta esset, splendentem, exhibet *).

5. Scarlatinae variae formae cum *miliaribus* cum *urticaria*, cum *erysipelate*, cum *morbillis*, cum *porrigine*, cum incipiente *lepra squamosa*, et cum *cynanche faucium* confundi possunt. Facilis confusio.

6. *Scarlatinam miliformem* saepius sub nomine miliarium, praecipue *rubrarum* descriptam fuisse, WILLAN et FRIESE demonstrarunt 43). Errori huic eo facilius locus est, cum, rite animadvertentibus LOISY, BRÜNNING et PLENCIZ, miliaria haud raro cum scarlatina connubium ineant. Distinctio a miliaribus.

Milia-

a sua sorditie depurari, ut ejus epidermis cum sputis rejiceretur. Similes lamellae ex narium quoque cavo secedebant." (EICHEL l. c. p. 10.) — Ipsam linguam cum palato desquamatam vidit STORCH (l. c. p. 215.)

*) Certum hinc est, quod cuticula, quo minus aëri exposita est, eo magis *mucosa* esse consuescit, exemplo partium internarum, quas cuticula mucosa et lubrica obvestit.

43) Op. c. p. 234. Provocant ad WINKLERUM (Eph. N. C. Dec. I. a. 6. 7. obs. 42.), ad LANGIUM (Prax. med. cap. 13.), ad SCHACHERUM. (De febre acuta exanthematica. Lipsiae 1723), ad ETTMÜLLERUM (De febre p. 527.)

Miliaria.	*Scarlatina miliformis.*
a. Raro in infantibus occurrunt.	a. morbus infantilis est.
b. A sudore specifico praecedi solent.	b. Sudor ante eruptionem vix ullus observatur.
c. Scarlatinae tantummodo provectae superveniunt.	c. Primis morbi diebus adest.
d. Rarissime super totum corpus extenduntur.	d. Maximam corporis superficiei partem occupat.
e. Rarissime faciem detinent.	e. Faciem aliarum partium instar obducit.
f. Evidentissima sunt ad latera colli et ad mammas.	f. Evidentissima est ad digitos et ad articulos.
g. Desquamatio aut nulla aut parva observatur.	g. Desquamatio conspicua.

Distinctio ab urticaria. 7. *Scarlatinam* cum *urticaria* confuderunt SAUVAGES 44), nonnulique inter auctores, qui de scarlatina ex esu cancri fluviatilis scripserunt 45).

Ur-

p. 527.) et ad RAYGERUM (Miscell. N. C. Dec. I. an. 3.).

44) Urticariae nomen *scarlatinae urticatae* impertit. (cap. V. §. XXI.)

45) Ibid. §. XXII. a.

Urticaria.	*Scarlatina.*
a. Morbus haud contagiosus.	a. Morbus in genere valde contagiosus.
b. Eruptio, sub magno pruritu, rapide contingit.	b. Eruptio, lentius, et sine vero pruritu, locum obtinet.
c. Maculae inaequales, prominentes, tuberculosae, discretae, in centro fere albescentes, sunt.	c. Maculae circulares, planae vel asperae, confluentes, omnino rubrae.
d. Erratica et fugax est.	d. Absente errore in regimine, efflorescentia satis constans observatur.
e. Sub frigore utplurimum evidentior fit.	e. A frigore evanescit.
f. Sine vestigiis disparet.	f. Desquamatione terminatur.

8. *Scarlatina*, quae, more consueto, universam corporis superficiem occupat, ob id ipsum *ab erysipelate* distinguitur [46]). Non ita *scarlatina partialis*. Distinctio ab erysipelate.

Ery-

46) Cap. VI. §. XXVI. 2.

Erysipelas	*Scarlatina partialis.*
a. Raro et per accidens tantum faucium affectione instruitur.	a. Constans observatur faucium affectio.
b. Contagii vix adest suspicio.	b. Contagii plerumque certitudo.
c. Sensim sensimque extenditur.	c. Praevia utplurimum scarlatina universali erumpit.
d. Rubor saepe splendens, maxime ardens.	d. Rubor haud splendens, parumque ardens.

Specierum consideratio generatim.

9. Cum descriptio curriculi variarum specierum scarlatinae ad diagnosin ipsarum rite instituendam haud omnino sufficere posset; hinc in tanti momenti negotio, vel sequentia addere, utile duximus.

Sc. simplex.

10. *Scarlatina simplex*, optime a SYDENHAMO [47]) et a PROSPERO MARTIANO [48]) descripta, ac ipsi interdum scarlatinae malignae intercurrens [49]), quamvis a CULLENIO haud visa sit, neque relate ad caeteras species constantem rationem habeat [50]), fre-

47) L. c.

48) Comment. in epidem. Hippocr. Lib. II. Sect. 3. v. 20.

49) Sic jam medici Neapolitani, et BICKER, FOTHERGILL aliique observarunt.

50) WILLAN l. c. p. 264.

frequentissime tamen, saltem in Lithuania, obvenire solet. Diagnosis illius potissimum ex remissione vel cessatione febris et faucium affectionis, a peracta jam eruptione, desumitur. Forma plerumque levigata; hinc inde tamen miliformis esse solet.

11. *Scarlatina inflammatoria*, a WITHERINGIO et SIMSIO exactissime descripta, epitheto *anginosae* sive *cynanchicae* non satis a reliquis speciebus distincta, haud raro, praecipue sub adspectu miliformi, obvenit. Diagnosis potissimum ex vehementia febris, faucium inflammationis vel peracta eruptione continuantis, nec non ex lentiori et irregulari, saepe viscerum phlogosi insignito, curriculo, depromitur. Reliqua a WILLANO allata diagnostica [51]) admodum incerta videntur. Sc. inflammatoria.

12. *Scarlatina* haud raro *symptomatibus gastricis*, diarrhoea scilicet [52]), vomituritione [53]), constrictione ventriculi ad lipothymiam usque [54]), insignitur; utrum vero ideo semper *gastrica* sit, ex dictis [55]), dijudicandum. Sc. gastrica.

13. *Scarlatina typhodes* sive *maligna*, tum a medicis Neapolitanis, tum a WIERO, BALLONIO, Sc. typhodes.

O 2 MOR-

51) L. c. p. 203.

52) JOHNSTON l. c.

53) RUSH l. c.

54) PLENCIZ l. c.

55) Cap. I. §. IV. 19.

MORTONO, RUSSELIO, LANGHANSIO, WILKIO, CRAMERO, praecipue vero a FOTHERGILLIO et WILLANO, sub nomine saepe *cynanches gangraenosae* describitur. Quamvis enim, testantibus observationibus tum nostris, tum aliorum [56]), et alii morbi, praecipue typhus in hominibus scorbuticis, gangraenam faucium exhibeant, attamen cynanchen illam faucium *epidemicam* et *contagiosam*, de qua fasti medici, nunquam sine exanthematis cujusdam mentione, et tantum eousque doctrina scarlatinae rite inclaruit, loquuntur, ad scarlatinam typhodem pertinuisse, cum praecipuis praesentis aevi medicis censemus. Ne quis autem credat, cynanchen faucium gangraenosam, ad scarlatinam typhodem constituendam absolute requiri, enimvero tum in epidemia scarlatinae, quae in orphanotrophio Vindobonensi a. 1801. saevierat, tum in *scarlatina puerperarum* in nosocomio majori ejusdem urbis [57]), tum in epidemia a WALDONIO descripta,

56) PETRUS A CASTRO (de febre maligna puncticulari §. 22. p. 232. Norimb. 1652.), RAMMAZZINI (Constitut. a. 1691—1694.), GRAMER (De anginae gangraenosae differentiis. Halae 1783.), PERKIN (*Essay for a nosological and a comparative view of the cynanche maligna or putrid sore throat, and the scarlatina anginosa, or scarlat fever with angina.* Lond. 1787.) DENGER (Diss. in anginae malignae aetiologiam eique convenient. med. method. inquisit. Goett. 1792).

57) Pulchre hunc morbum descripsit amicus ac ingeniosus vir, MALFATTI (HUFELAND's *Journal* 12. B. 3. St. p. 120.)

scripta, saepe omnes scarlatinae typhodis notas, sine ulla faucium gangraena, invenimus. Quo magis vero scarlatina typhodes signo pathognomonico destituitur, eo magis caveri oportet, ne fortem alterius speciei scarlatinae gradum cum ea confundamus. Febris, aliquando in pulsu pauca [58]), sed maxima virium jactura stipata. Haec virium prostratio, nec non contradictio symptomatum, evacuationes colliquativae, inprimis haemor-

p. 120.). Incipiebat aegritudo plerumque primis a puerperio diebus, ingenti virium prostratione; accedebat *levis faucium dolor*, subsequente scarlatina, saepe levigata, interdum miliformi, coloris obscuri, violacei. Vires inde magis magisque infringebantur, testantibus extremitatibus subfrigidis, saepe calori urenti succedentibus, pulsu minimo, anxietate et nonnunquam narium haemorrhagia. Lochia intolerabilem foetorem spargebant, ac aegrae fere omnes, *qualiscunque adhibita fuerat medela*, sine omni sive febris puerperalis, sive metritidis symptomate moriebantur. Similis morbi Bangius (Praxis medica p. 118.) meminit, et vehementer cum Willano (l. c. p. 231.) suspicamur, nonnullas epidemias inter puerperas sub nomine *miliarium rubrarum* descriptas, revera ad scarlatinam pertinuisse.

58) In epidemia insulae *St. Vincent*, observante Collins, infantes septimo morbi die, non solum nullum febris indicium exhibebant, sed erecti sedebant, ac de faucium tantum affectione conquerebantur. (*Medical communicat.* 2 Vol. Art. 22. p. 363.). „Nec multum fidere oportet, inquit Mercatus, si febris non mox apparuit aut succrescat.“

morrhagiae et peticulae, certiora scarlatinae typhodis, sistunt indicia. Quoad faucium affectionem, crustae nigrae, quae et in benigna occurrunt scarlatina, nequaquam cum maculis gangraenosis, vix non semper cum halitu cadaveroso obvenientibus, confundi debent.

Sc. cum dentitione. 14. Memorabilis est *scarlatinae* cum *dentitione* complicatio, praesertim cum vel simplex scarlatina aliquando dentium dolore [59]), interdum a vehementi lumbagine secuto [60]), instruatur.

§. LII.

Prognosis.

Periculum. 1. Quamvis scarlatina simplex vix *morbi* nomen mereatur; attamen, tum ob facilem in diagnosi [61]) et in regimine errorem, tum ob pericula convalescentiam circumdantia, de illius exitu, inprimis in scrophulosis, aut sub dentitionis opere, semper caute judicandum est. Quantum periculi scarlatina inflammatoria et typhodes portendant, ex illarum descriptione et epidemiarum historia [62]), elucet.

59) Boehmer l. c.

60) Sims l. c.

61) Scarlatina puerperarum etiamsi malignissima, saepe sub miti adspectu decurrere solet, ac expertissimos licet medicos facile in errorem ducit. Idem aliquando de scarlatina infantum valet.

62) In epidemia Amstelodamensi a Tyengio observata, quibus intra sex vel octo horas apta remedia non adhibe-

elucet. Scarlatina gastrica, rite curata, sat benigna observatur.

2. Mali in scarlatina ominis sunt: coma, offuscatio oculorum, surditas, siccitas narium aegrum ad repetitam et inanem munctionem cogens [63]), dentium stridor, impotentia deglutiendi, anxietas, respiratio difficilis, suffocationis periculum, diarrhoea vires prosternens, emphysema [64]), peticulae, vibices, largae haemorrhagiae, urina pauca, fuga exanthematis ante debitum tempus et quin desquamatio sequatur, nervorum turbae, tremor cordis, abortus [65]), aliaque ex prognosi encephalitidis, peripneumoniae et typhi desumenda. Semiotica.

3. Nisi

hibebantur, ante sedecim vel viginti horas subito moriebantur. Teste Ballonio autumno a. 1575, omnes peribant, et non proficiebat hilum ars ea, quae multis auxilio esse solet. In epidemia a Mercato descripta quivis, a morbo correptus, ante quartum diem moriebatur. Londini a. 1786—1787 duae tertiae partes aegrorum inter diem septimum et decimum nonum interiere (Willan l. c. p. 213.). Apud Kreyssig plurimi die tertio et quarto obierunt, ac pauci vitam ultro sextum protrahebant. Familias, quarum proles omnes a scarlatina periere, novimus. Septem eorum trucidatos numerabat mercator Pragensis.

63) Kreyssig l. c.

64) Wendt *Klinisch. Annal.* S. 88—90.

65) Ballonius l. c.

Mala residua. 3. Nisi desquamationis opus rite absolvatur, haud pauci aegrorum, quamvis convalescentiae proximi, in febrem tumore et doloribus abdominis, vomitu, excoriatione circa anum, respiratione difficili, pectorisque cruciatu stipatam, qua plerumque sexto aut octavo die interficiuntur, incidunt; vel inopinate inquieti facti convelluntur, delirant, continuo e lecto prosiliunt, ac post aliquot horas fatum supremum subeunt [66]. Nonnulli febrem intermittentem [67], longe autem saepius febrem hecticam, suppurationis internae effectum, experiuntur. Alias scarlatinam sequi solent: insignis cutis sensibilitas [68], dolores et tumores articulorum veluti in rheumatismo acuto [69], eorumque suppuratio [70], metastasis ad coxam, femoris luxationem producens [71], abscessus ad mammas [73], ad parotides, ad glandulas submaxillares, axillares, inguinales [74], mesenteri-

cas

66) Navier l. c. p. 21. — Bicker l. c. p. 160. — De Meza Acta Havn. T. II. p. 67.

67) Horn's *Archiv.* 1811. S. 257.

68) Clark l. c. p. 362. — Cutim a minimo attactu doluisse, observavi.

69) Bicker. Rush.

70) Sims l. c. p. 407. — Withering l. c. p. 18. 24.

71) *Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte* 2. B. S. 7. 8.

72) Withering l. c.

73) Bicker l. c. p. 151.

74) Friese apud Willan l. c. p. 241.

cas *), tumores testiculorum [75]), erosio vasorum sanguiferorum subsequente haemorrhagia [76]), urina cruenta [77]), parulis et stomacace [78]), ulcera ad angulos oris et linguam [80]), abscessus colli et faucium, nonnunquam ad jugulum feliciter aperti [81]), alias ad externam vel internam gutturis partem letali eventu depleti [82]), tussis chronica, asthma convulsivum [83]), epilepsia [84]), chorea St. Viti [45]), mania

*) Diarrhoeae puriformes et cruentas scarlatinae reliquias, ex suppuratione glandularum meseraicarum, probabiliter jam ante scarlatinam labefactatarum, observavi.

75) Heberden l. c.

77) Baldingers *Magazin*. 9. B. 3s St. S. 208.

77) Lorry l. c.

78) Vilnae, hyeme a. 1811—12, saepius obveniebant.

79) In orphanotrophio Vindobonensi plurimi superata scarlatina scorbutici fiebant.

80) Willan l. c. — Saepe idem, tempore indicato, Vilnae conspexi.

81 Hageström l. c.

82) Rush l. c. Tale exemplum nuper in infante trium annorum conspexi.

82) J. P. Frank a. 1793, pro viro Mediolanensi in consilium vocatus est, qui octavo aetatis anno scarlatinam perpessus erat, ex qua tussis chronica, post viginti duos annos in asthma convulsivum conversa, ortum duxit.

84) Friese l. c.

85) Friese l. c. et Kreyssig l. c. S. 69.

86) Willan l. c. p. 208.

mania [86]), aurium fluxus [87]), sudores colliquativi [88]) et frequentissime *anasarca.* Morbus hic, utpote ex scarlatina ortus, primum a STORCHIO, dein, ne de recentissimis auctoribus loquamur, a PLENCIZIO, WITHERINGIO, FRANKIO, et WENDTIO descriptus, interdum sub ipso desquamationis stadio, hinc inde prima convalescentiae septimana, utplurimum inter decimum et vigesimum ab exanthematis termino diem, nunquam post sextam hebdomadem, cum lassitudine, morositate, anorexia, adoritur; quibus tumor oedematosus, faciem, praeprimis palpebras, manus et praecipue extremitates inferiores detinens ac plerumque noctu evolutus, sequitur. Haud raro febris, interdum faucium dolore stipata, constanter vero urina pauca, carnis loturae instar, fere sanguinea, aut brun ne a, aut ex atro fusca, nonnunquam cum sedimento roseo, globulos cruentos continente, animadvertitur. Post paucos jam dies universa corporis superficies, genitalibus, praesertim scroto, non exceptis, hydropis anasarca phaenomena [89]) prae se fert. Nisi mature tanto occurratur malo, facile signa hydropis sive pectoris [90]), sive abdominis [91]) sive

86) WILLAN l. c. p. 208.

87) RUSH l. c. — WENDT l. c.

88) Sic in femina a. 1793 in clinico instituto Ticinensi decumbente vidi.

89) Cap. XLI. §. CLXX. 1.

90) P. II. Vol. II. Cap. de Hydrothorace.

91) P. III. Vol. II. Cap. de Ascite.

sive cerebri [92]) superveniunt. Caussam transitus scarlatinae in hydropem, tempore hyemali communioris, sive in peculiari genio epidemico morbi [93]), sive, quidquid dicat HEIMIUS [94]) in refrigeratione corporis, sive in animi pathematibus, sive in erroribus diaetae, sive in cohibitis praepostere evacuationibus, praecipue diarrhoea, sive in opere desquamationis interrupto, sive in praevia systematis lymphatici labefactione, quaerimus. WILLANO contendenti, hydropem frequentiorem et majorem esse, dum exanthema laete floruerat et largam exhibuerat desquamationem [95]), nullo pacto assentiri possumus. Caussa proxima hydropis post scarlatinam interdum quidem in atonia, longe autem saepius, testantibus observationibus medicorum Florentinorum [96]), in statu inflammatorio exsudationem serosam largiente, locata est.

92) P. II. Vol. I. Cap. de hydrocephalo.

93) Sub nonnullis scarlatinae epidemiis, hydropem, irrita magna convalescentium cura, secutum, aliàs, nulla fere adhibita cautela, non obortum vidi. Comparandae sunt observationes VOGELII (l. c. §. 75.) et KREYSSIGII (l. c. S. 73.).

94) L. c. S. 71.

95) L. c. p. 207.

96) Avvisi sopra la salute umana. T. 3. N. 5. — JOS. CALVI commentaria de hodierna Etrusca clinica. Extat in RONCALLI PAROLINI medicina Európae. — BORSIERI l. c. §. 90. 91. 92.

est. Nisi morbus hic copiosa urinarum excretione, vel sudore universali primis hebdomadibus solvatur, plerumque curriculo mensis, praecipue apud juniores et graciles, letalis evadit, unde *Cullenium* eum pro haud periculoso declarasse 97), vehementer miramur.

Secunda infectio.

4. Scarlatinam *bis* eundem hominem aggredi posse ex eo elucet, quod ii, qui hunc morbum jam perpessi sunt, dum aegrotantibus scarlatina laborantibus adstant, interdum in faucium inflammationem, omnes characteres cynanches scarlatinosae referentes 98), vel in febrem, exacte scarlatinae stadia percurrentem 99) incidere queunt. Scarlatinam autem *bis normali modo evolvi*, semel tantum vidimus *), minimeque viderunt WILLAN 100), WITHERING 1), ROSENSTEIN 2) etc. Possibile

97) First lines. §. 664.

99) WILLAN l. c. p. 210. — WAGNER *in Frankfurter medic. Wochenblatt*, 1783, 23, 24. St.

99) In memorabili illa epidemia scarlatinae, quae in orphanotrophio Vindobonensi a. 1801, mense Novembris ingruit, plurimi, qui praegressis annis scarlatinam jam habuerunt, nunc solum in febrem, instar scarlatinae curriculum absolventem, inciderunt.

*) In aegro in clinico Vilnensi decumbente. Lege et WETZLER *in Salzb. med. chirurg. Zeitung*. 1814. No. 8. p. 127.

100) L. c. p. 216.

1) Vide secundam editionem op. c.

2) Op. c. cap. 16.

sibile id solum credunt, Heberden [3]) et Formey [4]). Cavendum est, ne *ejusdem* scarlatinae, praepostere antea fugatae, post mensem, ut observavimus *), praevio miliari exanthemate *reditum*, cum desquamatione, pro *secunda infectione*, habeamus.

§. LIII.

C u r a.

1. Ad scarlatinam praepediendam commendata fuere: errhina et collutoria ex ammonia cum sufficiente quantitate aquae [5]), acida mineralia diluta tum interne, tum externe sub forma gargarismatis [6]), subfumigia vel ope acidi muriatici sive simplicis sive oxygenati, vel ope acidi nitrici [7]), minimae doses succi inspissati herbae atropae belladonnae [8]), et ipsa scarlatinae insertio [9]), de quarum autem rerum effectibus, cum non quivis Prophylactica

3) L. c. p. 22.

4) *Medic. Ephemerid. von Berlin.* 1. B. 1. Heft. p. 15.

*) In clinico Vilnensi.

5) Withering l. c.

6) Sims l. c. — Neumann *Aufsätze und Beobachtungen für Aerzte.* 1. B.

7) Binn's apud Willan p. 294. — Augustin *Archiv der Staatsarzneykunde* 1. B. 1s St. S. 10.

8) Hahnemann *Heilung und Verhütung des Scharlachfiebers.* Gotha 1801.

9) Fritze l. c.

vis homo necessario scarlatinae subjici debeat, arduum est judicare. Salus igitur in sola fuga contagii quaeri debet, cui scopo regulae adversus febres contagiosas jam traditae [10]), praecipue vero cura severa scholarum et ambulacrorum publicorum infantilium inserviunt.

C. sc. simplicis. 2. *Scarlatina simplex* secundum regulas generales [11]) curatur. Neminem hoc ex morbo mori, nisi diligentia medici, pharmacis scilicet multifariis, SYDENHAM edixerat [12]), ac experientia testatur.

C. sc. inflammatoriae. 3. Ad infringendam *scarlatinae inflammatoriae* vim, duo potissimum, praeter regimen generale [13]), auxilia sese exhibent, *sanguinis* scilicet et *caloris detractio*. Accedit lenis *alvi purgatio*. De singulis speciatim. — Febrem vehementem, cum pulsu pleno, duro et constante, calorem urentem, spirandi difficultatem, cum dolore quasi pleuritico, turgorem faciei, cephalaeam cum proclivitate ad encephalitidem, ardorem ventriculi et vomitum, nec non gravem faucium inflammationem, *venae sectionem* in quocunque scarlatinae inflam-

10) P. I. Vol. I. §. IV. 1. In Anglia nosocomia pro febribus contagiosis etiam scarlatinae dicata sunt (Jos. FRANK's *Reise*. 2. Thl. S. 301.).

11) Cap. I. §. VI.

12) Sect. VI. Cap. 2.

13) Cap. I. §. VI.

flammatoriae stadio, exposcere, MORTON [14]), FREIND [15]), DE MEZA [16]), LANGHANS [17]), BORSIERI [18]), VOGEL [19]), J. P. FRANK [20]), KREYSSIG [21]), CAPPEL [22]), STRUVE [23]) aliique docent. Minorem huic operationi latitudinem CULLEN [24]), HUXHAM [25]) et COTTON [26]) concedunt, ac eam fere prohibent CLARK [27]) et WITHERING [28]). Sane non omnis scarlatina, quamvis inflammatoria, venae sectionem perfert, unde indicatio potissimum a charactere illius sive annuo, sive epidemico desumenda est. In genere, nisi aeger plethoricus sit atque pulsum fortem et constantem exhibeat,

14) De febre inflammatoria universali. Cap. 5.

15) Historia medicinae p. 21. edit. Venet.

16) L. c. Vol. I. c. 18.

17) *Deutliche Anweisung sich selbst von den gefährlichsten Krankheiten zu befreyen.* 1. Thl. S. 24.

18) Op. c. Vol. II. §. 85.

19) L. c. p. 242.

20) L. c. p. 88.

21) L. c. p. 130.

22) L. c. p. 192.

23) L. c. p. 273.

24) L. c. §. 660.

25) L. c.

26) L. c.

27) L. c. p. 170. 173.

28) L. c. p. 73.

beat, ob solam faucium, etsi gravem inflammationem, phlebotomiam *non* instituimus, sed *hirudines* sex, octo, duodecim circa collum poni, jubemus. Methodus haec saepe et complicationi dentitionis cum scarlatina accommodata est. Ad venae sectionem vero utique recurrimus, praesentibus in scarlatina inflammatoria signis sive peripneumoniae, sive gastritidis, sive encephalitidis, quo ultimo in casu et vena jugularis externa sauciari potest [29]), *Cucurbitulis cruentis*, hirudinum loco, praecipue inter scapulas commendatis, ob periculum refrigerationis haud favemus. Mirum autem est, scarlatinam refrigerationi admodum adversam, sub certis rerum positionibus *affusionem* sive *lotionem frigidam* perferre. Medendi ista ratio a CURRIE primum commendata [30]), a GREGORY [31]), REID [32]), KOLBANY [33]), NASSE [34]), PETZ *) et WETZLER **) confirmata, a nobis quidem

29) PLENCIZ l. c. FREIND l. c.

30) Op. c. p. 458.

31) In propriis infantibus scarlatina laborantibus, se primum affusionem frigidam felicissimo rerum successu adhibuisse, mihi clarissimus Vir Edinburghi a. 1803. retulit.

32) *Medical and physical Journal.* Vol. 9. p. 27. *Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte.* 23 B.

33) *Beobachtungen über den Nutzen des lauen und kalten Waschens im Scharlachfieber.* Presburg 1808.

34) HUFELAND's *Journal* 1811. *October* 4s St. S. 1.

*) MARCUS *Ephemeriden der Heilkunde* 6. B. 2s Heft.

**) *Salzburg. med. chirurg. Zeitung.* 1814. No. 8. p. 127.

dem necdum adhibita, sed, si methodus consueta diuturniori praxi confirmata quadam in epidemia nos derelinqueret *), procul dubio tentanda, sub iisdem circumstantiis, sub quibus illam in typho commendavimus [35]), praesertim sub magno cutis calore, et summa illius siccitate, inter primum et quintum morbi diem, modo indicato [36]), secunda quaque hora, locum obtinere dicitur. Forte et aqua frigida ore detenta contra cynanchen conduceret? — Ad impetum inflammatorium scarlatinae magis magisque infringendum, nisi alvus jam nimis flueret, tum ad clysteres *antiphlogisticos*, tum ad *lenia evacuantia*, a SYDENHAMO quidem et a JUNKERO reprobata, sed a STORCHIO, ROSENSTEINIO, PLENCIZIO, BURSERIO, HAMILTONO [37]) et STIEGLITZIO jure commendata, confugiendum est. Praeterea ad cynanchen leniendam *decoctum tepidum herbae malvae rotundifoliae*, sive radicis *Althaeae officinalis*, sive *seminum hordei dystichi*, addita si lubet tertia lactis parte, apud adultos pro oris *fotu*, apud infantes pro *injectione* faucium [38]), apposito collo anterius cataplasmate

*) Adspersionem aquae frigidae sine summa necessitate adhibere, inconsultum est.

35) P. I. Vol. I. §. LV. 8.

36) Ibidem.

37) Op. c. p. 30. — *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 24. B. 2s St.

38) WENDT op. c. S. 32 — 35. Injectio levi manu, inclinato

mate subcalido ex mica panis et lacte linteo fino suscepto, conducunt. Praesentibus sive aphthis sive excoriationibus impuris gingivarum, cum halitu foetente, *infusum foliorum salviae officinalis* cum *subborace potassae* 39) aut cum nonnullis *acidi muriatici* guttis et *melle*, pro *collutorio*, tentari potest, dummodo non nimis irritent. *Acetatem plumbi* 40) et *capsicum annuum* 41) nunquam hic usurpavimus. Si devicto impetu morbi inflammatorio, pituita densa, fauces et pulmones ita obrueret, ut suffocatio inde timenda foret, *emeticum* *), sub forma liquida 42), suppeditari debet.

C. sc. gastricae. 4. *Scarlatina gastrica emetico*, a Withering, Huxham, Cullen, Clark, Rush aliisque commendato, curari potest, praesentibus magna sub stadio invasionis virium dejectione, inquietudine et anxietate, absentibusque indiciis inflammationis viscerum abdominalium aliisque vomitorii contraindicationibus. Re dubia, *lenia purgantia* emetico anteponi merentur. *Muriatem hydrar-*

clinato anterius corpusculo, inprimis capite aegrotuli ope syringulae angulo oris introductae, instituitur.

39) E. c. boracis drachmam semis vel integram ad libram infusi salviae.

40) Raulin et Boucher in *Journal de medecine* Vol. 8.

41) Currie infusum ab initio ex grano uno, pro uncia una aquae parari jussit.

*) Albers in *Salzb. med. Zeitung*. 1813. No. 26. p. 11.

42) Vogel l. c. p. 42. 62.

drargyri, praecipue sub vermium complicatione, reliquis remediis palmam praeripere plurimi docent [43]), ast methodum simplicissimam, exanthematibus gastricis in genere accommodatam, optime et hic nobis satisfecisse fatemur.

5. *Scarlatina typhodes*, si ab initio fuerit sive inflammatoria sive gastrica, tunc secundum regulas hucusque traditas, ita tamen, ut maxime virium habeatur ratio, tractatur. Cautissime hinc venae sectio, a SYDENHAMO et GRANTIO laudata, cujus vero deleterios effectus CHOMEL, CAPPEL et KREYSSIG recensuerunt, locum obtinet. Idem, monente FOTHERGILL, de *emeticis* dicendum. Declarato jam typhode charactere, vires vitae, consilio HUXHAMI, FOTHERGILLII, GRANTII aliorumque, remediis leniter excitantibus et transpirationem promoventibus (certe non veris sudoriferis) sustinendae sunt. Huc pertinent: *liquor acetatis ammoniae*, *succinas ammoniae empyreumaticus* [44]), *vinum antimoniale HUXHAMI* [45]), *aura*, sic dicta *cam-* C. sc. typhodis.

P 2

43) CAPPEL l. c. S. 202. 266. — STRUVE l. c. S. 282. — KREYSSIG l. c. S. 107. Vid. et HUFELAND's *Journal.* 12. B. 3. St.

44) E. c. pro aegrotulo quatuor annorum. R. Aquae florum sambuci nigrae uncias quatuor. Spiritus cornu cervi succinati grana quindecim. Syrupi sambuci unciam unam. M. D. S. Capiat omni hora cochlear infantile.

45) R. Vini tartradis stibii et potassae (Pharmac. castr. Ru-

camphorata [46]) etc. Provectiori in morbo, praecipue accedente faucium gangraena, ad validiora remedia deveniendum est. Testantibus NAVIER, HAEN, PLENCIZ, MORTON, FOTHERGILL, JOHNSTONE, HUXHAM, CULLEN, CLARK, PERCIVAL, WALL, *cortex cinchonae officinalis*, sub forma decocti saturati, extracti et clysterum porrectus, praecipuum inter ea occupat locum. Miramur WITHERINGIUM et CURRIE contrarium contendisse. Accedunt *acida*, vel cum *cortice*, vel cum vehiculo mucilaginoso sive alio suppeditanda. *Acido carbonico* utebatur WALDON [47]), *sulphurico* SIMS [48]), *nitrico* DÜRR [49]) et AUTENRIETH [50]),

muria-

Ruthenae) drachmam unam, aquae rosarum uncias quatuor. Syrupi Alkermes unciam semis. M. D.

46) R. Emulsionis amygdalinae saccharatae uncias sex. Mucilaginis gummi arabici unciam semis. Camphorae rasae granum unum.

47) R. Carbonatis potassae scrupulum unum. Solve in uncia una tincturae camphorae (cujusnam dispensatorii?) D. — R. Succi citri, tincturae cinamomi aa unciam unam. M. cap. sub actu effervescentiae omni hora sive bihorio. Si diarrhoea oriatur, auctor aliquot laudani guttas addit.

48) R. Infusi rosarum rubrarum uncias septem. Acidi sulphurici diluti, syrupi rosarum q. s. ad gratum saporem.

49) HUFELAND's *Journal* 25. B. 2s St.

50) *Versuche* 1. B. S. 381.

muriatico oxygenato Willan [51]), Stanger [52]), Braithwaite [53]). Nos plerumque *tinctura aromatica sulphurea*, *decocto cinchonae* nupta, cui et Kearsley [54]) favet, usi sumus. *Carbonas ammoniae*, sub calore urente, delirio et proclivitate ad soporem a Peart [55]) laudatur. Tandem *vino* sub iisdem rerum positionibus ac in typho [56]) et hic locus est. Idem de *vesicatoriis* facile quidem gangraenosam plagam inducentibus, sed sub sopore, aurium dolore et pulsu debili, rite monentibus Percival, Navier et Buchan [57]), quid quid dicant Withering et Cullen, utilissimis, valet. Nunquam adhibuimus vel *balnea* tepida et *lavationem* corporis ope aquae calidae, suadente Reid, vel *capsicum annuum* (*piper indicum*) a Stephens propositum [58]) ac in epidemia a John Collins de- scripta

51) L. c. p. 275.

52) *Medical and physical Journal.* No. 62.

53) *On the utility of oxygenate muriatic acid in the cure of scarlat fever.* (*Annales of medecine for the year* 1803. p. 487.)

54) *Gentlemans Magazin* Vol. 39. p. 522.

55) Sic praescribit. R. Alcali volatilis sicci drachmam unam. Solve in aquae unciis quinque. Cap. omni 2. 3. 4. hora duo cochlearia theana.

56) P. I. Vol. I. §. LV. 10.

57) *Médecine domestique* p. 273.

58) R. Capsici (*small red pepper, or three of the common cayenne pepper*) quantum duobus cochleariis ordinariis capia-

scripta [59]) corticis ipsius virtutem excellens, vel speciem *terrae absorbentis* sive *cretae*, cujus laudes CHIARAMONTI canit [60]) quaeque per argumenta a priori haud rejicienda videtur, vel *muriatem hydrargyri*, olim quidem exhibitum [61]), de quo vero recentiores auctores silent, vel *gummi resinam lauri myrrhae* in aceto solutam et in decocto hordei porrectam atque a KEARSLY laudatam [62]). — Ad faucium gangraenam arcendam *collutoria* commendata fuere, ex *infuso rosarum rubrarum acidulato* [63]), ex *decocto* sive *ligni haematoxyli campechia-*

capiatur. Muriatis sodae cochlearia duo parva theana, contunde invicem in massam et adde aquae ebullientis pintam dimidiam. Liquor frigefactus coletur et addatur aceti acerrimi pinta dimidia. Capiat (adultus) omni horae dimidio cochlearis ordinarii quantitatem. Dosis pro infantibus pro ratione aetatis imminuitur. Sumpto hoc remedio convulsiva quasi oesophagi et stomachi reactio sequitur, cum caloris majoris sensu ad fauces orisque cavum, sed mox singula sedantur, cum universi corporis calore.

59) *Medical communications*. Vol. 2. p. 372.

60) *Osservazioni del contagioso mal di Canna*. Napoli 1637.

61) HUXHAM l. c. part. 3. p. 115. — BAYLEY *in* RICHTERS *chirurgischer Bibliothek*. 5. B. p. 737.

62) L. c. p. 533.

63) BINNS sic praescribit: R. Infusi rosarum libram unam. Acidi muriatici diluti scrupulum unum. Mellis rosarum unciam unam.

pechiani 64), sive *corticis quercus roboris* 65), sive *radicis contrayervae* 66), ex *alcohol camphorato* 67), ex *simplici alcohol aqua remixto* 68), ex *tinctura myrrhae* 69), quorum remediorum loco, solummodo *decoctum cinchonae officinalis* cum *acido muriatico* 70), adhibuimus. Juvat quoque locis gangraenosis faucium, consilio Swietenii 71) et Borsierii 72), mel cum *acido muriatico*, vel cum *tinctura myrrhae* illinire, donec eschara secedat, quo in casu iterum ad emollientia confugiendum est. Quid *subfumigia* ex *acido nitrico* 73), ex *aqua carbonate ammoniae mixta*

64) Binns. R. Ligni campechensis unciam unam. Coq. ad col. librae unius.

65) Binns.

66) Fothergill l. c. p. 64.

67) Navier gargarisma, ex aceto, aqua, melle et spiritu vini camphorato compositum, exhibebat.

68) Sims.

69) *Medici Sueciae*: R. Infusi florum salviae libram unam, tincturae myrrhae drachmam unam, mellis rosarum unciam unam. M.

70) R. Decocti corticis cinchonae libram unam, acidi muriatici diluti scrupulum unum, mellis rosarum unciam unam. M.

71) Comment. T. II. §. 811.

72) L. c. §. 415.

73) Willan l. c. p. 281. Contendit hujusmodi subfumigia non solum faucium gangraenae, sed et propagationi contagii prospicere.

ta [74]) ex *aceto* sive *simplici* [75]) sive *camphorato* [76]), sive cum *myrrha* [77]) valeant, experientia destituti, ignoramus. Rarissime, saltem apud infantes, *scarificationi* plagae gangraenosae faucium, nunc cum successu [78]), nunc infauste [79]) susceptae, locus esse videtur. Tumefactis glandulis *sapo ammoniacalis* sive *unguentum althaeae* cum *unguento oxydi hydrargyri cinerei* illiniri potest. *Regimen diaeteticum*, uti in typho [80]).

C. convalesc. et reliquiarum. 6. Quousque desquamationis indicia animadvertuntur, eousque convalescens domo exire nequit. Porro aëri libero, sensim sensimque adsuesci debet. Ut desquamationis opus acceleretur, cutisque corroboretur, ODIER lavationem universi corporis ope vini rubri, saponis et aquae calidae, commendat, simulque id caute et cito absolvi, atque aeger illico linteis calidis abstergi debere, monet [81]). Victus esto modicus, animusque tranquillus. Si natura in alvo deponenda deficiat, aut somnus cum ciborum desiderio haud redeat, more SYDENHAMI et HAMILTONI

74) BORSIERI l. c. §. 417.

75) FRIESE apud WILLAN l. c. p. 281.

76) BORSIERI l. c. §. 420.

77) WALL, JOHNSTON, RUSH, GREGORY.

78) BORSIERI l. c. §. 418.

79) LIEUTAUD *Precis de médecine* T. 2. p. 521.

80) P. I. Vol. I. §. LV.

81) Op. c. p. 111.

NI lenia *alvum evacuantia* praescribenda sunt, quo peracto debiliores, si opus sit, *infuso frigido cinchonae cum lacte* refici queunt. Maxime vero ad *urinae secretionem* respiciendum est, quae dum languet, illico *decocto radicis ononidis spinosae*, vel *foliis digitalis purpureae*, vel *carbonate potassae* [82]) excitanda. Cura hydropis *anasarca* suo loco tradetur [83]). Ad illud praepediendum *balnea tepida* suasit LENTIN [84]). Suffocationis periculum, interdum *muriate hydrargyri* cum *extracto hyoscyami* et *vesicatorio*, pectori applicito, avertitur. *Parulis et stomacace* incipientes, citissime *aqua frigida* sive *glacie* ore detentis, saepeque renovatis, debellantur. Caeterae scarlatinae reliquiae secundum regulas tum traditas [85]), tum debitis locis tradendas, curantur.

82) WITHERING l. c. p. 83. Nonnulla grana cum potu exhibet.

83) Cap. XLI. §. CLXXIV.

84) Memorabilia.

85) P. I. Vol. I. §. LVI.

CAP. XII.

Cap. XII.

De Morbillis.

§. LIV.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. *Morbilli* [86]) exanthema primarium, contagiosum constituunt, quod praeviis animi inconsueta irritabilitate, symptomatibus catarrhalibus et febre, quarto circiter morbi die, sub forma punctulorum rubrorum, prominentium effloreścit, ac die octavo desquamatione, saepe furfuracea, cum periculo potissimum subsequentis phthiseos pulmonalis et ophthalmiae, terminatur.

Historia. 2. Morbillos sub nominibus *exanthematum*, *ecthymatum*, *ecphymatum*, *eczematum* etc. veteres cognovisse, Manardi [87]), Fernelius [88]), Truconi

86) Germ. *Die Masern.* Gall. *La rougeole.* Angl. *Measles.* ital. *Morbilli.* Ross. Корь. Polon. *Odra.*

87) Epist. med. VII. p. 137.

88) De absc. rerum caussis. II. 12.

NI [89]), SENNERTUS [90]), SALMASIUS [91]), HAHNIUS [92]) et TRILLERUS [93]) contenderunt; verum ex doctis GRUNERI disquisitionibus [94]), illos una cum variolis, a quibus gradu solum differre credebantur [95]), in Europa innotuisse, apparet. Genuinae morbillorum, praecipue epidemicorum, descriptiones, saepe sub nomine aut *Blactiarum* aut *Rubeolarum*, potissime SYDENHAMO [96]), HUXHAMO [97]), FR. HOFFMANNO [98]), ELLERO [99]), SCHLIERBACHIO

89) Tract. de variolis et morbillis. p. 232.

90) De febr. IV. 12. p. 510.

91) De ann. climat. p. 720.

92) Variol. antiquit. c. I. §. 2—16.

93) In epistol. ad calc. HAHNII de carbone pest. p. 4.

94) Variolarum antiquitates ab Arabibus solum repetendae §. 7—14. 17.

95) RHAZES (de variolis et morbillis in continent. Lib. XVIII. cap. 8. interprete FERAGIO Judaeo 1486), OMNIBONUS (de arte medica infantum. Lib. IV. c. 22. p. 185). FAVENTINUS (Empirica de variolis et morbillis c. 22. p. 387), FUCHSIUS (Institut. medicae. Lib. III. Sect. I. p. 440). FONTENUS (Comment. in SEBASTIANUM AUSTRIUM de puerorum morbis. Cap. L. p. 518) et ETTMULLERUS (Doctrina practica Lib. I. c. 15. p. 369).

96) Opp. p. 47. 243. 291.

97) Op. T. I.

98) Opp. Vol. IV.

99) De cognosc. et curand. morbis. (Epidemia Berolinensis a. 1751. describitur).

BACHIO [100]), RANOÉ [1]), RAUIO [2]), KLAIBERO [3]), HOMIO [4]), WATSONIO [5]), VOGELIO [6]), MALOUINO [7]), DE LA ROBERDIERE [8]), WENDTIO [9]) et LE ROUX [10]) debentur.

§. LV.

Symptomata. Autopsia cadaverum.

M. simplices. 1. *Morbilli simplices* sive *benigni*, morositate, anorexia, tussi sicca, raucedine, sternutatione, continua emungendi necessitate, oculorum pruritu et rubore, lucis intolerantia, lacrymatione et febre ingruunt, quae symptomata cum remissionibus plerumque matutinis, ad quartum usque diem protrahuntur. Hac die, exanthema sub forma punctulorum prominentium, rubrorum, coloris fere fructus rubi idaei, primum ad faciem, dein ad pectus, ventrem et reliquum corpus, sine pru-

100) Act. phys. med. Vol. VI. obs. 59.

1) Act. soc. med. Hafn. T. I.

2) Historia febr. morbillosae a. 1751. in agro Geislingensi grassante.

3) De epidemia rubeolosa Kircho-Teccensi a. 1768.

4) *Klinische Versuche* S. 102.

5) *Medical observations and inquiries*, Vol. 4. No. 11.

6) L. c. 3 Th. S. 219.

7) *Histoire de la Soc. R. des sciences* 1749.

8) *Recherches sur la rougeole.* Paris 1776.

9) Op. c.

10) *Traité sur la rougeole.* Paris et Strasbourg 1807.

pruritu, et quin symptomata stadii invasionis multum remittant, in conspectum venit. Efflorescentia tres, quatuor dies, sub continua febre, tussi, ac haud raro sub cruoris e naribus stillicidio, perstat, atque circa octavum, vel nonum morbi diem, praevia plerumque desquamatione furfuracea, evanescit.

2. *Morbilli inflammatorii* eadem symptomata stadii invasionis, at in majori gradu exhibent. Praeterea dolet caput, inflammantur oculi, tument palpebrae et aeger a tussi, sive inani, sive sputo crudo stipata, a dolore punctorio pectoris, a decubitu impedito, a dyspnoea, a somnolentia, et a pavoribus sub somno excruciatur. Maxime autem febris, cum frigore incipiens, ac dein summo calore, siti, pulsu pleno aut contracto et duro, exacerbationibus nocturnis, palpitatione cordis, haemorrhagiis praemagnis, interdum vomitu et diarrhoea stipata, viget. Sub finem tertii nychthemeri, interdum quinto, sexto die, morbilli erumpunt. Nullum inde affertur levamen, quin immo tussis inprimis exasperatur, ac non raro sudores inanes superveniunt. Stadium efflorescentiae ad nonum vel undecimum morbi diem protrahi, et veluti in morbillis simplicibus terminari solet, nisi febris, peripneumoniae symptomatibus insignita, continuet, quo in casu sive convalescentia, sive transitus morbi in phthisin aut

M. inflammatorii.

aut in alia mala, sive mors citius tardius subsequitur.

M. gastrici. 3. *Morbilli gastrici* veluti simplices decurrunt, at majori virium prostratione et consuetis signis sive saburrarum, sive bilis, sive pituitae, sive vermium comitantur.

M. typhodes. 4. *Morbilli typhodes* a tussi fere convulsiva, a virium prostratione animique dejectione, interdum diu perseverantibus, praecedi solent. Tandem frigus, succedente calore interno, cum reliquis consuetis morbillorum futurorum signis, ingruit. Adsunt praeterea cephalagia, vertigo, vigiliae sive sopor, delirium, cardialgia, aliquando vomitus, aut diarrhoea, fluxus dysentericus, tenesmus, haemorrhagiae effrenae, tremores, subsultus tendinum, aliaque febris typhodis symptomata. Exanthema nunc citius nunc tardius solito, interdum praeviis convulsionibus, uno impetu per universum corpus, coloris plerumque fusci sive atri, saepe cum interjectis peticulis, erumpit, vel aeger sub eruptionis opere e medio tollitur. Efflorescentia hinc inde per paucas solummodo horas protrahitur, ac praepostere fugata, singulorum symptomatum augmentum, aphoniam, sphincterum paresin, gangraenam variarum partium, et mortis stertorem post se trahit. Nec omnes, qui desquamationis periodum attingunt, vades emersisse censendi sunt.

5. Mor-

5. Morbillos, viscerum superficiem obtegentes [11]), nunquam observavimus, vidimus autem eadem prorsus phaenomena, quae post febres catarrhales in cadaveribus obvenire solent [12]), inprimis inflammationem tracheae ultra bipartitionem extensam, materiam puriformem, internam bronchiorum superficiem obducentem, serum in cavitate pectoris extravasatum, pulmonem sanguine turgescentem, aliquando roseo colore obductum, nunquam vero, nisi praesentibus forte tuberculis, inflammatum aut suppuratum. Aliorum observationes [13]) hic cum nostris plane conveniunt. Autopsia cadaverum.

§. LVI.

C a u s s a e.

1. Quamvis aetas infantilis et juvenilis atque constitutio irritabilis praecipue ad morbillos praedisponant; tamen hoc exanthema nec proli, sive in utero adhuc delitescenti [14]), sive vix in lucem C. praedisponentes.

11) Lieutaud *Precis de médecine* p. 604.

12) P. I. Vol. I. §. LXV. 4.

13) Home l. c. p. 112. — Act. med. Berolin. dec. II. Vol. X. p. 28. — Horst in Hufeland's *Journal.* 17. B. 1. St. S. 69.

14) Ledelius Eph. N. C. dec. II. an. 3. obs. 97. — Hildanus observ. chirurg. No. 56. — Willan l. c. p. 175.

lucem editae [15]), nec senibus [16]) hominibusque constitutionis validae parcet. Nullo anni tempore morbilli limitantur [17]) ac interdum is, qui sub una epidemia morbo resistit, altera adventante succumbit [18]), paucissimi enim immunitate a morbillis gaudent.

C. excitantes. 2. Caussa morbillos excitans *contagium* est, a varioloso, cum quo in Europa innotuit ac saepe societatem init, vel cui aut antecedit, aut succedit, plane diversum, caussae tussis ferinae [19]), nequaquam vero illi scrophularum [20]), quodammodo simile, re ipsa vero omnino sui generis, ac membranae mucosae vias respirationis ambienti, inprimis

15) Girtanner *Abh. üb. d. Kinderkränkh.* S. 232. — saepeque ipse vidi.

16) Müller Eph. N. C. Cent. 5. 6. Obs. 18. — Heim feminam septuaginta sex annorum cum morbillis vidit (Hufeland's *Journal* 1812. 3. *Heft. März*).

17) Doctissime id Friese apud Willan demonstravit l. c. p. 172.

18) Sic junior Marchio B. Ticini vere 1790 a morbillis affectus est, et frater natu major, cum aegroto commercium alens, liber mansit, donec eundem morbum mense Augusti ejusdem anni Viennae susciperet.

19) Pohl de morbillorum cum tussi ferina similitudine. Vide: *Neueste Samml. auserles. Abhandl f. Wundärzte.* 4s St. S. 282. — Caccialupi Prolusio de tussi ferina et morbillis. Ticini 1792.

20) Pyretologia. p. 165. edit. Ticinensis.

mis infensum. Contagium hoc sat fugax [21]), contagii scarlatinae instar et facilius [22]), interdum solummodo inter nonnullos civium ordines [23]), spargitur, et inprimis inter adultos saepe aliarum noxarum, praecipue aestuationis corporis [24]), intensione mentis [25]) adjumento, indiget. Stadium latentis contagii morbillorum arte insertorum, sex esse solet dierum [26]), illud spontaneorum ad diem decimum sextum protrahi potest [27]).

3. Morbillos pro specifica ac exanthemate stipata affectione catarrhali, a bronchitide graviori in casu non aliena, habemus. C. proxima.

§. LVII.

Diagnosis.

1. Symptomata, quae hic speciatim ad trutinam vocare juvabit, sunt: *animi irritabilitas, affectio catarrhalis, febris et eruptio cutanea.* Sympt. illustratio.

2. *Ani-*

21) Teste ROSENSTEIN filum contagio morbilloso imbutum citius natura suá cóntagiosa privatur, quam quod viru varioloso impraegnatum fuerat (l. c. p. 30).

22) Morbilli rarius quam scarlatina *sporadici* sunt.

23) Hyeme a. 1811—1812 morbilli Vilnae solummodo inter Judaeos obveniebant.

24) Saepius morbillos post choreas observavimus.

25) WILLAN l. c. p. 163.

26) HOME l. c. S. 102.

27) WILLAN l. c. p. 162.

Animi irritabilitas. 2. *Animi inconsueta irritabilitas*, adventum quidem febrium in genere comitans [28]), nullibi tamen adeo constans et evidens est, ac in morbillis. Aegri inprimis morosi et iracundi fieri solent, ac a minimo animi motu faciem nunc rubore suffusam, nunc pallescentem exhibent.

Affectio catarrhalis. 3. *Affectio catarrhalis* ocyus serius morbillos constanter comitatur, quare sic dictos *morbillos sine catarrho* [29]), pro spuriis jam declaratis [30]), ad *rubeolam* remittimus. *Tussis* morbillosa, gravissimo casu excepto, id peculiare habet, quod per paroxysmos advenit ac plerumque circa septimum diem remittit. Quo fortior ea est, eo minus lacrymantur oculi, ac eo rarior observatur *sternutatio*. Hanc solum *post eruptionem* in conspectum venisse cum aliis [31]), observavimus. *Vomitus* [32]) et

28) P. I. Vol. I. §. XVIII. 2.

29) Willan l. c. p. 177.

30) Fordyce in fragmentis med. p. 63. — Vogel l. c. §. 58. — Metzger *medicinische Schriften*. 2. B. S. 167.

31) Heberden. J. P. Frank.

32) *Vomitum* solummodo ad quartum morbi diem obvenire Sydenham docuit (Sect. I. cap. 5), at eum per omnia morbillorum stadia perseverasse vidi (Acta mea clinica Vol. III. p. 15). Idem testantur Ranoe (l. c. p. 209), Tissot (*Avis au peuple* §. 222) et J. P. Frank (l. c. p. 237). In epidemia a Schlierbachio descripta vomitus a doloribus lancinantibus dorsi et artuum prae-

et *diarrhoea* [33]), quibus nonnullae morbillorum epidemiae stipantur, affectionem catarrhalem aliquando ad membranam pituitosam tubi intestinalis extendi, testantur. Idem *ischuria* [34]) de membrana interna vesicae urinariae docere videtur. Memorabile tandem est connubium, nobis aliisque [35]) visum, symptomatum catarrhalium cum iis genuinae *cynanches trachealis* *).

4. *Febris morbillosa* peculiarem proclivitatem ad *haemorrhagias*, inprimis ad epistaxin, inter quartum et sextum diem communem, exhibet **). Et menstruatio facile huic exanthemati superve- Febris.

 nit.

praecedebatur. Morbillos cum symptomatibus *cholerae* nuperrime in matrona Vilnensi vidi.

33) Nonnullae morbillorum epidemiae constanter *diarrhoeam* sociam habuerunt (*Journal de médecine* 1790. *Avril.* p. 25). Apud Riverium (Cent. I. obs. 71.) et Ettmüllerum (Doct. pract. Lib. I. c. 15. p. 372) vel alvi cruentae cum torminibus fit mentio.

34) Ranoe l. c. p. 209.

35) Heim l. c. p. 90. — J. P. Frank, in epidemia morbillorum nunc (1814) Vindobonae regnante.

*) Morbilli aestate a. 1814 Vilnae late grassantes pluries, praecipue sub invasionis stadio, genuinum *croup* mihi exhibebant. Hanc complicationem communem esse, fatetur egregius Albers *Salzb. med. chirurg. Zeitung* 1813. No. 27. p. 29.

**) Mirum est, morbillos Vilnae 1814 grassantes inter centenos quos curavi aegros nec unum vel epistaxis, vel alterius haemorrhagiae exhibuisse exemplum.

nit. *Pulsus* non raro aliquantulum irregularis. Sub febris exacerbatione potius *somnolentia* quam delirium, aliquando incongruae medelae effectus, animadvertitur. Magnos *sudores* 36), nisi declinante morbo, non conspeximus. Nec specificum transpirationis odorem, de quo Home 37) et Heim 38) loquuntur, percepimus. Urina saepissime turbida, albescens. Nonnunquam *ptyalismus* observatur 39).

Eruptio cutanea. 5. Morbillos citius in hominibus cute delicata instructis erumpere Willan existimat 40). Quo tempore exanthema jam evidenter ad genas, mentum et latera colli efflorescere incipit, atque interdum palatum, uvulam, tonsillas et linguam detinet 41), adhuc pauca et sparsa illius stigmata in reliquis corporis partibus obvenire solent. Maxima morbillorum pars in facie et in dorso occurrit; rarissime tamen vultus ita tumet, ut palpebrae inde claudantur 42). Partes

36) Macbride l. c. p. 377.

37) L. c. odorem illi variolarum similem esse contendit.

38) L. c. odorem illi plumarum anserinarum recentium comparat.

39) Ranoe l. c. p. 203.

40) L. c. p. 161.

41) Lieutaud l. c. p. 604.

42) Macbride. Heberden. Vidi hoc symptoma semel in morbillis nuperrime Vilnae regnantibus, ac facies adeo

tes transpirationi praecipue subditae, e. c. regio pudendorum, popliteae etc. pauciores morbillos exhibent. Exanthema ab initio punctum rubrum circulare, saepissime noduli instar prominens [43]), tactui obvium [44]), coloris obscurioris refert. Ex plurimis tandem punctis *maculae* semilunares, confluentes, inter quas cutis, nunc normalis, nunc punctis solitariis obsessa, cernitur. Violentia febris, aetas admodum tenera, aut provecta, consuetae exanthematis formae obstat, ac saepe *papulas* ad genas dorsumque manuum, et *vesiculas* miliares ad nucham, pectus et brachia excitant. De *febre* quoque *morbillosa sine morbillis*, a nobis quidem nunquam visa et facile catarrho epidemico cum morbillis simul grassante adscribenda, at possibili, ac, uti in scarlatina docuimus [45]), determinanda, HAEN [46]), S. VOGEL [47]) aliique testantur.

adeo tumebat, ut morbus primo intuitu pro erysipelate faciei haberi potuisset.

43) WEDEKIND hos nodulos, pro glandulis, ex quibus pili cutanei scaturiunt, habet. (RÖSCHLAUB's *Magazin zur Vervollkommnung der Heilkunde.* 4. B. 2s St. S. 233).

44) Morbillorum sub cute latentium exemplum in *Journal de medecine* habetur (l. c.), ac plurima similia nuper Vilnae observavi.

45) Cap. praeced. §. LI. 4.

46) Rat. medendi continuatio. Vol. III. p. 353.

47) L. c. p. 191.

tantur. Morbilli, praesertim in climatibus calidis, interdum adspectum violaceum sive nigrum induunt. In genere, sexto morbi die, quo in facie jam pallescere incipiunt, maxime in reliquo corpore florescere solent. Die nono solum stigmata perpessi exanthematis relinquuntur, quae decimo, undecimo, plerumque desquamatione furfuracea [48]), aliquando cum pruritu [49]), relictisque maculis sublividis, madefacta cute magis conspicuis, evanescunt.

Facilis confusio.

6. *Morbilli* confundi possunt: cum *febre catarrhali*, cum *peticulis*, cum *miliaribus rubris*, cum *urticaria papulosa*, cum *scarlatina*, cum *rubeola*, cum *variolis*, cum *varicella* et cum *strophulo*.

Distinctio a febre catarrhali.

7. Regnantibus morbillis, in juvenibus hunc morbum necdum perpessis, quaevis *febris catarrhalis*, inprimis vero ea, quae symptomatibus coryzae stipatur, ad quartum morbi diem usque, dubium latentis exanthematis morbillosi, protracta observatione tantummodo diluendum, prae se fert. Idem aliquando de *cynanche tracheali* valet *).

8. Una

48) Saepius morbillos sine omni desquamatione evanuisse vidi. Sic quoque acciderat in morbillis a. 1674. a Sydenhamo descriptis, sicque Ludwig (l. c. §. 174), Ranoe (l. c. p. 208) et Selle (l. c. p. 165).

49) Enormem pruritum ad genitalia puellulae Lentin descripsit (Memorabilia p. 82).

*) Ad pusionem unius anni nuper vocatus ac cuncta signa

8. Una tantum *peticularum* species, in febribus gastricis potissime obveniens [50]), utpote colore purpurco instructa ac super epidermidem elevata, pro *morbillis* haberi posset et vice versa. Distinctio a peticulis.

Peticulae purpureae.	*Morbilli.*
a. Plerumque symptomata gastrica socia habent.	a. Symptomatibus catarrhalibus insigniuntur.
b. Rarissime faciem occupant.	b. Primum et maxime ad faciem comparent.
c. Vix unquam in maculas confluunt.	c. Maculas exhibent.
d. Tempore indeterminato efflorescunt et fugaces sunt.	d. Regulariter efflorescere solent.
e. Desquamatione vix unquam terminantur.	e. Saepe desquamatio observatur.

Distinctio a miliaribus rubris.

9. *Miliaria rubra.*	*Morbilli.*
a. Sudor inter praecipua symptomata prodroma pertinet.	a. Sudor nequaquam inter symptomata prodroma numeratur.
b. Nulla determinata morbi die efflorescunt.	b. Efflorescentia quarto die contingit.

c. Raris-

gna *croup* inveniens de latentibus simul morbillis dubium alui, quod quarto morbi die per exanthematis apparitionem confirmatum fuit.

50) Cap. II. §. VIII. 1. §. X. 6.

c. Rarissime ad faciem conspiciuntur.	c. Evidentissime ad faciem cernuntur.
d. *Papulae* magnitudinem lentis excedunt.	d. *Puncta*, sive *maculas* exhibent.

Distinctio ab urticaria papulosa.

10. *Urticaria papulosa.*	*Morbilli.*
a. Eruptio sub magno pruritu contingit.	a. Eruptio sine pruritu locum habet.
b. Eruptio primo, secundo, raro tertio die apparet.	b. Eruptio plerumque quarto solum die animadvertitur.
c. Maculae sat latae, plerumque ad circumferentiam elevatae, ac in medio depressae sunt.	c. Puncta prominentia, aut maculas ex iis compositas offerunt.
d. Exanthema volubile est.	d. Exanthema sat constans.
e. A frigore utplurimum evidentior.	e. Sub frigore facile evanescit.

Distinctio a scarlatina.

11. *Morbillos* et *scarlatinam* unum eundemque morbum constituere, MORTONUS edixerat[51]) ac scarlatinam sub nomine morbillorum VIOLANTE descripsit[52]). Econtra horum exanthematum diagnosin exactissime WILLAN[53]) et KREYSSIG[54]) stabiliverunt.

Scar-

51) De morbillis et febre scarlatina. Cap. 4 et 5.

52) De morbillis §. 14—16.

53) L. c. p. 198.

54) L. c. S. 33—46.

Scarlatina.	*Morbilli.*
a. Tussis sub stadio invasionis, si adsit, brevis et sicca est.	a. Tussis sub stadio invasionis per paroxysmos redit, diuturna cum sputis crudis.
b. Oculi etiamsi rubri et lacrymis interdum innatantes, lucem tamen ferunt ac nunquam lacrymantur.	b. Lucis intolerantia et lacrymatio fere constans est.
c. Eruptio *secundo* die contingit.	c. Eruptio *quarto* die fit.
d. Exanthema, praeter puncta, maculas exhibet, primum figurae rotundae, dein ita confluentes, ut universam cutim obducant.	d. Exanthema puncta circularia refert, solitaria, vel congregata, maculas semilunares gignentia, cum cute intermedia normali.
e. Nisi *miliaris* sit, sive *pustulosa*, cutis plana est.	e. Fere semper super cutim prominent.
f. Laete rubet.	f. Coloris fructus rubi idaei cernuntur.
g. Delirium frequens.	g. Delirium rarum.
h. Desquamatio evidentissima.	h. Desquamatio furfuracea minoris momenti.

12. Qua-

Indoles varia.

12. Qualiscunque sit indoles morbillorum, plerumque *quid inflammatorii* exhibent. Haec observatio relate ad *morbillos gastricos*, FRID. HOFFMANNUM [55]) et BURSERIUM [56]) minime latuit. Et morbilli typhodes, exceptis nonnullis rarissimis epidemiis, de quibus potissime HUXHAM [57]); WATSON, KLAIBER, RAU, RAHN [58]) aliique [59]) legendi sunt, ab initio morbi inflammatoria instruuntur complicatione [60]) aut eam sub curriculo aegritudinis induunt [61]).

§. LVIII.

Prognosis.

Periculum.

1. Morbilli, exceptis typhodibus, dummodo ad convalescentiae terminum rite curentur, haud multo *periculo* stipantur [62]). Gravius affligi solent

55) Op. c. T. IV. p. 189.

56) Op. c. §. 127.

57) Op. T. I. p. 216. 277. 319.

58) Adversaria medico-practica. Vol. I. p. 389.

59) Notitia epidemiae morbillorum Taurini a. 1789 regnantis habetur in *Giornale scientifico litterario e delle arti*. T. 3. P. 3. p. 274.

60) Memorabilem hujus complicationis casum J. P. FRANK retulit (l. c. p. 245).

61) MONRO Op. tract. de febrib. inflam. universalibus: Cap. 4. p. 22.

62) Ex 3807 mortuis, spatio sex annorum, 91 a morbillis trucidatos esse, PERCIVAL refert (*Philosophical, medi-*

lent infantes tertium annum necdum attingentes, praecipue sub dentitionis opere, adulti liquoribus fermentatis dediti, gravidae [63]), et puerperae. Mares prae puellis a morbillis cruciari [64]), non confirmatur [65]). Morbilli aestivi mitiores hyemalibus esse solent. In morbo maligno nulla quidem dies secura; sed *nona* praecipue infensa observatur [66]). Morbillos per introductionem *vaccinae* gravius saevire *); falsum est **).

2. Symptomata morbillorum prodroma, quo diutius perseverant et quo vehementius urgent, eo Semiotica.

medical and experimental essays. p. 100). Fatente WATSON, uno anno, unus inter decem, altero, unus inter tres mortuus est (l. c. p. 132). W. BLACK morbillorum mortalitatem ad illam variolarum uti 1. ad 10. — vel 12. se habere contendit (*An arithmetical and medical analysis of the deseases and mortality of the human species.* p. 64). In orphanotrophio Londinensi a. 1794. ex viginti octo aegris morbillis laborantibus *nullus* obiit; a. 1798 ex sexaginta novem *sex*, et a. 1800, ex sexaginta sex *quatuor* periere (WILLAN l. c. p. 186).

63) Aliter docet WILLAN l. c. p. 175.

64) PERCIVAL l. c.

65) WILLAN l. c. p. 186.

66) FR. HOFFMANN op. c. T. I. p. 188.

*) ROBERT WATT's *history, nature and treatment of chincough.* Glasgow 1813.

**) *The London medical, surgical and pharmaceutical Repository.* 1814. *April.*

eo gravior expectandus est morbus [67]). Verum et praeceps exanthematis eruptio mali ominis est. Spasmi sive convulsiones, eruptionem praecedentes, inprimis sub dentitione, magnum periculum portendunt [68]). Idem valet de morbillorum colore violaceo sive nigro [69]), de praesentia peticularum et ecchymomatum, inprimis vero de *retrocessu* exanthematis paullo post non redeuntis; alias enim animi deliquia, deliria, viscerum inflammationes, praecipue *bronchitis*, hinc inde vel sine retrocessu fatalis, interitum minantur. Modica diarrhoea eruptioni non obstat [70]), ac inter nonum et decimum diem salutaris observatur. Sic et epistaxis sive menstrua, juxta limites haud excedentia. Satius est, si exanthema septimo morbi die evanescere incipiat, quam si tunc laete adhuc floreat [71]). Desquamatio ad felicem rerum exitum haud absolute requiritur. Respiratio crebra et anhelosa, sine aliis laesi pulmonis indiciis, nequaquam timenda Optima signa sunt, somnus diu protractus, sudor universalis, tussis cum sputis

67) Heberden. Willan l. c. p. 168.

68) Willan l. c. p. 164. — Schlierbach l. c.

69) Fr Hoffmann op. T. II. p. 67. — Avicenna T. II. p. 74. — Rhazes l. c. p. 14.

70) *Journal de médecine*. T. 5. p. 74. In matrona, de qua supra sermo fuit, ipsa cholera eruptioni copiosissimae non obstitit.

71) Heberden l. c.

tis coctis, et urina sedimento puriformi instructa.

3. Absoluto morbillorum curriculo, praecipue a suscepto refrigerio, et ab usu rerum calefacientium, haud raro *nova febris* cum lateris dolore punctorio, respiratione difficili, pulsu duro, genarumque rubore sive livore, ingruit, aegrum, quo tenerior est aetas, facile paucorum dierum spatio jugulatura. Aliàs eadem symptomata *lente* et interdum *periodice*, instar febris intermittentis et cum eodem fere periculo ac subintrante *hydrothorace* decurrunt. *Phthisis pulmonalis* in iis praesertim, qui jam ante morbillorum adventum tuberculis pulmonis laborarunt, occurrit. Saepe diarrhoea, raro salutaris et comparentibus *aphthis*, vix non semper lethalis, morbis pectoris hucusque recensitis conjungitur. Singula haec mala haud raro *crisin* in variis eruptionibus cutaneis agnoscunt. Hujúsmodi sunt: 1. *furunculi*, ab initio parum inflammati, lividi, dein ichorem fundentes, difficulter sanabiles et potissimum ad dorsum, regionem umbilicalem, extremitatesque inferiores conspicui; — 2. *pustulae inflammatae* aut *vesiculae aqueae*, basi rubrae insidentes, dolore pungente et calore stipatae, inprimis extremitates inferiores et scrotum occupantes; — 3. *bullae* sero flaviusculo repletae, ad faciem, pectus et crura obviae; — et 4. *psydracia*, instar psorae, universam corporis superficiem obtegens. Ad com-

Mala residua.

communes porro morbillorum reliquias pertinent; 1. *ophthalmiae* in suppurationem tarsorum maculasque corneae desinentes; 2. *amaurosis;* 3. *fluxus saniei ex auribus* *); 4. *tumores glandularum;* 5. *ulcera* ad oris angulum cum labii superioris tumore, vel ad digitos tum manuum tum pedum, pluries cum carie ossium subjacentium; 6. *spasmi;* 7. *paresis*, praecipue artuum, non sine peculiari partium tensione, 8. *scorbutus* [72]) et *vitia cordis* **). Hydropem anasarca nunquam post morbillos conspeximus, ac idem fatetur Heim [73]).

Secunda infectio.

4. Etiamsi exempla *morbillorum reditus* in eodem subjecto [74]), et quidem in eadem epidemia

*) Vigente hoc fluxu, ac praesente simul parotide, *auris externae gangraenam*, faciei letali cum eventu communicatam, nuperrime in infante, morbillos parum antea perpesso, observavi.

**) Testa *über die Krankheiten des Herzens. Uebersetzt mit Anmerk. von* Kurt Sprengel. Hal. 1813.

72) Joerdens (Act. Nat. Curios. Vol. VII. obs. 10). In orphanotrophio mediolanensi, quamvis scorbuto non favente, plurimi, qui hyeme a. 1789—1790 morbillos perpessi erant, vere sequente in scorbutum inciderunt. Idem Vilnae post morbillos hyemis 1811—1812, inprimis inter Judaeos, conspexi.

73) L. c. p. 90.

74) De la Roberdiere (*Journal de médecine* T. 48. p. 253), Haen (Rat. medendi. Vol. III. p. 352). Wendt (l. c. S. 22).

mia [75]), absolute rejicere haud audeamus, attamen ea potissimum confusioni *rubeolae* cum morbillis, vel cum *eruptionibus secundariis* adscribenda esse opinamur. Homines, cum aegris a morbillis detentis arctum commercium habentes, quamvis jam antea eundem morbum perpessi essent, ab affectione catarrhali tamen affectos fuisse, WILLAN contendit.

§. LIX.

Cura.

1. *Insitio morbillorum* primum a HOME a. 1758 sanguinis sive lacrymarum ope tentata [76]), ab ALEX. MONRO [77]), BURSERIO [78]) et R. A. VOGELIO [79]) accuratius descripta, et nuperrime a LOCATELLI sine magno tamen successu adhibita [80]), sicuti adversus benignos morbillos inutilis, ita vigente ejusdem exanthematis epidemia maligna, inprimis si praecepta generalia febribus contagiosis occur- Prophylactica.

75) TOZZETTI *Journal de médecine*. T. 5.

76) Principia medicinae Lib. II. Sect. 8. — *Medical facts and experiments*. p. 258.

77) De venis lymphaticis. p. 58. — *Neues Bremisches Magazin* 2. B. 28 St.

78) Op. c. Vol. III. cap. 8. §. 157.

79) De cognoscendis et curandis c. h. affect. §. 135.

80) LODER's *Bemerkungen über ärztliche Verfassung und Unterricht in Italien während* 1811. Leipz. 1812. S. 36.

occurrendi locum invenire haud possent, nequaquam negligenda videtur.

C. morbillorum simplicium. 2. *Morbilli simplices* secundum regulas generales curantur [81]). Tuendus praeterea aeger a nimia luce. Ut tussi occurratur, succi vegetabiles subacidi evitari et *res mucilaginosae* [82]) tum pro potu, tum pro linctu, tum pro medicamento exhibendae. *Nitras potassae*, a Fr. Hoffmanno, ob id quod eruptionem exanthematis retardare ac pectoris incommoda augere dicat, proscripta [83]), nobis sub majori febris impetu semper profuit. Sydenhamum regimen calidum commendasse, rite demonstrante Dickson [84]), falsum. Certe neque calor nimius neque frigus, a Brunone hypothesium et analogiae morbillorum cum catarrho gratia commendatum [85]), recte animadvertente Cullen [86]), morbillis quadrat.

C. morbillorum inflammatoriorum. 3. In nullo exanthemate *venae sectio* tam secure sub quovis morbi stadio, eo invasionis non excepto [87]); nec contradicentibus epistaxi, menstrua-

81) Cap. I. §. VI.

82) Emulsio Arabica. Decoctum salep, althaeae, seminum lini, mixtura oleoso-gummosa.

83) Opp. T. II.

84) *Bemerkungen der Londoner Aerzte.* 4. B. S. 209. 215.

85) Element. medicinae.

86) Op. c. §. 247.

87) Venae sectionem morbillorum eruptionem promovere docuerunt Fr. Hoffmann (l. c. T. IV. p. 189.), Ribe (*Abh.*

struatione, diarrhoea [88]) institui potest, quam in *morbillis inflammatoriis.* Indicatur potissimum a decubitu impedito, a dolore lateris et a tussi saeva. Infantibus, infra tertium annum constitutis, venae sectionis loco, *hirudines* ad latera thoracis apponimus. Haemorrhagiis non immodicis liberum concedimus decursum. Si virium jactura usum venae sectionis impediat, *folia digitalis purpureae*, ut experti sumus, egregium sistunt remedium. Nisi realis complicatio gastrica praesto sit, *remedia alvum evacuantia* raro ante nonum morbi diem indicantur. Si multa pituita, praesertim in infantibus, fauces et pectus obruat, *vomitus*, deleta jam inflammatorio impetu, sat tuto movetur. Versus finem perducto morbo, liberam praeprimis transpirationem postulante [89]), *lenia diapnoica* praescribenda. Nisi haec sufficiant, ac si tussis effrena et continua inquietudo somnum impediant, ad *narcotica*, inprimis ad *hyoscyamum* [90]), utpote salutarem diarrhoeam non cohibentem, deveniendum. Optime horum remediorum usum Burserius, observationes Sydenhami, Mor-

(*Abhandl. der Schwed. Acad. der Wissenschaften.* 2. B. S. 144).

88) Diarrhoeam nimiam sub morbillorum curriculo sponte imminui, jure fatetur Sydenham ac confirmat Selle (l. c. p. 115).

89) J. P. Frank l. c.

90) Pro infante quatuor annorum granum unum in emulsione ad uncias sex.

Mortoni, Lieutaudii et Tissoti ad trutinam vocando, statuit[91]), demonstravitque narcotica, potissimum in tenera aetate ac sub primis morbi stadiis, excepto forte eo invasionis apud hystericas[92]), periculosa esse.

C. m. gastricorum. 4. Praeceptis universalibus[93]) etiam *morbillis gastricis* adaptandis, testimonia Fr. Hoffmanni, Rosensteinii, Stollii et Tissoti addimus, quorum primus, morbum difficulter superari, nisi leni *emetico* evacuentur sordes, asserit, reliqui vero, emetica et purgantia, ab initio adhibita, nimio alvi profluvio in sequentibus stadiis occurrere ac eruptionem exanthematis promovere, jure contendunt.

C. m. typhodum. 5. Curam *morbillorum typhodum* secundum praecepta generalia absolvendo, praecipue latentis *complicationis inflammatoriae* ratio haberi debet. Ea absente, nisi summa respirandi difficultas et pectoris oppressio obstent, Mortoni, Watsoni et praecipue Klaiberi consilio, ad *decoctum corticis cinchonae*, aliàs ad *infusum radicis aristolochiae serpentariae* confugiendum est. Aurea verba de *cura transitus morbillorum typhodum in inflammatorios* protulit Morton. *Haemorrhagiae* vitae periculum minitantes, praeter remedia

91) Op. c. Vol. II. §. 180—183.

92) Fr. Hoffmann l. c.

93) Cap. I. §. VI. 10.

media localia, *tincturcam sulphuriam aromaticam*, interdum *opio* mixtam 94) exposcunt. Acida mineralia simplica, ob tussim, adhiberi hic nequeunt.

6. Symptomata *peripneumoniae* in convalescentiam incidentia, vel retrocessus effectus, *venae sectionem*, *hirudines*, *cucurbitulas cruentas*, et si vires admodum deficiant, *digitalem purpuream*, *sinapismos*, *vesicatoria*, *pediluvia*, *frictiones cutis* exigunt. *Suffocationi* imminenti muriatem hydrargyri, remedium et caeteris morbillorum reliquiis adversum, nunquam conduxisse vidimus. Praesentibus signis *phthiseos pulmonalis* cum febricula quasi intermittente, ne praepostere ad corticem confugiamus, cavendum est. Levamen tunc potius a *remediis mucilaginosis*, a *digitali*, et a *lacte* obtinetur, quod ultimum, auctore Lassonio 95) princeps *diarrhoeae morbillosae* sistere solet remedium, cui tamen in nonnullis epidemiis *pulverem ipecacuanhae cum opio* 96) et *clysteres* ex *oleo* cum *infuso chamomillae* antepo- C.malorum residuorum

R 2 nere

94) Pro adulto. R. Decocti salep libram unam. Elixirii Mynsichti scrupulum unum. Laudani liquidi Sydenhami guttas duodecim.

95) *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 9. B. 2s St. Ex: *Mémoires de la Société royale de médecine* a. 1779 p. 84.

96) Pro infante quatuor annorum grana duo-quatuor in vehiculo mucilaginoso sex unciarum.

nere debuimus. Quo pacto *hydrothoraci*, *ophthalmiis* aliisque morbillorum residuis occurrendum sit, alibi docebimus. *Convalescentia* uti post scarlatinam curatur.

Cap. XIII.

De Rubeola.

§. LX.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. Exanthema primarium, adspectu morbillis sat simile, at, vel sine prodromis, vel praevia febre cum symptomatibus rheumaticis fauciumque saepe dolore invadens, jam primo morbi nychthemero erumpens, ac spatio paucorum dierum, plerumque sine desquamatione aut aliis reliquiis evanescens, nobis *Rubeola* 97) dicitur.

Historia. 2. Rubeolam jure a morbillis distinxerunt et pro morbo sui generis sub nomine nunc *rubeolae*, nunc *rossaliae*, nunc, uti videtur, *purpurae* descripserunt *medici* Vratislavienses 98), Orlo-

VIUS

97) German. *Die Röthlen*, *die Wiebelsucht*, *die Wieblen.* Ross. Красуха. Polon. *Kur.*

98) Historia morborum Vratislaviensium a. 1700. p. 185.

vius [99]), Sellius [100]), Zieglerus [1]), S. Vogelius [2]), Heimivs [3]) aliique.

§. LXI.

Symptomata. Caussae.

1. Morbus perstante ciborum desiderio, cum lassitudine, doloribus artuum, lumborum et faucium, caloribus fugacibus et febre, aliquando, ut vidimus, non sine anxietate et surarum crampo, absentibus praeter oculorum ruborem et symptomatibus catarrhalibus [4]), aliàs cum ipsa eruptione incipit. In genere tamen eruptio solum versus finem primi nychthemeri apparet, et ita quidem, ut exanthema, coloris fructus rubri idaei, uno fere temporis puncto per universum corpus, maxime ad faciem, ad brachia manuumque dorsum quae Symptomata.

99) Programma de rubeolarum et morbillorum discrimine.

100) Medicina clinica. p. 115. — Rudimenta pyretologiae methodicae. edit. Ticinensis. p. 165. — *Neue Beyträge zur Natur- und Arzneywissenschaft.* 1. Thl. S. 117.

1) *Beobachtungen aus der Arzneywissenschaft und Chirurg.* p. 81.

2) Op. c. 3. Vol. p. 219.

3) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde* 1812. 3s *Heft.*

4) Semel tantum sternutationem, in femina illi a prima infantia, minima porrecta caussa, subdita, observavi.

(quae loca aliquando unice ab eo occupantur) cum pruritu saepe nullo, interdum sive modico, sive magno, sub *triplici forma* in conspectum veniat. Prima forma, quam *rubeolam discretam* vocamus, puncta segregata, arcte circumscripta, morbillis sparsis similia, plerumque vero minus prominentia exhibet; — secunda, *rubeola confluens*, punctis rubris, fere planis, ita confluentibus ut cutis intermedia rubeat, notatur; — et tertia, *rubeola miliaris*, ex papulis magnitudinis seminum sinapis nigrae, hinc inde albicantibus, nonnullis in locis rubeolae confluenti intermixtis, constat. Exanthema cum febre, spatio trium, quatuor, septem [5]) dierum, plerumque sine ulla crisi, interdum sub sudore et urina puriformi, evanescit. Desquamatio rarissime et tunc solum, dum exanthema sub forma miliari effloruerat, patefit. Convalescentia et morbi reliquiae vix animadvertuntur.

Caussae. 2. Aetas infantilis et sexus femineus praecipue ad rubeolam, aliquando epidemice, non sine contagii suspicione, regnantem [6]), praedisponunt.

5) Heim l. c.

6) Vidi rubeolam *epidemicam Ticini* a. 1793, mense Junii, — *Mediolani* mense Julii ejusdem anni et *Vilnae* 1812, mense Martii.

§. LXII.

§. LXII.

Diagnosis.

1. *Rubeola* cum *miliaribus rubris*, cum *urticaria papulosa*, cum *exanthemate mercuriali*, cum *scarlatina*, cum *morbillis* et cum *strophulo* confundi potest. Facilis confusio.

2. *Rubeola miliaris*, ob crampum surarum, quo interdum stipatur, et ob adspectum, facile pro *miliaribus rubris*, accipi potest, nisi ad sequentia respiciatur. Distinctio a miliaribus rubris.

Miliaria rubra.	*Rubeolae miliares.*
a. Rarissime faciem occupant.	a. Maxime faciem detinent.
b. Sudores specifici eruptionem praecedunt.	b. Nullus ab initio morbi observatur sudor.
c. Plerumque per *repetita conamina* erumpunt.	c. *Uno impetu* prorumpunt.
d. Aliis morbis superveniunt.	d. Morbum primarium constituunt.

3. *Urticaria papulosa* in febre rheumatica erumpens, cum *rubeola confluente* confundi posset. Distinctio ab urticaria papulosa.

Urti-

Urticaria papulosa.	*Rubeola confluens.*
a. Pruritus saepe intolerabilis percipitur.	a. Raro pruritus magnus occurrit.
b. Eruptio utplurimum *secunda*, *tertia die* contingit.	b. Eruptio vel cum *morbi ingressu* vel *primo* illius *nychthemero* comparet.
c. *Maculae*, saltem ad circumferentiam, *prominentes* sunt.	c. *Maculae planae* cernuntur.
d. Efflorescentia *inconstans* est.	d. Efflorescentia *constans*.

Distinctio ab exanthemate mercuriali. 4. *Exanthema mercuriale*, sub forma papularum laete aut profunde rubrarum prorumpens, non nisi sequentibus characteribus a *rubeola* distinguere licet.

Exanthema mercuriale.	*Rubeola.*
a. Nullam contagii suspicionem habet.	a. Contagii suspicionem movet.
b. Orditur cum symptomatibus *catarrhalibus*.	b. Incipit cum symptomatibus *rheumaticis*.
c. Pruritus summus.	c. Pruritus plerumque modicus.
d. Ad *hebdomadam* et ultra protrahitur.	d. Spatio *paucorum dierum* terminatur.
e. Evidens est desquamatio.	e. Desquamatio vix occurrit.

5. Si-

5. Similitudo *rubeolae* tum *confluentis* tum *miliaris* cum *scarlatina* sive *levigata* sive *miliformi* per se patet: en differentiae. Distinctio a scarlatina.

Scarlatina.	*Rubeola.*
a. Versus *finem* primi vel ab initio *secundi* nychthemeri prorumpit.	a. Morbi *initium* comitatur, aut intra *primum* nychthemerum efflorescit.
b. Rubor cutis *laetus*.	b. Rubor cutis *obscurus*.
c. Rubor cutis ob compressionem digiti evanescens, hac cessante, solum a peripheria ad centrum redit.	c. Rubor cutis ablata digiti compressione non solum a peripheria redit, sed ex punctis exanthema constituentibus undique manat.
d. Desquamatio evidens.	d. Desquamatio vix perceptibilis.

6. *Morbilli* potissimum cum *rubeolis discretis* similitudinem exhibent. Distinctio a morbillis.

Morbilli.	*Rubeola.*
a. Stadium invasionis symptomata *catarrhalia* portendit.	a. Stadium invasionis symptomatibus *rheumaticis* insignitur.
b. Eruptio *quarto* morbi die contingit.	b. Eruptio curriculo *primi* nychthemeri locum habet.

c. Efflo-

c. Efflorescentia fere ad *diem decimum* morbi protrahitur.	c. Efflorescentia rarissime *septimum diem* attingit.
d. Convalescentiam propriis periculis stipatam habent.	d. Nulla fere observatur convalescentia nullaeque obveniunt reliquiae.

§. LXIII.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. *Prognosis* ex ipsa rubeolae descriptione eruitu.

Cura. 2. Rubeola secundum regulas generales exanthematibus primariis medendi curatur.

Cap. XIV.

De Variolis.

---

§. LXIV.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. *Variolae* [7]) exanthema primarium et contagiosum sistunt, quod praeviis febre, nausea, vomitu,

7) Germ. *Die Pocken, die Blattern.* Gall. *La petite vérole.* Angl. *Small-pox.* Ital. *Il vajuolo.* Ross. Оспа. Polon. *Ospa.*

tu, dolore epigastrii et lumborum, tertio quartove morbi die, ad faciem aliaque cutis loca, sub forma macularum rubrarum in medio nodulo subduro praeditarum, prorumpit, ac spatio octo dierum in pustulas, quae crustis deinde cooperiuntur, abit, relictis pro tempore maculis, saepeque indelebilibus foveis, ac non raro vitiis systematis lymphatici, sensuum aliarumque partium.

2. Veterum Graecorum et Romanorum aevo variolas non extitisse, post multas doctasque controversias Gruner demonstravit [8]. Verisimillimum est, Arabas jam a. 572 post C. N. illarum notitiam habuisse [9]; certum autem est, hunc morbum ex Aegypto interioribusque Arabiae locis, a Saracenis sub finem tantummodo saeculi undecimi et sequentis initium in Hispanias perlatum fuisse [10]. Nulla enim fides scriptoribus, qui variolas a. 570 Gallias devastasse narrant [11], tribuitur [12]. Ab Hispania variolae rapide in reliquas Euro- Historia.

8) Morborum antiquitates. Vratislav. 1774. Cap. 1.

9) Reiskius Diss. observ. miscell. med. ex Arabum monumentis. Lugd. Batav. 1746. Obs. 1. p. 9. — Sprengel op. c. 2. Th. S. 286.

10) Gruner Diss. variolarum antiquitates ab Arabibus solis repetendae. Jen. 1773.

11) Historia Francorum scriptorum. T. II. Paulet *histoire de la petite vérole*. Paris. 1768. p. 82.

12) Werlhoff Disquisit. de variolis et anthracibus Opp. med. p. 469.

Europae partes, nonnullis regionibus septentrionalibus diu exceptis [13]) migrarunt. America ante Europaeorum adventum a variolis immunis fuit. Primus ipsarum scriptor est RHAZES [14]). Innumerabiles inde secuti sunt circa idem argumentum auctores [15]), quorum potiores MARCELLUS DONATUS [16]), BETERA [17]), BARTHOLINUS [18]), BELLINGER [19]), FISCHER [20]), LOBB [21]), HELVETIUS [22]), HI-

13) GMELIN *Reise durch Siberien.* In Praefatione.

14) De variolis et morbillis ex Arabico latine redditus, quem RICHARD MEAD recudi curavit. Op. med. Edit. Neapol.

15) Litteratura ampla variolarum apud KRÜNITZ (*Verzeichniss der vornehmsten Schriften von den Kinderpokken.* Leipz. 1768.) et OLBERG (*Beytrag zur Litteratur der Blattern und deren Einimpfung.* Halle 1791).

16) De variolis et morbillis. Mantua 1569. HALLER Biblioth. med. pr. II. p. 167.

17) De malignis variolis et petechiis. Brix. 1589.

18) De variolis hujus anni epidemicis. Hafn. 1656.

19) *Treatise concerning the small-pox.* Lond. 1721.

20) Diss. Nosologia variolantium curatione, methodo medendi et observationibus singularibus illustrata. Erfurt. 1721.

21) *A treatise on the small-pox.* Lond. 1731.

22) *Idée générale et observations sur la petite vérole.* Lyon 1727.

HILLARY [23]), OBERCAMP [2]), MEAD [25]), LUDWIG [26]) OTTO [27]), PAULET [28]), STORCH [29]), THOMPSON [30]), VIOLANTE [31]), ELLER [32]), TRALLES [33]), TISSOT [34]), FORDYCE [35]), SWIETEN [36]), SARCONE [37]), BLACK [38]), HILDEBRAND [39]), BUCH-

HOLZ

23) *Rational and mechanical essay on the small-pox.* Lond. 1735.

24) Variolarum praeprimis malignarum ratio et curatio. Wirceburg. 1746.

25) De variolis et morbillis. Lond. 1747.

26) Adversaria I. P. 2. No. 2.

27) De sede variolarum non in sola cute. Erlang. 1758.

28) Op. c.

29) *Abhandl. von den Blatterkrankheiten.* Eisenach. 1753.

30) *An enquiry into the origin, nature and cure of small-pox.* London. 1752.

31) De variolis et morbillis. Dresd. 1750.

32) De cognoscendis et curandis morbis. Sect. 6.

33) De methodo medendi variolis hactenus cognita, saepe insufficiente, magno pro inoculatione argumento.

34) Epistol. ad HALLERUM de variolis etc. Lausannae 1761.

35) Op. c.

36) Comment.

37) *Del contagio del vajuolo e della necessità di tentarne l'estirpazione.* Nap. 1770.

38) *Observations medical and political on the small-pox.* London 1781.

39) *Bemerkungen und Beobachtungen über die Pocken in der Epidem.* 1787.

HOLZ 40, ROE 41), ROUSSEL 42), UNZER 43), DE MEZA 44), HENSLER 45), WALKER 46), ORLANDI 47), HOPFENGÄRTNER 48), OBERTÄUFER 49), DESSESSARZ 50), SUASSO *) aliique infra recensendi.

40) Historia variolarum. Vid. nova acta phys. medic. T. IV. obs. 38. p. 172.

41) *Treatise on natural small-pox.* Lond. 1780.

42) *Recherches sur la petite vérole.* Paris 1783.

43) *Abhandl. von den Pocken.* Halberst. 1782.

44) Descriptio variolarum epidemicarum, a. 1786. in Actis Soc. R. med. Havniensis. Vol. 3. p. 69.

45) Tentaminum et observationum de morbo varioloso etc.

46) *Untersuchung der Pocken in medicinischer und politischer Hinsicht.* Leipz. 1791.

47) De vero variolarum cursu et de propria eas curandi methodo. Romae 1793.

48) *Beobachtungen und Untersuchungen über die Pockenkrankheit.* Stuttgart 1799.

49) *Medicinisch-diätetischer Unterricht über die Natur, Behandlung und Erleichterungsart der Pocken.* St. Gallen 1800.

50) *Mémoires de l'institut national de France pour l'an.* 4.

*) Morborum exanthematicorum descriptiones, tabularum forma ordinatae: specimen, variolarum atque vaccinarum decursum et curationem exhibens. Amsterd. 1809.

§. LXV.

§. LXV.

Symptomata. Autopsia cadaverum.

1. *Variola simplex* cum morositate, lassitudine, inquietudine et pavoribus sub somno ingruit. Facies alternatim rubore et pallore obducitur ac horripilationes subsequente calore in conspectum veniunt. Aeger dolores capitis, colli, axillarum, dorsi, lumborum, artuum, potissime vero regionis epigastricae, ab attactu auctos, accusat. Urgent praeterea nausea, vomituritio, ipseque vomitus. Ad noctem singula mala augentur, ac infantes facile stridore dentium, sopore, convulsionibus, adulti vero vigiliis, sudoribus specifice foetentibus, fauciumque siccitate laborant. Pulsus frequens et plerumque mollis. Urina turbida, albescens, subflava, furfuracea animadvertitur. Matutino tempore quaedam symptomatum remissio, a nova exacerbatione mox secuta, occurrit, ac sic per triduum, donec quarto die, praevio cutis pruritu ac tensione, maculae rubrae, circulares, in medio nodulo profundius rubro, subduro instructae, primum ad faciem, praecipue circa labium superius, latera nasi et mentum, dein ad collum et pectus, ac tandem ad artus et truncum prorumpant. Absoluta sensim sensimque spatio duorum nychthemerorum universa eruptione, febris cum reliquis stadii invasionis symptomatibus evanescit. Interea plurimae ex variolis,

V. simplices.

riolis, ordine, quo effloruerunt, ad basin dilatantur, halone rubro circumdantur, ac in apice vesicula, liquore limpido, mox vero turbido, ex flavo albescente repleta, ac foveola in medio praedita, instruuntur. Reliquae maculae, nullo relicto vestigio disparent. Circa septimum et octavum morbi diem, nova febris, *suppuratoria* dicta, accedit, sub qua, praesentibus multis variolis, cutis pustulis intermedia tenditur, intumescit ac rubet; unde facies, clausis palpebris oedematosis, horrendum saepe adspectum refert Interim cutis tumor oedematosus saepius et sine multis variolis observatur, Quocunque in casu hoc tempore manifesta suppurationis indicia in variolis, halonem rubrum et foveam amittentibus, figuram hemisphaericam induentibus, pure albo, denso repletis et specificum odorem exhalantibus, cernuntur. Decimo, saepissime vero undecimo morbi die, variolae, secundum ordinem, quo suppurare inceperant, punctum obscurum in apice exhibent. Disrupta hic epidermide, materia purulenta, mox ad superficiem in crustam convertenda, emanat. Ad crura et pedes, resorpto pure, plurimae variolae vacuae comparent. Interea febris et cutis tumor, si adfuerint, profligantur et crustae, amplioribus et densioribus exceptis, circa decimum quartum diem, ingruente convalescentia, decidunt.

2. *Va-*

2. *Variolae inflammatoriae* symptomata stadii invasionis, vehementi in gradu, cum frigore saepe conspicuo, magno subsequente aestu, sociisque pulsu pleno, duro, oculis rubentibus, fulgentibus, lacrymantibus, siti inexplebili, lingua arida, alvo obstructa, urina rubra, epistaxi, et, apud adultos, salivatione fauciumque doloribus, exhibent. Immo, nonnulli symptomatibus encephalitidis et peripneumoniae laborant. Peracta ut supra eruptione, febris cum caeteris symptomatibus remittere, accedente vero stadio suppurationis iterum cum singulis aliis malis exasperari solet. Haud pauci hic soporosi aut suffocati pereunt. Apud nonnullos febris in longum trahitur ac sub puris ex pustulis resorptione, indolem typhodem induit. Feliciores, praevia abundanti suppuratione, stadium exsiccationis et convalescentiam attingunt. V. inflammatoriae.

3. *Variolae gastricae*, majore virium jactura, vomitu multo, bilioso, diarrhoea faeculenta, secessu vermium, ingruunt; et quamvis debito tempore erumpant, attamen lente crescere, facile abnormes fieri, aegre ad maturitatem properare et frequenter cum peticulis societatem inire solent. Morbus indolem typhodem saepe induit, aut, nisi illico ad simplicitatem reducatur, difficulter convalescentiam, multis adhuc periculis circumdatam, attingit. C. gastricae.

4. *Va-*

V. typhodes.

4. *Variolae typhodes* ingenti virium prostratione et systematis nervosi labefactatione annunciantur. Rigor molestus scenam aperit, sequiturque calor intensus, cum oculis turbidis, lacrymantibus, vertigine, pulsu contracto, celeri, quandoque inaequali et lento, cute sicca, urina pallida, carotidum vibratione, doloribus spinae, epigastrii, lumborum, comate, delirio, anxietate, convulsionibus, tremoribus, lipothymiis, haemorrhagiis, fluxu dysenterico etc. Stadium invasionis, aliquando vitae finem imponens, breve aut praeter modum protractum esse solet, ita ut eruptio vel primo, secundo, plerumque tertio morbi die, vel sexto [51]), locum inveniat. Contingit ea confestim et tumultuarie, praesertim ad faciem. Variolae adspectum pallidum aut violaceum referunt, nec rubro ad basin halone cinguntur. Cutis ac si arena injecta conspurcata esset, vel rubore erysipelaceo subfusa, vel peticulis, ecchymomatibus et miliaribus simul obsessa, cernitur. Facta eruptione, febris cum reliquis symptomatibus invalescit ac aeger, animo demisso et abjecto decumbens, ptyalismum, frigus extremitatum, aliaque agonis imminentis indicia, exhibet. Qui undecimum diem attingunt, tentamen magis ad suppurationem, quam stadium suppurationis offerunt. Pustulis sive sponte, sive scalptu ruptis, ichor, intolerabilem foetorem spargens, indusia

51) De Meza l. c. p. 69.

et lintea, cuti, saepe decubitu laboranti, agglutinans, ac in crustas bruneas sive nigras desinens, effluit. Miser delirans ac stupidus aperto siccoque oris antro, aphthis saepe obducto, spiritum ducit, ac succensis quasi ignibus tostus, divaricatis cruribus decumbit, donec sub repetito saepe per urinam aut alvum cruoris fluxu, aut superaccedentibus viscerum inflammationibus, inter diem decimum sextum et vigesimum vel fatum supremum, vel secessum crustarum, relicta cute erosa carnisque crudae instar cruenta, experiatur.

5. Variolas *internas*, a nobis nunquam compertas, cum aphthis facile confundendas, ac a HALLERO [52]) aliisque [53]) negatas, ad viscera non solum, sed vel ad ossa obvenire contendunt MEAD [54]), FERNELIUS [55]), HORSTIUS [56]), BARTHOLINUS [57]), BALLONIUS [58]), ROD. A CASTRO [59]), KERKRINGIUS [60]) etc., quorum testimonia OTTO docte collegit [61]). Intestina admodum lacerabilia esse HAL- Autopsia cadaverum.

 LER

52) Opusc. patholog. p. 122.

53) COTUNNI l. c. p. 87. LENTILIUS Eteodrom. p. 153.

54) L. c. p. 323.

55) De abditis rerum caussis. L. II. c. 12.

56) Obs. anatom. 9.

57) C. 3. obs 29.

58) Epid. et Ephem. L. 2. p. 207.

59) L. 3. c. 16.

60) Obs. anat. 61.

61) L. c. p. 28. 50.

LER asserit [62]). Plerumque cadavera nil praeter pulmonis aut alterius visceris inflammationem et saepissime liquorem serosum in cavitate pectoris extravasatum offerunt.

§. LXVI.

Caussae.

C. praedisponentes. 1. Quivis homo ad variolas praedispositus est; et pauci, de quorum immunitate citra vaccinam narratur, variolas vel in utero materno jam perpessi erant [63]), vel eas tam parva copia, ut a parentibus non animadverterentur, passi sunt [64]), vel illarum adventum morte praevenerunt. Quamvis enim aetas infantilis et juvenilis inprimis variolis faveat, exempla tamen non solum adultorum

62) Biblioth. chirurg. Vol. I. p. 408.

63) Exemplum foetus variolosi, a matre hoc morbo laborante enixi, Vindobonae conspexi. Casus similes a MEAD (l. c. cap. 3). LUDWIG (l. c. p. 496) et a HOFFMANN (Diss. de morbis foetuum in utero §. 2.) referuntur. Potest vero foetus in utero variolis laborare, quin mater inficiatur (FERNELIUS l. c.) et vice versa (MAURICEAU *sur les maladies des femmes grosses.* 2. — SMELLIE *Sammlung widernatürlicher Fälle und Bemerkungen in der Hebammenkunst.* 3. B. S. 5. 6. — DIMSDALE in *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte* 7. B. 1s St. S. 34).

64) Constat, *unam* variolam, aeque ac decem millia pustularum, a nova infectione munire.

rum sed et senum [65]), ab iis correptorum, haud desiderantur. Morbus tempore vernali caput attolit, aestivo ferocius saevit, autumno mitescit, ac hyeme plerumque [66]) extinguitur.

2. *Caussa* variolas *excitans* contagium sistit, originis ignotae, favente annua sive epidemica constitutione ab una in alteram regionem omnibus infensum migrans [67]), aliàs nonnullis pro tempore parcens [68]), sese veluti contagium typhi, sed et in aperto puroque aëre ad nonnullorum passuum distantiam [69]), aut per litterarum commercium [70]), vel per insecta [71]), vel per lanceolam non satis detersam, qua sanguis variolis laboranti missus fuit C. excitans.

65) Stalpartus van der Wiel obs. rar. med. cent. poster. obs. 42. p. 425. — Nicolai *Pathologie* 2. B. S. 226. — J. P. Frank venatorem Bruchsaliensem 78 annorum variolis laborantem curavit.

66) Contrarium aliquando contingere, observationes Buchholzii docent l. c. p. 172.

67) Variolarum iter ab alpibus pedemontanis ad extremam usque Italiam pulchre a Richa descriptum est. (Morborum vulgarium historia, seu constitutio epidemica Taurinensis a. 1720. August. Taurin. 1721. p. 14).

68) Homines sub una epidemia contagio rebelles, sub altera ab eodem devictos ipse vidi.

69) Haygarth *a sketch of a plan to exterminate casual small-pox from Great-Britain.*

70) Rosenstein l. c. p. 199.

71) Unzer *Arzt.* 2. Th. 33 St. S. 125.

fuit [72]), propagans, nunc, praesertim adjuvante animi pathemate, fulminis instar effectum exerens [73]), nunc ad septimum [74]) et decimum quartum usque diem [75]) latens.

C. proxima.

3. *Caussa proxima* variolarum in retentionem sanguinis funiculi umbilicalis [76]), in succum chyloso-lymphaticum corruptum et impurum, ex matre in alumnum derivatum [77]), in evolutionem extremorum vasorum sanguiferorum [78]), in glandulas, secretioni variolosi virus dicatas [79]) aliasque in hypotheses plus minus absurdas, locata fuit.

solum

72) De Meza l. c. cap. XXI. §. 211. — Home principia med. P. 4. Sect. 7.

73) Nobilissimam aeque ac formosissimam feminam, variolas necdum perpessam, ab earum inoculatione abhorrentem et vaccinae insitionem procrastinantem, cognovi, quae amicae pallium per jocum induens, ac in illius domo variolas regnare audiens, maxime inde et ad lipothymiam usque terrefacta, extemplo in stadium invasionis variolarum lethiferarum incidit.

74) Buchholz l. c. p. 174.

75) Fordyce l. c. p. 3.

76) Horstius opp. I. p. 263. — Marschall *Unterricht zur Pflege der Ledigen — und Kinder.* — Mesmer in ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΟΝ. 2. *Jahrg.* 1812. 9. Heft.

77) Fr. Hoffmann med. rat. syst. T. IV. p. 144.

78) Hahn l. c. Falsitatem hujus doctrinae Ludwig demonstrat (l. c. p. 215).

79) Cotunni l. c. — C. L. Hoffmann l. c. — Eos *folliculos mucosos* a variolis inflammatos pro *glandulis* habuisse, recte Hufelandius docuit.

Solum id constat, variolas sistere morbum specificum, nunc simplicem, nunc complicatum, in quo, testante cutis tumore oedematoso, salivatione et diarrhoea, systema lymphaticum maxime afficitur.

§. LXVII.

Diagnosis.

1. *Stadium invasionis* variolarum nullum agnoscere signum gentilitium, absentia febris, nausea et vomitus [80]), doloris epigastrii, convulsionum, nonnullis epidemiis communis, docet. Nec raro in variolis prodroma, aliàs scarlatinae et morbillis communia e. c. faucium dolor, coryza, a salivatione hinc inde soluta [81]), sternutatio, lacrymatio, minus tamen quam in morbillis calida [82]) et sine lucis intolerantia, occurrunt. Symptomata invasionis.

2. Copia variolarum admodum diversa est. Hinc inde enim illarum solummodo tres, quatuor, septem comparent, aliàs numerari nequeunt. Copiosissimae pustulae in facie, non exceptis palpebris, observari solent [83]). Oculorum albugineam Eruptio cutanea.

a

80) De Meza l. c. p. 68.

81) Buchholz l. c. p 176.

82) Rosenstein l. c. p. 109.

83) Animadvertente Campero, si 10,000 variolarum hominem obtegant, facies circiter 2000 exhibebit. (Diss. de emolumentis et optima methodo insitionis variolarum. Groening. 1774. p. 51).

a variolis interdum obsideri affirmatur [84]), at ab aliis [85]) jure in dubium vocatur. Paucis prorumpentibus variolis, pustulae inter se distinctae manent (*Variolae discretae*); — alias vel cohaerent (*V. cohaerentes*), vel confluunt (*V. confluentes*), vel in agmen colliguntur (*V. corymbosae*). Aliquando *morbus variolosus sine variolis* decurrit [86]) et in aegro nec variolas nec vaccinam perpesso ex occasione contagium variolarum suscipiendi, ex curriculo morbi, symptomatibus stadii invasionis variolarum praediti atque ex subsequente variolas vel vaccinam contrahendi immunitate, cognoscitur. Haud raro tandem variolae, febre sive gastrica graviori, sive typhode stipatae consuetam minime exhibent formam (*V. abnormes*). Huc pertinent: 1. *Variola serosa* sive *crystallina* in pustulis consistens lente crescentibus, superficialibus, pallidis, depressis, in medio fovea instructis [87]), ichore acri, *contagioso*, limpido repletis, nunquam maturationem attingentibus, aliquando in vesicas planas, latas, diaphanas, acerrima lympha turgescentes [88]), coalescentibus; — 2. *Variola sanguinea*, *nigra*, *haematodes*, *scorbutica*,

84) Nicolai *Pathologie* 3. B. p. 310.

85) Swieten l. c. §. 1396.

86) Hensler l. c. p. 42. — Lentin obs. med. fasc. II. p. 25. — Comment. Lips. Vol. V. p. 692.

87) Sarcone l. c.

88) Eller l. c. p. 146.

bytica, interdum nucis magnitudine [89]), ac a Sydenhamo [90]), Huxhamo [91]) et Gesnero optime descripta; — et 3. *variola verrucosa* sive *solidescens*, papulas referens, ex fibrillis densis intus conflatas, distinctas, quae disruptae parum saniei effundunt et in verrucas transeunt. Pulchre hanc exitialem morbi formam Ellerus [92]) et Camerarius [93]) descripserunt.

3. *Variolae* cum *peticulis*, cum *bullis*, cum *morbillis*, cum *varicella*, et cum *strophulo* confundi possent. Facilis confusio.

4. *Variolae* solummodo sub primo eruptionis momento similitudinem cum *peticulis* alunt, a quibus distinguuntur, ne dicamus de symptomatibus stadii invasionis, ex eo quod puncta variolosa non solum super cutim elevata sed et *nodulo in medio* instructa sint, ac potissime faciem, rarissimam peticularum sedem [94]), occupent. Distinctio a peticulis.

5. *Variolae crystallinae* cum *bullis* adspectu conveniunt, dignoscuntur vero habita ratione morborum epidemice regnantium et symptomatum pro- Distinctio a bullis.

89) Sic accidit in lethali variolarum epidemia a. 1760. 1761 *Stokholmae* observata (*Götting. gelehrte Anzeigen* 1771. 87. St. S. 747).

90) Variolae a. 1674.

91) De aëre. p. 37.

92) L. c. p. 147.

93) Act. phys. med. N. C. Vol. II. obs. 154. p. 358.

94) Cap. II. §. VIII. 1.

prodromorum, illis variolarum normalium similium.

Distinctio a morbillis. 6. *Variolae* consuetis prodromis orbatae ac praesertim cum symptomatibus coryzae invadentes, tempore, quo primum efflorescunt, pro *morbillis* haberi possunt.

Morbilli.	*Variolae.*
a. Sub forma *punctorum* undique prominentium et *planorum* erumpunt.	a. Sub forma *macularum*, in medio tantum prominentium ac *nodulo* instructarum comparent.
b. Facta eruptione febris, vel in leviori morbo, haud multum remittit.	b. Facta eruptione febris in leviori saltem morbo evanescit.
c. Lacrymatio ardens est.	c. Lacrymatio vix calida.
d. Intolerantia lucis magna.	d. Intolerantia lucis non major, quam in reliquis morbis febrilibus.

Diversa v. indoles. 7 *Diversa variolarum indoles*, jam ex morbi descriptione elucens, non ex *uno* tantum signo determinanda est. Sic variolae *discretae* quamvis utplurimum de simplici ac benigno morbo testentur, attamen interdum typhodem exhibent indolem

lem [95]) et vice versa variolae *confluentes* [96]). Praecipue caveri debet, ne ex virium prostratione et convulsionibus aliisque symptomatibus nervosis, saepe apud puellas deformitatem corporis timentes, obviis [97]), malignam morbi naturam arguamus. Cave quoque, ne pulsum debilem credas, ubi eum ob cutis tumorem non rite percipis. Gastrica symptomata in morbo, turbis ventriculi per se stipato, fallacissima esse, sponte elucet. Praesertim autem latens fomes verminosus medici attentionem exposcit.

8. Tandem variolas, citra exanthemata symptomatica, cum aliis morbis, tum acutis, tum chronicis *complicari* posse, haud ignorandum est. Loquimur de *morbillis* cum variolis nunc simul vel retardando [98]), vel haud immutando [99]) harum curriculum florentibus [100]), nunc invicem alterutrum

Complicatio cum aliis morbis.

95) Eller l. c. p. 138. — Helvetius l. c. — Störk an. med. II. p. 162. — Hensler l. c. p. 33.

96) Eller l. c. p. 139. — Variolas etsi benignas, haud raro apud infantes robustos, succulentos *confluere* vidi.

97) Swieten l. c. — Huxham l. c. p. 123. — Rahn l. c. p. 375.

98) Manget in *med. Commentarien von Edinburgh.* 1. B. S. 353.

99) Rainey ibid. 3. B. S. 479. Et: Hufeland's *Journal.* 10. B. 2. St. S. 63.

100) King ibid. S. 480. — Bergius *Schwedische Abh.* 1766. S. 71.

utrum corporis latus occupantibus [1]), nunc sibi proxime succedentibus [2]). Idem de *scarlatina* [3]), de *psora* [4]), de *plica* [5]), de *tussi convulsiva* [6]), de *febribus intermittentibus* [7]) et, ut fertur, de *pemphigo* [8]) valet.

§. LXVIII.

Prognosis.

Periculum.

1. Variolas strages majores quam pestem edidisse ex calculo a SÜSMILCHIO [9]), TRALLESIO [10]), DIMSDALIO [11]), RAMAZZINIO [12]), BRUCIO [13]), TIS-

SOTO

S. 71. — MACBRIDE *methodical introduction to the theory and practice of physic.* p. 376.

1) ETTMÜLLER opp. II. P. I. c. 10.

2) Acta N. C. Vol. VI. obs. 109.

3) Plura scarlatinae cum variolis incedentis exempla in nosocomio Vindobonensi conspexi, aliaque refert DESSESSARZ (l. c. No. 25).

4) Saepius ipse vidi.

5) Ita.

6) DESSESSARZ. l. c. No. 24.

7) SARCONE l. c. T. I. p. 230. — RAHN l. c. p. 366.

8) GARN in HUFELAND's *Journal.* 4. B. S. 359.

9) *Göttliche Ordnung.* 2. Th. §. 528. 3. Th. S. 627.

10) L. c.

11) *Tracts of inoculation.* Lond. 1781.

12) Constit. epidem. Mutinensis a. 1691.

13) *Voyages aux sources du Nil.* T. 3. p. 625.

SOTO [14]), PERCIVALIO [15]) etc. instituto, in quo ne comprehenduntur quidem ii, qui *ex reliquiis* variolarum perierunt, eruitur. Infantes, dummodo nativitati non admodum proximi, variolas prae adultis felicius superant. Lactantes tamen gravius affliguntur, si variolae labia et fauces occupent. Pubertas, fluxus menstruus, graviditas [16]) et puerperium morbum vehementiorem reddunt. Teste ROSENSTEINIO plures feminae quam mares interficiuntur [17]). Sunt familiae, quae gravius, sunt aliae, quae lenius variolas patiantur, immo, referente CAMPERO, proles plerumque eadem ratione variolas pati solet, qua eas sive pater, sive mater, cui maxime habitu respondent, perpessus est [18]). Valetudinarii, praesertim scrophulosi, arthritici, scorbutici, venerei ad variolas feliciter superandas minus idonei sunt. Verum, non desiderantur exceptiones, ac nostrae aliorumque [19]) observationes, variolas interdum *salutares* esse, docent.

2. Fortis

14) *Abhandlung von der Einpfropfung der Blattern.* §. 4. p. 6.

15) *Philosophical, medical and experimental essays* p. 87.

16) TODE *arzneykundige Annalen.* Is *Heft.* p. 44.

17) *Kinderkrankheiten* S. 167.

18) L. c. p. 6. 7.

19) GREGORY *Anfangsgründe* §. 125. S. 75. — MURRAY nova acta eruditorum 1767. p. 406. DIMSDALE l. c. — CAMPER l. c. p. 30.

Semiotica. 2. Fortis lumborum dolor ac frigus magnum[20]) gravem designant morbum. Convulsiones paucae, brevi ante eruptionem apud infantes comparentes, sunt innocuae: secus autem si diuturnae, praemature erumpentes et violentae fuerint; hoc enim in casu apoplexia [21]), paralysis [22]), loquelae defectus [23]), mors repentina [24]) sequi possunt. Summas tamen et diuturnas convulsiones innoxias descripsit ELLER [25]). Diarrhoea dummodo cum eruptione cesset aut circa decimum tantum diem oriatur, salutaris esse solet. Eam per totum morbi curriculum cum emolumento continuassé vidimus, idemque fatetur RICHA [26]). Vermium secessus aliquando lethalis, interdum proficuus animadvertitur [27]). Sudores fortes in omni variolarum stadio malum offerunt symptoma [28]). Idem de salivatione mature comparente et inopi-

20) TRILLER Diss. de horrore in febribus exanthematicis, praesertim variolis, signo plerumque letali. *Wittenb.* 1769.

21) *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 3. B. 2. St. S. 359.

22) SCHULZ l. c. p. 6. 7.

23) CAMPER l. c. p. 15.

24) SCHULZ l. c.

25) L. c. p. 147.

26) L. c. p. 15.

27) NICOLAI l. c. 2. Th. S. 289.

28) GRANT *neue Beobachtungen.* p. 28.

inopinate suppressa, dicendum est. Sed et eadem bene procedente, aeger aliquando moritur [29]). Delirium, nisi comparente exanthemate dissipetur, de encephalitide facile testatur. Malum est: si facta eruptione, facies instar pulveris a limatura acicularum undiquĕ adspersa cernatur aut detumescat [30]); — si maturescentibus variolis novae adhuc succrescant; — si cessante salivatione pustulae, quasi vacuae, concidant; — si peracta eruptione, citra diathesin inflammatoriam et methodum nimis calefacientem, haemorrhagiae, inprimis viarum urinalium [31]) contingant; — si sangius corium album exhibeat [32]); — si vox et respiratio nec non deglutitionis opus [33]) multum laedantur; sique exanthemata secundaria, exceptis aliquando miliaribus, in conspectum veniant. *Octavus dies* in variolis inflammatoriis et *undecimus* in typhodibus, prae caeteris timendi sunt.

3. Variolae *maculas* cuprei coloris per mensem et ultra relinquunt. Sociae saepe fiunt *foveae* sive *cicatrices* plerumque cuti concolores, inaequales, saepe punctis nigris notatae, inprimis faciem et manus copiose occupantes, tractu temporis sub cor- Mala residua.

29) Selle *Handbuch*. p. 101.

30) Swieten l. c. T. V. §. 1398. p. 102.

31) Sydenham schedula monitoria de novae febris ingressu.

32) Baglivi prax. med. p. 61.

33) Wintrigham l. c. p. 473.

corporis incremento haud raro evanescentes, quarumque descriptionem Heim exacte tradidit 34). Et *desquamationem* amplam, sub qua compacta epidermis stigmata variolarum exhibebat, observavimus. Interdum sub convalescentia *variolae* sic dictae *secundariae*, species videlicet *varicellae*, praevio febris insultu, ingruunt 35). Saepe *abscessus* frontis, articulorum, faucium, glandularum salivalium, cervicalium, ad ulcera maligna et ad cariem proni, oriuntur. Et systema glandularum lymphaticarum pulmonis, mesenterii aliarumque partium internarum saepe suppurationes offert. Interdum variolae concretionem praeputii cum glande, vel destructionem sive frenuli sive hymenis inducunt. Saepissime vero *sensus*, inprimis *oculi*, testantibus tot *ophthalmiis chronicis*, tot *staphylomatibus*, tot *coecitatibus* 36), inde laeduntur. Ex *auribus* haud raro materia puriformis sive pus, inflammationis chronicae meatus auditorii sive abscessus cavitatis tympani erosae productum, non sine cariei suspicione, surditatis caussa, effluit. Observavimus a variolis cavitatem nasi concretam ac vocem per totum vitae curriculum

34) L. c. p. 220.

35) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde.* 3. B. p. 754.

36) Jos. Franks *Reise nach Paris, London u. s. w.* 2. Thl. p. 306.

lum fere extinctam. Ita cum aliis [37]) metastases ad nervos, paralyseos caussas.

4. Quamvis possibilitatem *secundae infectionis* variolarum, ut C. L. HOFFMANN fecerat [38]), non omnino in dubium revocemus, attamen maximam copiam observationum de reditu variolarum [39]), confusioni istarum cum *varicella* adscribendam esse, suspicamur. Secunda infectio.

§. LXIX.

Prophylactica.

1. Ad *extirpandas* variolas, ante vaccinae inventum ob continuum inter cives commercium, inania plane dederunt consilia MEDICUS [40]), PAULET [41]), HAY- Extirpatio.

37) J. P. FRANK Epitome l. c. p. 177.

38) Op. c.

39) HAEN l. c. — HENSLER l. c. Tent. 8. p. 81. — NICOLAI l. c. p. 285. — FOUQUET l. c. T. I. p. 80. — SARCONE *von den Krankheiten von Neapel.* P. I. — MOSCA *dell' aria* etc. Diss. 2. part. 2. p. 106. — CAMPER l. c. p. 10. — JUNKER l. c. 5. St. S. 185.

40) *Von der Ausrottung der Blattern* 1762. in *Samml. von Beobachtungen aus der Arzneywissenschaft.* 2. B. p. 713.

41) *Le seul préservatif de la petite vérole.* Amsterd. 1776.

Haygarth [42]), Scuderi [43]), Faust [44]), Sarcone [45]), Junker [46]) aliique.

Mitigatio. 2. Neque auxilia ad *mitigandam vim* variolarum sive ad *praepediendam* earum *suppurationem* [47]) proposita, scilicet *aqua picea* *), *vesicatoria* [48]), *mercurius* [49]), *cortex cinchonae officinalis*

42) *Untersuchungen, wie den Blattern zuvorzukommen sey.* Berlin u. Stettin. 1786.

43) De variolarum morborumque contagiosorum caussa atque facili extinctione. Neapol. 1789.

44) *Versuch über die Pflicht der Menschen jeden Blatterkranken von der Gemeinschaft der Gesunden abzusondern und dadurch die Ausrottung des Blattergiftes zu bewirken.* Leipz. 1794.

45) Op. c.

46) *Gemeinnützliche Vorschläge wider die Pockenkrankheit. Dritter Versuch.* Halle 1796. — *Archiv der Aerzte und Seelsorger wider die Pockennoth.* Leipz. 1798. — *Mémoire addressé au congrès de Rastatt concernant la petite vérole.* Halle 1798.

47) Hunc scopum attingere sategerunt: Boerhaave (aphor. de cogn. et curand. morb. §. 1389. 1392). Lobius (l. c. §. 574), Schreiberus (de peste p. 47) etc.

*) Prior *narrative of the success of Tar-water.* 1746.

48) Closs l. c.

49) Woensel *neue mit dem Mercur in den Blattern gemachte Erfahrungen* etc. Leipz. 1783.

nalis [50]), aliaque a SCHULZENHEIM collecta [51]) satisfecerunt.

3. Rebus ita se habentibus, homines, ut hostem, quem vincere haud potuerant, saltem placarent, et per *emptionem* [52]) et per *insitionem* variolarum illius sese manibus ultro tradiderunt. Insitio multis retro seculis, populis Sinae [53]) et Indiae [54]) et jam dudum iis Geórgiae et Cereetiae [55]), nec non Graeciae [56]) nota, ac Byzantii versus finem seculi decimi septimi et initium octavi vulgatissima, opera matronae WORTHLY MONTAGUE [57]), proprios filios illi subjicientis, a. 1721 in Anglia innotuit ac praemissis nonnullis felicissimis periculis in hominibus criminum capitalium reis, primum pro sex orpha- Emptio et insitio variolarum.

 nis,

50) MEDICUS l. c. p. 825.

51) *Unterricht von der Einpfropfung der Pocken.*

52) A temporibus immemorabilibus varias apud gentes, adventante epidemia *benigna* variolarum, parentes infantes adhuc intactos, proposita mercede, contagio exponere solebant.

53) *Lettres édifiantes et curieuses.* T. 21. p. 5.

54) WOODWILLE *history of the inoculation of the small-pox.* Lond. 1795.

55) AUBRY DE LA MOTRAYE *Voyages en Europe, Asie et Afrique.* Vol. 2. p. 98. Haye 1727.

56) Teste CARBURI. Vid. DE LA CONDAMINE in *Mémoires de l'académie des sciences à Paris* 1758. p. 721.

57) *Lettres written during her travels in Europe, Asia and Africa.* Vol. 2. lettr. 31. London 1763.

nis, et dein pro Regia prole in usum deducta fuit [58]). Porro insitio in Galliam [59]), Germaniam [60]), Italiam [61]), Daniam et Sueciam [62]), Hispaniam [63]), Americam [64]) perducta est, quin tamen in Anglia ante a. 1746 et Episcopi ISAACI MADDOXI conamina [65]) floruerit. Hic enim sicuti in aliis regionibus nova methodus haud paucos obtrectatores [66]) variis argumentis eam vilipendentes in-

58) JURINE (*Philosophical Transact.* Vol. 32. p. 213.) MAITLAND *Account of inoculat. the small-pox vindicated.* Lond. 1722.

59) Opera DE LA COSTE, ASTRUC, DODART, CHIRAC. — Ab anno 1763 usque ad a. 1769 inoculatio jussu superioris regni curiae prohibita erat.

60) A. 1724. conaminibus MAITLANDI et ELLERI.

61) A. 1750, opera inprimis uxoris Marchionis BUSSALINI.

62) A. 1754. circiter. Vid. MURRAY historia insitionis variolarum in Suecia. Goett. 1767.

63) A. 1771. nisu GORMANI. Vid. WOODVILLE op. c. p. 295.

64) A. 1764. opera TENNENTI (WOODWILLE l. c. p. 279) et FRANKLINI (SPRENGEL *Versuch einer pragm. Geschichte der Heilkunde* 5. B. p. 561).

65) Nosocomium exclusive inoculationi variolarum et variolis dicatum (*The Middlessex-County-hospital for small-pox*) condidit.

66) Huc pertinent inprimis: MASSEY (*Sermon against inoculating the small-pox.* Lond. 1722) HOWGRAVE (*Reasons against the inoculation of the small-pox*, Lond. 1724),

invenit, inter quae argumenta illud solum, quod insitio periculum variolas suscipiendi perpetuo foveat [67]), magni ponderis erat. Reliquas enim objectiones plene diluerunt insitionis coryphaei DE LA CONDAMINE [68]), TISSOT [69]), GATTI [70]), SUTTON [71]), DIMSDALE [72]), TRALLES [73]), CAMPER [74]), HENS-

1724), HAEN (Quaestiones saepius motae super methodo inoculandi variolas. Vindob. 1757. — *Refutation de l'inoculation.* Vienne 1759).

67) Facile hinc explicatur RASTII assertio: inde ab a. 172·, ubi inoculatio Londini introducta est, plures quam antea ex variolis demortuos esse, (*Réflexions sur l'inoculation de la petite vérole.* Lyon 1763). Lege de hoc argumento et *Salzb. med. chirurg. Zeitung* 1793. p. 200.

68) *Lettres à* M. MATY *sur l'état présent de l'inoculation en France.* Paris 1764. — *Histoire de l'inoculation de la petite vérole.* Lyon 1772.

69) *Lettre à* M. DE HAEN *en réponse à ses questions* 1759.

70) *Lettre à* M. ROUX. Paris 1763. — *Réflexions sur les préjugés, qui s'opposent aux progrès et à la perfection de l'inoculation.* Bruxelles 1764. — *Nouvelles réflexions sur la pratique de l'inoculation.* Paris 1767.

71) *Le secret des* SUTTONS *dévoilé.* Haye 1774.

72) *Schriften über die Einpfropfung der Blattern.* Leipz. 1782.

73) L. c.

74) L. c.

Hensler [75]), Manetti [76]), Hufeland [77]) aliique, ac revera inoculationis ope morbus levior fiebat [78]) ac anni tempore et aetate variolis minus adversantibus, produci poterat ad libitum. Eligebantur nempe inprimis ver, atque vel primi quatuor vitae menses [79]), vel tempus, quo dentitionis opus absolutum est [80]), ac evitabantur periodi pubertatis, menstruationis, graviditatis et puerperii. Ipsa insitio, laesa epidermide brachii, aut lanceolae [81]), aut vesicatorii [82]) ope, ac introducto pure ex variola, si possibile benigna [83]), tempore, quo febris eruptiva adhuc aderat [84]), desumto, sine

75) *Briefe über das Blatterbelzen.* Altona 1765.

76) *Dell' inoculazione del vajuolo.* Firenze 1761.

77) *Ueber die wesentlichen Vorzüge der Inokulation.* Leipz. 1792.

78) Ex decem millibus septingentis ac viginti hominum inoculatorum, viginti quinque mortui sunt. (Hensler l. c. p. 174).

79) Hufeland l. c.

80) Fordyce. *Samml. auserles. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 11. B. S. 559.

81) Camper. Dimsdale.

82) Caldani — *Innesto felice del vajuolo* 1768. — Balz Diss. de praestantia methodi, variolas ope vesicatorii inserendi. Stuttg. 1792.

83) Quamvis enim et pus ex variola maligna depromptum posse optimam excitare variolam, constet, attamen et contrarii habentur exempla (Hufeland l. c. p. 73).

84) Camper l. c. p. 84.

sine praevia in sanis praeparatione, perficiebatur. Absoluto primi nychthemeri curriculo, locus insitionis microscopio examinatus, cutem aliquantulum rugosam et colore ex flavo bruneo notatam exhibebat. Sic et secundo tertioque die: quarto rubedo et pruritus circa locum affectum prodibant. Quinto vesicula (*variola mater*), saepe caterva vesicularum circumdata, in conspectum veniebat. Sexto sive septimo, interdum nono vel decimo die symptomata stadii invasionis praevio axillarum dolore ingruebant. Reliquum curriculum utplurimum, sicuti in variolis simplicibus, observabatur. Novum autem ac immortale inventum, methodum variolas inserendi nostris temporibus plane supervacaneam ac omnino rejiciendam reddidit. Loquimur de *Vaccina*.

Inventi ratio et historia.

4. A remotissimis usque temporibus conductores in comitatu *Gloucester* et in *Holsatia* [85]), inter vaccas morbum dari, anglice *cow-pox* (*variolae vaccarum*), *vaccinam* scilicet [86]), mammas horum animalium sub forma pustularum aggredientem, manus et brachia hominum ea mulgentium, si necdum variolas perpessi essent, invadentem, illisque immunitatem adversus hocce exanthema conciliantem, compertum habuerunt. Popu-

85) Tode *med. chirurg. Journal.* 5. B. 3s St. p. 1. 77.

86) Germ. *Die Kuhpocken.* Gall. *La vaccine.* Ital. *Il vaccinio.* Ross. Коровья оспа прадчохранитêльная оспа. Polon. *Krowia ospa.*

Popularis haec observatio a SUTTONIO et FAUSTERO confirmata ac societati medicae a. 1768 communicata fuit [87]. Nihilominus res isthaec, ac si ea vel probabilitatis nota destitueretur, usque ad an. 1795, quo ADAMS illius per transennam meminit [88], derelicta jacere videbatur, donec Vir summus ad reparandum genus humanum bellis exhaustum coelitus missus, EDUARDUS JENNER, facultatem vaccinae inhaerentem contra variolas praemuniendi, quam privatis tentaminibus ab a. 1776 institutis detexerat, ac a. 1788 peculiaris medicorum societatis examini submiserat [89], utpote extra omnem dubitationis aleam positam a. 1798 publici juris reddiderit [90]. JENNERI experimenta WOODVILLE die 21 Januarii 1799 in nosocomio Londinensi variolis dicato repetiit; verum, quoniam debitas neglexerat cautelas, factum est, ut variolarum contagium cum eo vaccinae connubium iniret, unde vaccina eruptione universali variola-

rum

87) SACCO *Trattato di vaccinazione.* Milano 1809.

88) *Observations on morbid poisons, phagedaena and cancer*. Lond. 1795.

89) JOSEPH FRANKS *Reise nach Paris, London.* 1. Th. S. 272.

90) *Inquiry into the causes and effects of the variolae vaccinae.* Lond. 1798. — *Further observations on the variolae vaccinae.* Lond. 1799. — *A continuation of facts and observations relative to the variolae vaccinae.* Lond. 1800.

rum stipata in conspectum venit [91]. Detecta erroris caussa, ac novis institutis periculis, WOODVILLE ad opinionem JENNERI accessit [92]. Idem GEORGIUS PEARSON fecerat, qui tandem, ob caussas alibi expositas [93], obtrectator immortalis vaccinae inventoris redditus est. Jam vero die 2. Junii 1802 Parlamentum JENNERO publice remunerationem decrevit, ac mense Januarii 1803 sub tutela magnae Britanniae Regis, institutum vaccinationis, JENNERI nomen ferens, super ipsa rudera alterius ejusdem naturae instituti, quod pridem memoratus PEARSON inscio JENNERO fundaverat, conditum est. Vaccinae negotium tandem magis magisque in Anglia promoverunt SIMMONS [94], FERMOR [95], LOY [96], AIKING [97], THORNTON

91) *Reports of a series of inoculations for the variolae vaccinae, or cow-pox, with remarks and observations on this desease, considered as a substitute for small-pox.* Lond. 1799.

92) *Observations on cow-pox.* Lond. 1800.

93) JOSEPH FRANKS *Reise* l. c.

94) *Reflexions on the propriety of performing the Cesarean operation, to which are added observations on cancer and experiments on the supposed origine of cow-pox.* Lond. 1798.

95) *Reflexions on the cow-pox.* Lond. 1801.

96) *Account of some experiments on the origine of cow-pox.* Witby 1801.

97) *A concise view of all the most important facts which have*

TON [98]), ADDINGTON [99]), RING [100]), LETTSOM [1]), FRAZER [2]), J. COOPER [3]) aliique multi. Verum nec adversarii, inter quos GOLDSON [4]), ROWLEY [5]), MOSELY [6]) et SQUIREL [7]) meminisse sufficiat, defuere. Eorum autem tentamina impedire haud poterant, quominus praevio severo et publice, jussu

have hitherto appeared concerning the cow-pox. 2 edit. Lond. 1801.

98) *Facts decisives in favour of the cow-pox.* London 1802.

99) *Practical observations on the inoculation of the cow-pox.* Birmingham 1802.

100) *Treatise on the cow-pox* etc. Lond. 1803. — *An answer to Dr.* GOLDSON, *proving that vaccination is a permanent security against the small-pox.* Lond. 1804. — *An answer to* MOSELY *containing a defence of vaccination.* Lond. 1805.

1) *Apology for differing in opinion from the authors of the monthly and critical reviews.* Lond. 1803.

2) *Observations on vaccine inoculation tending to confute the opinion of* ROWLEY. Lond. 1805.

3) *Vaccination vindicated.*

4) *Cases of small-pox subsequent to vaccination.* Portsea. 1804.

5) *Cow pox inoculation no security against small-pox infection.* Lond. 1805.

6) *Treatise on the Lues bovilla or cow-pox.* London 1805.

7) *Observations on the cow-pox, with cases, to prove that it is no security against the small-pox.* London 1805.

jussu supremo, instituto vaccinationis examine [8]), dilutis inde omnibus dubiis, novis inventor, ut luculentissimum gentis Anglicanae grati animi extaret testimonium, auctus fuerit remunerationibus, Vaccina citissime *Galliam* attigit, ubi sub patrocinio DE LA ROCHEFAUCAULT-LIANCOURT, adjuvantibus THOURET [9]), AUBERT [10]), COLON [11]), HUSSON [12]), HALLE' [13]), VALENTIN [14]), et inprimis ODIER [15]), irritis tentaminibus adversariorum

VAU-

8) *The evidence at large as laid befor the Comitee of the house of Commons, respecting Dr.* JENNERS *discovery of vaccine inoculation.* Lond. 1805. — *Report of the R. Jennerian Society, in Monthly Magazine* 1806. — *Report of R. College of physicians of London on vaccination.* 1807.

9) *Salzburger med. chirurg. Zeitung.* 4. B. S. 236.

10) *Rapport sur la vaccine* etc. à Paris 1800.

11) *Essay sur l'inoculation de la vaccine.* Paris 1800. — *Receuil d'observations et de faits relatifs à la vaccine.* Paris 1801.

12) *Récherches historiques et médicales sur la vaccine.* Paris 1801.

13) *Mémoire de l'Institut national de France* 1807. JUILL. Et: *Bericht des Nationalinstituts über die Kuhpocken, vom 17. August* 1812. in HUFELAND's *und* HIMLY's *Journal der prakt. Heilkunde.* 1813. *Januar.* p. 108.

14) *Résultats de l'inoculation de la vaccine dans les départements de la Meurthe.* Paris 1802.

15) *Rapport sur la vaccine. Genève. a.* 8.

VAUME [16]), scilicet VERDIER [17]), CHAPPON [18]), MOULET [19]), tum Regiminis, tum Nationis suffragia obtinuit. — In *Germania* vaccina primum Vindobonam et Hannoveram mense maii 1799 pervenit, ac opera DE CARRO [20]), FERRO [21]), CARENO [22]), BREMSER [23]), PORTENSCHLAG [24]), BALLHORN et STROMEYER [25]) inclaruit. Brevi post in reliqua Germania innotuit per WIDEMANN, [illegible] HIMLY

16) *Réflexions sur la nouvelle méthode d'inoculer la petite vérole avec le virus des vaches.* Paris 1799. — *Les dangers de la vaccine démontrés par des faits authentiques.* Paris 1800.

17) *Tableaux analytiques et critiques de la vaccine.* Paris l' A. 9.

18) *Traité historique des dangers de la vaccine.* Paris 1803.

19) *Récherches sur les préjugés et les systèmes en médecine et doutes sur la vaccine.* Paris l' A. 9.

20) *Observations et expériences sur la vaccine.* 2 edit. Vienne 1802.

21) *Ueber den Nutzen der Kuhpocken-Einimpfung.* Wien 1802.

22) *Ueber die Kuhpocken.* Wien 1801.

23) *Die Kuhpoken als Staatsangelegenheit betrachtet.* Wien 1806.

24) *Beytrag zur Geschichte der Kuhpoken in Oesterreich.* Wien 1801.

25) *Traité de l'inoculation vaccine.* Leipz. 1801.

HIMLY et ROOSE [26]), SOEMMERRING et LEHR [27]), HESSERT et PILGER [28]), HEIM [29]), HUFELAND [30]), JOERDENS [31]), STRUVE [32]), OSIANDER [33]), FRIESE [34]), DOMEIER [35]), FAUST [36]), ECKER [37]), SCHAEFFER [38]), SACHSE [39]), SCHÜTZ [40]) aliosque quo-

26) *Ueber das Impfen der Kuhpoken.* Bremen 1801.

27) *Prufung der Schutzblattern durch Einimpfung mit Kinderblattern.* Frankf. 1801.

28) *Einige Worte über die Kuhpoken und deren Impfung.* Giesen 1800.

29) HUFELAND's *Journal der prakt. Heilkunde.* 19. B. 1s St. S. 55.

30) Ibid. 10. B. 2s St. S. 163.

31) *Apologie der Schutzblattern.* Altenburg 1801.

32) *Anleitung zur Kenntniss und Impfung der Kuhpoken.* Breslau 1802.

33) *Abhandl. uber die Kuhpoken.* Gött. 1801.

34) *Schlesisch - Sudpreussisches Archiv der die Ausrottungspoken betreffenden Erfahrungen und Verhandlungen.* Breslau 1802.

35) *Hebung einiger Besorgnisse, welche die Impfung der Kuhpoken etwa verursachen mögen.* Berlin. 1802.

36) *Ueber die Kuhpoken und deren Einimpfung.* Bückeburg 1801.

37) *Ueber die Kuhpocken und deren Einimpfung.* Freiburg 1801.

38) *Beytrag zur Theorie der englisehen Pokenimpfung.* Regensb. 1802.

39) *Beobachtungen und Bemerkungen über die Kuhpoken.* Berlin 1802.

40) *Unterricht für das Publikum über das neulichst ent-*

quorum elenchus apud HUNOLDUM [41]), HECKERUM [42]) et KÜHN [43]) invenitur. Inter adversarios solummodo HERZ [44]), MATTUSCHKA [45]) et quodammodo GOELIS [46]) numerantur. Etiam ad *Italiam* vaccinae notitia mox perlata est, testantibus BATT [47]), BRERA [48]), PALLONI [49]), FANZAGO [50]) Mo-

deckte sichere Mittel die Blattern zu verhüten. Bruchsal 1802.

41) *Annalen der Kuhpoken Impfung.* Furth 1801.

42) KOPPE *Jahrbücher* 1. 2. B. — *Kritische Jahrbücher der Staatsarzneyk.* Berlin 1806.

43) Collectaneorum de morbo vaccino-varioloso. Continuat. I. Lips. 1810.

44) *Ueber die Brutalimpfung und deren Vergleichung mit der humanen.* Berlin 1801.

45) *Ueber Blatterausrottung, Blattern- und Kuhpoken-Einimpfung.* Prag 1803.

46) *Gutachten der medicinischen Fakultät in Wien über die von Dr.* GÖLIS *gegen die Vaccine gemachte Einwürfe.* (*Medicinische Jahrbücher des k. k. Oesterreich. Staates.* 1. B, 3s St. S. 110).

47) *Giustificazione dell' inesto della vaccina.* Genova.

48) *Avviso al popolo sulla necessità di adottare la vaccina.* Crema 1801.

49) *Memoria sopra l' inoculazione della vaccina in Toscana.* Firenze 1801.

50) *Memoria storica e ragionata sopra l'inesto del vajuolo vaccino.* Padova 1801.

MORESCHI [51]), PAGANI [52]), MARSHALL [53]), TANTINI [54]) et inprimis SACCO [55]). Praecipuus hic adversarius PENADA [56]) erat. Ad scriptores de vaccina porro pertinent: inter *Hispanos* — DIEGO DE BANCES [57]), PEDRO HERNANDEZ [58]); inter *Batavos* — DAVIDS [59]), VAN DEN BOSCH [60]), THOMASSEN A THUESSINK [61]), aliique, quorum ratio apud DÖRING invenitur [62]); inter *Polonos* — DE LA FONTAINE [63]), BECU [64]); inter *Danos* et *Sue-*

cos

51) *Avviso al publico sul preservativo al vajuola.* Venezia 1801. — *Conferma della mirabile facoltà della vaccina.*

52) *Raguaglio della vaccina in Friule* 1801.

53) *Osservazioni sopra il vajuolo vaccino.* Palermo 1801.

54) *Replica al ragionamento del. Sign. Dre. Car.* PUCCIARDI. Pisa 1812.

55) Op. c.

56) *Riflessi sul inesto della vaccina.* Padova 1801.

57) *Tratado de la vaccina.* Madrit 1802.

58) *Origen, destabrimento y progressos de la inoculation de la vaccina.* Madrit 1802.

59) *Staat der vaccine in ons Land.* Harlem 1801.

60) *Programma van het Harlemsch Institut van der vaccinatie.* Harlem 1801.

61) *Geneeskundige Magazin.*

62) *Journal für die neueste Holländische medicinisch- und naturhistorische Litteratur.* Herborn *und* Hadamar 1802.

63) *Dziennik zdrowia dla wszystkich stanow.* Warzaw. 1801.

64) *O wakcynie.* Wilnie 1803.

cos — VIBORG [65]), SCHEEL [66]). Ad *Rossiam* vaccina illico ex Anglia allata fuit et a diva *Imperatrice* MARIA FEODOROWNA, non solum jussu, sed opera etiam, in omnibus vastissimis imperii partibus divulgata. Inter medicos hic excelluere: BUTTAZ [67]), HUHN [68]), REHMANN [69]). — Ad *Persiam* et *Indias* vaccina per D. DE CARRO conamina sibi viam stravit. In *America* eam praecipue WATERHAUS divulgavit [70]).

Argumenta pro.

5. Omnes, qui de vaccina scripserunt, in hisce conveniunt: vaccinam nullam functionem laedere, — nil doloris excitare, — neque morbi nomen mereri, — omni igitur periculo orbari, — nulla eruptione universali stipari, — non aliter nisi per insitionem contagiosam esse, — quacunque aetate, quocunque anni tempore tuto inseri posse, — nullum peculiare regimen exposcere et certissime variolas antevertere.

6. Ob-

65) *Beweis, dass die Blattern eine den Menschen und Thieren gemeine Krankheit sind.* (*Nord. Archiv von* PFAFF, SCHEEL *und* RUDOLPHI. Kopenhagen 1801. 2. B. 2s St.)

66) *Geschichte der Vaccination in Dänemark.* (Ibid. 3. B. 2s St.) *Geschichte der Kuhpoken in Schweden* (ibid.).

67) Увѣдомненїе о предохранительной Оспѣ.

68) *Allg. Zeitung* 1810. No. 175.

69) *Salzb. med. chirurg. Zeitung.* 1807.

70) *Prospect of exterminating the small-pox.* Boston 1800.

6. Objiciunt adversarii: vaccinam hinc inde convulsiones et morbum letalem excitare, — haud raro eruptione universali stipari, — gravissimis ansam porrigere reliquiis, — morbos olim raros communes reddere, — incrementum corporis impedire, — vaccis sanis periculum morbi offerre, — variolas non semper, aut saltem pro tempore tantum, praepedire. Argumenta contra.

7. Argumentis pro et contra ad trutinam vocatis et cum nostra haud parva hac in re experientia comparatis, colligitur: convulsiones infantibus in genere familiares posse et sub vaccinae curriculo comparere, at non aliter a vaccina ipsa produci, quam a quocunque stimulo insonte, cutim in praedispositis ad mala nervosa nimis sensilem irritante, — nullum dari indubitatum hominis ex vaccina demortui exemplum, — vaccinam, nisi fortuito variolis junctam, nulla stipari *universali* eruptione, quamvis interdum accidat, praeter pustulam in loco insertionis ortam, aliàs nonnullas pustulas ad partes jam prius morbo quodam, e. c. crusta lactea, intertrigine, detentas, oriri, aut elapsa tertia circiter a vaccinatione hebdomade peculiare exanthema, alibi describendum [71]), in conspectum venire, — vaccinam haud raro infantes valetudinarios perfectae sanitati restituere [72] Opinio nostra.

ac

71) Cap. XXXI. §. CXX. No. 17.

72) *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 23. B. p. 674. — Steveson in Duncans *Annal. of med. Lust.* 2. Vol. I.

ac morbos prius raros e. c. cynanchem trachealem, hydrocephalum acutum, non aliter frequentiores reddere, quam tot infantes ad aegritudines varias praedispositos inter vivos servando, quot variolae alias interfecissent, — vaccinam non solum incremento corporis non obstare, sed illius evolutionem promovere [73]), eamque, si impediatur hominum vaccinam habentium sive tractantium cum stabulis commercium, nequaquam vaccis periculum infectionis porrigere, — ac postremo tam secure variolas praepedire, quam ipsae variolae secundam praepediunt infectionem. Concessa etenim (quod ob facilem variolarum cum varicella confusionem nimis fidenter non assereremus) possibilitate infectionis variolosae post vaccinam [74]), hoc tamen non alia proportione contingere posse, quam ipse variolarum pro secunda vice reditus, persuasum habemus. Vaccinam nequaquam pro tempore sed pro toto vitae curriculo contra variolas

Vol. I. — *Salzburg. medic. chirurg. Zeitung.* 1813. No. 20. p. 351.

73) Inter 300 infantes, 136, qui vaccinam experti sunt, adspectum magis floridum ac rarius scrophulosum, quam reliqui exhibuerunt (*Gutachten d. medic. Fakultät in Wien* l. c.).

74) Willan *Treatise on vaccine inoculation.* Lond. 1806. — Murhy in Hufeland's *Journal d. prakt. Heilkunde* 1810. *Febr.* — Wendelstadt *Sammlung medic. u. chirurg. Aufsätze.* Hadamar 1807. p. 205. — *The London medical, surgical* etc. *Repository* 1814.

las munire, experimenta JENNERI, hominibus, qui vaccinam per vaccarum commercium jam ante quinquaginta tres annos perpessi erant, variolas sine effectu inserentis, demonstrant [75].

8. Utrum vaccina, spontaneum vaccarum certe non unius regionis [76]) morbum sistat, — utrum pro degenerata variola humana [77]) haberi,— aut opinantibus JENNER et LOY a morbo calcanei equorum [78]) derivari debeat; arduum est determinare. Hoc tantum constat, morbum equorum, de quo agitur, directe hominibus insertum, genui- Origo vaccinae.

U 2 nam

75) Accuratissime haec singula exposita sunt in ratione, quam de vaccinae negotio coram instituto nationali Gallicano reddiderunt BERTHOLLET, POREY, et HALLE, die 17. Aug. 1812.

76) Vaccinam inter vaccas detexerunt in Lombardia SACCO; in aliis Italiae regionibus MORESCHI, DE' MARCHI, PICCINELLI; in Germania septentrionali BALLHORN et STROMEYER; in Helvetia NEFF (*Abhandl. d. physik. Gesellsch. in Erlangen.* 1. B. 1810); in America BALNIS, BUET. Vaccina autem ab alio vaccarum morbo, neque contagioso, neque epidemico, cui actio caloris super mammas lacte turgidas ansam porrigit, distinguenda est. (KNÜTTLINGER in versione Germ. Op. Pearson).

77) MAUNOIR in *Bibliotheque Britannique, Sciences et arts.* Vol. 18. p. 102.

78) ANGLICE. *Grease.* GERM. *Mauke.* GALL. *Javart.*

nam excitare vaccinam [79]), quod et de cutanea pecorum affectione [80]) contenditur [81]).

Curriculum. 9. Curriculum vaccinae sequens in homine animadvertitur. Peracta cum successu insertione, plerumque *tertio* versus finem vergente *die*, vel *quarto* incipiente, *tuberculum* minimi capitis acus magnitudine, rubrum, rotundum, regulare, marginibus elevatis, centro depresso, tum visui, tum tactui sese offert. Apex hujus tuberculi circa *sextum diem* in *vesiculam* commutatur, ab initio pallide rubram, aliquando subcoeruleam, dein colorem margaritae gradatim assumentem. Vesicula haec, pro varia inserendi ratione, variam figuram exhibens, est renitens, compacta, exacte circumscripta, marginibus elevatis, utplurimum rubris, centroque depresso, in quo punctum obscurius, quasi eschara, animadvertitur. Ex cellulis plurimis, nullum inter se commercium alentibus, ea componitur. Liquidum cellulis inclusum serum refert, ab initio viscosum, dein aquosum, constanter diaphanum. Ad *decimum* usque *diem* vesicula crescere solet, verum jam versus *octavum* sive *nonum diem*, rubor coccineus circum comparet, qui *decimo die areum* duorum circiter pollicum, tumore et duritie quadam insignitam, omnino doloris expertem, constituit. Hac areâ omni-

79) *Salzb. medic. chirurg. Zeitung.* 1812. No. 46.

80) La Clavele'e.

81) Odier l. c.

omnibus numeris absolutâ, liquidum, in vesica contentum, colorem bruneum ac majorem densitatem induere incipit, donec tota vesicula in *crustam* ex rubro fuscam, sese a centro ad peripheriam extendentem, cutique tenaciter adhaerentem, desinat. Remota circa *vigesimum octavum diem* hac crusta, *cicatrix* relinquitur, quae microscopio subjecta, plurima foraminula, a radicibus crustae relicta, exhibet.

10. Accidit interdum vaccinam effectus suos jam *secundo*, aut quod saepius contingit, solum *decimo* vel *undecimo* ab insitione *die* exerere: imo, fatente Sacco, vaccinae eruptio aliquando post mensem et annum etiam ab inoculationis epocha observata est. Vaccinam quarto die eruptam, septimo fugatam et decimo tertio reversam unus ex commilitonibus nostris [82]) conspexit. Si prima insitio haud succedat ac ideo serius alio in loco instituatur et cum successu, vaccina ambobus comparet locis. Sic, si experimenti gratia, peracta una insitione, altera post biduum instituatur, vaccina nihilominus in utrisque inoculationis locis simul erumpit. Homines, qui variolas aut vaccinam jam perpessi sunt, ab eadem vel plane non afficiuntur, vel eam irregulariter experiuntur. Observationes.

11. Quoties ortus, incrementum, acme et terminus vaccinae a curriculo descripto aberrant, toties de successu insitionis dubitandum est. De *spuria* enim *vaccina* testantur: praematura ad locum Vaccina spuria.

82) Petrus Soltkiewicz.

cum insitionis, vel circum, inflammatio, irritatio, inprimis accidentibus pustulis, — progressus vesiculae nimis rapidi, — color liquidi contenti sive flavus, sive opacus, — textura vesiculae haud firma ac ipsa vesicula non rite circumscripta, ac centro elevato marginibusque depressis instructa, — facilis secessus et ruptura crustae, subsequente exulceratione, novaque crusta serpente, coloris subbrunei, fere ambrae simili. Generatur autem vaccina spuria: ab insitione ope materiei a spuria aut antiqua vaccina sub eschara desumtae, — a materia, tempore, calore aliisque e caussis corrupta, — ab insitione ope lanceolae rubiginosae, vel rudi nimis manu operata, — a laceratione vel et simplici compressione vesiculae necdum absolutae ac normalem amittentis formam.

Observationes. 12. Character gentilitius vaccinae solummodo in tuberculo et vesicula jacet, — area ad constituendam vaccinam genuinam haud absolute requiritur, — nec febricula, quae aliquando inter septimum et undecimum diem per nonnullarum horarum spatio in conspectum venit, essentialis est. Vaccina tunc solum securitatem adversus variolas impertit, dum jam exsiccari incipit.

Insitionis opus. 13. Nil interest, quo anni tempore insitio vaccinae suscipiatur. Ad vitae periodum quod attinet, finem secundi aut initium tertii mensis eligimus, sic enim recens nato tempus, ut impressionibus externis assuescat, concedimus et epocham den-

dentitionis evitamus. Nisi coacti, infantes morbo aliquo detentos non inoculamus. Quotiescunque autem variolarum suscipiendarum periculum praesto est, insitionem ne per horae quidem momentulum procrastinamus et sub quavis deterrima licet rerum positione suscipimus. Si fieri potest, infans vaccina instructus et optima sanitate gaudens et inprimis neque psora, neque syphilide, neque crusta lactea, neque plica laborans, ad vaccinandos adducitur, ut vaccina ex illo desumta his illico inseri possit. Una tantum pustula pro centum insitionibus et ultra materiam largitur. Optimum tempus vaccinae virus desumendi, *septimus* sive *octavus* ab insitione *dies* est, quamvis materies et paullo tardius, *nunquam vero facta jam area*, depromi liceat. Desumitur ipsa apice lanceolae vel acus sulcatae unice vaccinationis scopo dicatis, quo scilicet superficies vesiculae vaccinae nonnullis in locis perforatur. Perforata vesicula, tempus, quo materies exire possit, conceditur, ad quod opus promovendum, vesiculam superficie plana instrumenti vaccinatorii comprimere licet. Suscepta materies sub epidermidem personae inoculandae, inflicto levi nec cruento vulnusculo ac compressa parumper super apicem instrumenti cute, introducitur. Nunquam autem materies sub eschara latens desumi debet. Plerumque brachium, quo loco musculus deltoides inseritur, eligi solet, quem vero locum in puellis, ob foedam

vac-

vaccinae cicatricem reprobamus et insitionem vel altius, vel ad internam crurum superficiem instituimus. Utplurimum haec ipsa securitatis caussa ad duo loca simul suscipitur, ad ambo scilicet brachia sive crura. Morem duas puncturas in uno eodemque latere instituendi ob id, quod areae facile confluant ac interdum erysipelati ansam porrigant, reprobamus. Vulnusculum ab insitione relictum nec emplastris, nec fasciis cooperiendum est; caveri enim solum debet, ne obortum tuberculum sive facta vesicula scalpendo aut laceretur aut alio pacto male tractetur. Si materies recens pro insitione de brachio ad brachium desideraretur, tunc antiqua debito modo collecta ac servata in usum ducitur. Optima vaccinae colligendae et servandae methodus ea est, duas sumere lamellas vitreas magnitudine pollicis quadrati, crassitiei trium vel quatuor linearum atque superficiei unius guttas nonnullas vaccinae imponere, aliamque lamellam illico apprime superimponere ac utrasque frustulo vesicae involvere et filo adstringere. Potest materies et cochleari parvo committi, manubrium illius medio epistomii firmari, atque ope hujus cylindrum vitreum longitudine nonnullorum pollicum, diametri circiter pollicis unius, claudi, ac externam epistomii superficiem cera obduci. Cera signatoria ob calorem, sine quo adhiberi nequit, evitanda est. Priusquam materies exsiccata in usum ducatur, aquae tepidae gutta, sive halitu humectari

debet.

debet. Sunt qui pulverem crustarum vaccinae pro insitione idoneum censeant [83]. Quacunque autem ratione vaccina inseratur, nulla ea indiget corporis praeparatione nulloque sive peculiari regimine sive medicamento. Sufficiat hinc talem praescribere vitae rationem, ne ob extraneas caussas secunda laedatur valetudo, ac observationes circa curriculum vaccinae sedulo tabulis committere. Si pustula temere tractata in exulcerationem desineret aut erysipelas brachii superaccederet, fomentum frigidum ex aqua et acetate plumbi adhibendum foret. Desideriis parentum satisfacturi, nec non ut eruptiones cutis secundariae impediantur, infantibus absoluto vaccinae curriculo, lene praescribere solemus *purgans* [84]. Quo pacto vaccinae beneficium propagandum sit, ut variolae tandem extirpentur, id ad *politiae medicae* pertinet forum. Collectio legum huc spectantium habetur apud Kopp [85]. Donec usque vero leges hujusmodi generaliter recipiantur, infelix variolas curandi occasio saepius adhuc obveniet.

83) Koppe Op. c. *Jahrgang* S. 275. — Clesius *über die Vortheile der Schutzpocken, wenn man dieselbe im Schorfe einimpft*. Hadamar 1812.

84) Ex *calomel*, *rheo* sive *jalappa*.

85) Op. c. 1. *Jahrgang* S. 326. — 2. *Jahrg*. S. 356. — 3. *Jahrg*. S. 273. — 4. *Jahrg*. S. 242.

§. LXX.

§. LXX.

C u r a.

Regulae generales.

1. In omni variola puritati aëris et aegroti maxime studeri debet. Praeterea diu noctuque curandum est, ne aeger, inprimis sub stadio suppurationis, pustulas scalpendo laceret atque ita cicatricibus nunquam delendis ansam porrigat. Ad hunc scopum consequendum manus invicem leniter ligari, aut saltem linteis circumdari solent. Tempore aestivo muscae ab aegrorum lecto linteo subtili, quod vulgo *gaze* vocatur, avertuntur. Maxime porro refert, feminis potissimum animum addere ac venustatis conservationem promittere.

C. v. simplicium.

2. *Variolae simplices* quidem secundum regulas generales curantur, at magis quam in aliis exanthematibus, praesertim sub invasionis stadio, aura frigidiuscula, inter 12 et 14 gradum thermometri R. admittenda. Donec igitur variolae prorumpant, aegrotus a lecto diu arcendus est, ludisque aetati propriis, libero sub coelo, si anni tempus faveat, aliàs in amplo sanoque cubili, recreandus. Quo vero tempore variolae efflorescunt, rite monente Hufelandio [86]), methodo refrigeratoriae, evolutioni variolarum apud debiliores obstanti, limites ponendae sunt, unde aeger vespertino inprimis tempore lectulo maturius committendus,

86) L. c. S. 67. 68.

dus, nec tamen stragulis obruendus est. Absoluto suppurationis stadio, inprimis si plures variolae cutim defoedaverint, lene exhibetur purgans, quod vel peracta exsiccatione a nonnullis repetitur.

3. Si vis morbi aegrotum, *variolis inflammatoriis* detentum, extra lectum versari non concedat, tunc idem erecto corpore, capite nudato, minimeque tegumentis obruto, sedeat. *Venae sectio* testantibus FREIND 87), ELLER 88), TRALLES 89), CULLEN 90), J. P. FRANK 91), FERRO 92) et nostra experientia potissime indicatur: si fuerint pulsus pleni, celeres, ac duri, respiratio cita, laboriosa, facies rubra ac valde tumescens, oculi turgescentes, rubicundi, calor ardens, aut viscera inflammata. Tantum hic abest, ut eruptionis opus a venae sectione impediatur, quod nullum istâ tutius ad evolvendas variolas ac ad moderandum pustularum numerum habeatur remedium. Infantibus, loco venae sectionis, *hirudines* in viciniis, organorum praecipue affectorum ponuntur. Ubi erumpentes circa quartum diem variolae caput affi-

C. v. inflammatoriarum.

87) Hist. med.

88) L. c. p. 141.

89) *Das Aderlassen, als ein oftmal unentbehrliches Mittel zu einer Blatterkur.* Breslau 1736.

90) L. c. p. 618.

91) L. c. p. 197.

92) Ephemer. med. p. 210.

afficiebant, praesentibus simul calore magno, anxietate ac subsultibus tendinum, cum summo levamine scapulas *scarificari* jussit BAGLIVIUS 93). Nec stadium suppurationis, ubi inquietudo et febris magna adsint, ac suffocatio timeatur, sanguinis missionem excludit 94). *Lenia purgantia* sub ipso invasionis stadio commendata, inprimis incipiente in facie exsiccatione suppressaque salivatione, subsedente simul sub augmento febris faciei manuumque tumore, conducunt. Magni vero momenti observatio FR. HOFFMANNI 95) est, *nitratem potassae* variolarum stadio suppurationis haud quadrare, ac diuresin cum detrimento movere. *Opii* in variolis inflammatoriis usus multis controversiis locum dedit, ex quibus duce propria experientia colligimus: hoc remedium neque in mitiori morbo 96), neque ab initio morbi 97) adhiberi posse; inprimis autem indicari a summo dolore ex cute admodum sensili, undique pustulis obsita, ac tensa, — ab irritatione totius systematis nervosi cum summa inquietudine, — a diarrhoea evidenter vires exhauriente et a pulsu magis magisque concidente. Dosis, aetati, constitutioni

93) Prax. med. p. 61.

94) SYDENHAM de febre putrida variolis confluentibus superveniente.

95) Opusc. med. pract.

96) SWIETEN l. c. p. 110.

97) STÖRK an. med. T. II. p. 158.

ni aegri accommodata, optime cum *ipecacuanha* ad vesperas porrigitur. Si febris et sudores inde augeantur, aut salivatio et alvus cohibeantur, mox *clysteribus* et *sero lactis* cum pulpa *amlycae indicae* occurrendum est. Quid *mercurius* hic valeat, nunquam experti sumus. Devicto plane impetu inflammatorio *vesicatoria* ab HUXHAM [98]), MACBRIDE [99]), POTT [100]), CULLEN [1]), PERCIVAL [2]) aliisque, inprimis si faciei tumor et ptyalismus evanescant, quin manus et pedes intumescere incipiant, commendantur; at raro cutim jam nimis ulcusculis obsessam novis irritamentis excruciare licet.

4. Curam *variolarum gastricarum* secundum praecepta generalia absolventes, CULLENIO, vomitorium indiscriminatim suadenti [3]) non adstipulamur, ac potius consilia QUARINII [4]) et SELLII [5]) monentium, absentibus certis indiciis saburrarum emeticum non convenire, licet nausea et C.v.gastricarum.

98) *Philosoph. Transact.* No. 390.

99) L. c. p. 369.

100) *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 2. B. 2s St. S. 119.

1) L. c. §. 626.

2) *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 3. B. 2s St. S. 119. 143.

3) L. c. §. 619.

4) L. c. p. 120.

5) L. c. p. 105.

et vomitus aegrotum vexent, sequenda esse censemus. Verminosa complicatio, *anthelminthica* [6]) absolute requirit, inter quae absente diarrhoea, praeter *calomel*, *tartritidem stibii* et *potassae*, experientia freti, locamus.

C. v. typhodum. 5. *Variolae* jam sub stadio invasionis *typhodes*, teporem lecti, *infusum croci sativi* [7]), vinum calidum, atque sub fortiori extremitatum frigore, tum frictiones tum fomentationes sive siccas aromaticas, sive cum vino calido exposcunt. Cunctante eruptione variolarum post quartum diem, *balneo tepido* locus est [8]). Quodsi variolae vix prodeant, colorem lividum, cinereum assumant et vix in pustulam assurgant, ad *camphoram* per os, per anum, ac extus [9]) adhibendam, consilio L. C. HOFFMANN [10]), FERRO [11]) et HUFELAND [12]) confugiendum est. Sub tremoribus cum pulsu

6) HUFELAND *Neueste Annalen der franz. Heilkunde.* 3. B. S. 139. — SCHLEGEL in HUFELAND's *Journal der prakt. Heilk.* 9. B. 1s St. S. 96.

7) SWIETEN op. c. Vol. V. p. 70. — HUXHAM l. c. T. II. p. 133. — AEPLI *von den bösartigen Fiebern.*

8) DE MEZA l. c. p. 74.

9) Solvitur uncia semis camphorae in duobus vitellis ovorum, vel in mucilagine gummi arabici, atque hac solutione imbuitur pannus, quo corpus aegri involvi debet.

10) *Vermischte Schriften.* 1. Th. No. 4.

11) L. c. S. 213.

12) L. c. p. 111.

pulsu exili sed duro, inaequali *moschus* indicatur. Sub stadio suppurationis *cortex cinchonae officinalis* sub forma tum *decocti saturati*, tum *extracti* [13]), suffragia SYDENHAMI [14]), HUXHAMI [15]), HILLARY [16]), WINTRINGHAM [17]), RAHNII [18]), WALLII [19]) jure collegit. Quae ad stadium exsiccationis perducuntur variolae malignae, hae febris typhodis jam deposuerunt indolem.

6. *Convulsiones*, in variolis simplicibus et inflammatoriis, exposito aegrotulo aurae frigidae, — in typhodibus, exhibito, consilio HUFELANDI [20]) et WENDTII [21]), *oxydo zinci* [22]), vel *opio*, vel *succinate* C Symptomatum.

13) Pro adulto: R. Extracto corticis peruviani drachmas duas. Aquae florum sambuci uncias decem. Syrupi Croci unciam unam. M.

14) Op. c. p. 167. 359.

15) L. c. T. II. p. 59.

16) L. c. c. 9.

17) *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 8. B. 1s St. S. 366.

18) L. c. p. 376.

19) *Philosoph. Transact.* Vol. 44. p. 583.

20) L. c. S. 122.

21) PLINTA Diss. histor. epidem. variol. Erlangae a. 1790. Jun. 1792. Erlangae.

22) FLORES ZINCI pro puero unius triumque annorum — ad grana duo — a tertio aetatis anno usque ad decimum — ad grana quatuor — secunda quaque hora exhibentur.

nate ammoniae empyreumatico [23]) debellantur. — Deleteriam *diarrhoeam lac vaccinum* [24]), *vesicatorium* regioni hepatis impositum [25]) ac *opium*, vel ad sedandum *vomitum* usurpatum [26]), compescunt. — *Haemorrhagiae* nisi effraenae, in variolis simplicibus et inflammatoriis haud cohibendae sunt; econtra in typhodibus tum auxilia topica alibi tradenda, tum interna e. c. *aqua lauri cinamomi*, *tinctura acidi sulphurici aromatica*, *sulphas aluminis et potassae* [27]), non neglecta *cinchona*, sine mora praescribi debent. — Ad impediendam *palpebrarum concretionem* lotio quotidiana oculorum ope lintei, aqua tepida et lacte madidi [28]), fomenta mollissima palpebrarum, ac injectio aquae tepidae inter palpebrarum commissu-

23) Pro infante quatuor annorum. R. Aquae florum sambuci uncias tres. Spiritus cornu cervi succinati scrupulum semis. Syrupi croci unciam unam. M.

24) Lassone l. c. p. 84. 96. Lac cum *infuso petroselini* miscetur.

25) Triller *Comment. de pleuritide.* §. 5.

26) Drummond apud Duncan (med. comment. Dec. 2. Vol. 4. p. 47) et Hennig de tempestivo opii usu in variolis curandis. Lips. 1791.

27) Mead Op. de variolis p. 37. — Wall l. c. p. 683. R. Infusi rosarum rubrarum libram unam. Aluminis scrupulos duos. Syrupi Alkermes unciam unam. M.

28) Rosenstein l. c.

missuras siphone tenuissimo peracta [29]), fotus ex lacte et pauxillo mucilaginis seminum cydoniorum [30]), aliaque [31]) commendata fuere; verum rite monentibus LUDWIG [32]) et NICOLAI [33]) optime res naturae committitur. Urgente ex suppressa salivatione, vel ex muco spisso fauces opplente, *suffocationis periculo*, sub morbo inflammatorio, *venae sectio* et *hirudines* circa collum, aliàs *vesicatorium* sub mento [34]), *injectiones ex infuso salviae sive sambuci cum melle* [35]), *vomitorium* [36]), parvae *antimonialium* doses [37]) et situs aegri pro effluxu salivae idoneus, juvant. Maligna *faucium ulcera*, *acido muriatico* et *melle* curantur. Ad variolas a facie avertendas multa plus minusve inania auxilia proposita fuere, *emplastrum* scilicet tum *Vigonis* [38]), tum *mercuriale* [39]) ad faciem ob-

tegen-

29) SWIETEN l. c.

30) STÖRK l. c. p. 160.

31) BEER *kurze Anweisung der zweckmässigen Behandlung der Augen während der Blatter-Krankheit.* Wien 1800.

32) L. c.

33) *Pathologie.* 2. B. S. 299.

34) CULLEN l. c. §. 626. — PERCIVAL l. c. p. 119.

35) TISSOT *Avis au peuple* §. 214.

36) ACKENSIDE *Abhandlung. d. Lond. Aerzte.* 1. B. S. 80.

37) QUARIN l. c. p. 125.

38) ZIMMERMANN *von der Erfahrung.* 2. Th. p. 44.

39) ROSENSTEIN l. c. p. 45.

tegendam, unctio abdominis cum *balsamo embryonis* 40), punctura pedum acu 41), lotio frigida faciei et *pediluvia* 42), — *vesicatorium* 43), sive radix *allii* 44) ad pedum plantas etc. — Dum variolae praeter modum turgent, ut resorptio puris et erosio cutis praepediantur, eae tuto et sine periculo majorum cicatricum, ut nonnulli crediderunt 45), ope lanceolae, ad apicem aperiri queunt, cui methodo inprimis SWIETEN 46), TISSOT 47), ROSENSTEIN 48), STOLL 49), J. P. FRANK 50) jure favent. *Crustarum* rebellium secessus per *fomenta emollientia* 51) et *balnea tepida* optime promovetur. *Exulcerationes cutis* vix unguentis 52), sed

40) Praelectiones in dispensatorium Brandenburg. p. 53.

41) SCHULZER l. c.

42) HUXHAM. MACBRIDE.

43) CLOSSIUS l. c.

44) SYDENHAM in epistola ad GUGLIELMUM CELE p. 459.

45) MEZA l. c. p. 75. — LUDWIG l. c.

46) L. c.

47) L. c. §. 216.

48) L. c. p. 157.

49) L. c. p. 233.

50) L. c. p. 203.

51) STÖRK l. c. p. 189. — QUARIN l. c. p. 127. — RAHN l. c. p. 379. — ROSENSTEIN l. c. p. 155.

52) BATTIE commendavit: R. Olei amygdalarum uncias duas. Spermatis ceti drachmas tres. Olei destillati Rhodii guttas quatuor. M.

sed natura, illinito hinc inde lactis cremore [53]) sanantur.

7. In *convalescentia* variolarum non solum transpirationi sed et urinae excretioni, uti in scarlatina, studendum est. Subintrante hoc tempore febre inflammatoria, regimen antiphlogisticum et si opus fuerit, ipsa venae sectio [54]) indicantur. Catharticorum usum quidem hic Brocklesby vituperat [55]), at cum Swietenio [56]) fatemur, horum remediorum ope hebetudines cortici rebelles auferri. Solum purgatis primis viis huic remedio, nec non *decocto glandium quercus roboris tostarum*, aliisque tonicis cum diaeta lactea, locus est. Nisui ad *metastases* decoctum *radicis smilacis sarsaparillae, ligni quajaci officinalis, balnea tepida, ulcera artificialia* opponuntur. *Morbi ex variolis* orti, de quibus pulchre Baldinger [57]), Büchner [58]), Ludwig [59]) et Nicolai [60]) scripserunt, secundum variam eorum se- C. convalescentiae et reliquiarum.

X 2 dem

53) Vogel l. c.

54) Haen rat. med. T. 3. cap. 2. §. XI. N. 5. p. 87.

55) L. c. p. 241.

56) L. c. §. 1402. p. 127.

57) In praefatione ad Tissoti et Rosensteinii tract. cit. p. 35.

58) De reliquiis variolarum tam praepediendis, quam curandis.

59) De crisibus variolarum accessoriis.

60) L. c. p. 517.

dem et indolem, praeceptis debitis locis tradendis curantur.

Cap. XV.

De Varicella.

§. LXXI.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. Exanthema primarium, diversis variolarum formis simillimum, in genere vero levius ac brevius curriculum suum absolvens, *varicella* [61]) dicitur.

Historia. 2. Varicellae, forte veteribus notae [62]), doctrina potissime Swietenio [63]), Heberdenio [64]), Voge-

61) *Synonyma.* Variolae spuriae, pemphigus variolodes. German. *Windpocken. Hünerpocken.* Gall. *La petite vérole volante, vérolette.* Angl. *The chiken-pox, the swin-pox.* Ital. *Ravaglio. Morbiglione. Vajuolo selvatico.* Ross. Вѣтренная оспа. Polon. *Wietrzna ospos.*

62) Werlhoff op. c.

63) Comment. T. IV. p. 10.

64) *Abhandl. der Lond. Aerzte.* 1. B.

VOGELIO [65]), WILLANO [66]), ODIERIO [67]) et HEIMIO [68]) debetur.

§. LXXII.

Symptomata. Caussae.

1. Infantes ante morbi ingressum morosi et irrequieti fiunt; sunt tamen, qui extemplo corripiantur. Aegritudo cum levi horrore, cui calor, rubor oculorum, dolores ventriculi et lumborum, interdum nausea ipseque vomitus subsequuntur, incipit. Secunda a febre die, exanthema erumpit nunc primum in dorso, nunc in facie, nunc utrisque in locis simul. Brevi post illud universum plus minus corpus, nec parte capillata capitis, nec genitalibus semper exceptis, occupat. Vel ad ipsum oris cavum varicellam HEIM vidit. Peracta eruptione, saepe pruritu stipata, febris vel illico cessat, vel sensim sensimque, nunquam reditura, declinat. Neque exempla, ubi eruptio sine praevia febre locum invenit, desiderantur. *Varicella normalis* pustulam refert pisi magnitudine, halone rubro jam ab initio circumdatam, sero sive limpido sive subalbido repletum ac fovea in medio instructam. Haec pustula citissime ad duplex volumen crescere, maturitatem adipisci ac in

Symptomata.

65) De cognosc. corpor. human. affect.

66) Op. c. (cap. nostro praecedent).

67) Op. c. p. 102.

68) HORN's *Archiv für medic. Erfahrung.*

in crustam desinere solet, ita ut totus morbus spatio unius hebdomadis, aut citius terminetur, quamvis vel longioris curriculi non desint exempla. In genere haec exanthematis forma irregulariter decurrit, ac saepe uno eodemque tempore pustulae nonnullae in conspectum veniunt, aliae jam supnurantur, exulcerantur, aliaeque crustis obteguntur, relictis tandem foveis candidis, mollibus, levibus, plerumque regularibus, nec pilos, nec puncta exhibentibus [69]). Praeterea duae dantur varicellae abnormitates, *varicella* scilicet *solidescens* et *V. emphysematica.* Illa sub forma papularum sive tuberculorum ovalium, durorum, obscure rubentium, comparet ac desquamatione, hinc inde crustula, terminatur. Haec pustulam exhibet, seri loco, aërem continentem, qua disrupta, cutis secedit, relicta excoriatione, crusta squamosa, obtegenda.

Caussae. 2. Caussa varicellae contagium est, variolosi forte digressio [70]), saepe saltem cum eo societatem iniens, facillime invadens [71]), cui vaccina non obstat.

69) Alias gentilitias proprietates, a me necdum confirmatas, in medium affert Heim l. c. p. 200.

70) Niedl Diss. variolarum spuriarum ex verarum pure ortus. Halae 1792.

71) Heim l. c. p. 203.

§. LXXIII.

§. LXXIII.

Diagnosis.

1. *Varicella* cum *bullis*, cum *variolis* et cum *psydracia* confundi potest. Facilis confusio.

Distinctio a bullis.

2. *Bullae.*	*Varicella.*
a Febrium plerumque typhodum sistunt symptoma.	a. Levissima febre stipari solent.
b. Absque certis prodromis nulla determinata die erumpunt.	b. Eruptio propriis prodromis plerumque nuntiatur, ac secunda morbi die contingit.
c. Dolor urens in parte, eruptionem praecedit.	c. Nullus ante eruptionem dolor.
d. Etiamsi ab initio pisi sint magnitudine, attamen cito amygdalarum volumen adipiscuntur.	d. Volumen rarissime pisi duplex acquirunt.
e. Saepissime sola crura occupant.	e. Plerumque universum corpus detinent.

3. Distinctio *variolae* a *varicella* non adeo ardua est ac vulgo créditur, cum illa solum in casu malignitatis ad váricellae sive curriculum sive figuram accedat, haec autem constanter morbum benignum referat. Distinctio a variolis.

Variola

Variola benigna.	*Varicella.*
a. Circa *quartum diem* efflorescit.	a. *Secundo* die erumpit.
b. Stadia sua regulariter per universum corpus decurrit.	b. Quo tempore novae pustulae adhuc erumpunt, aliae jam suppurant, aliaeque crusta obteguntur.
c. Halo ruber circa pustulas tantummodo versus stadium suppurationis comparet.	c. Halo ruber mox facta eruptione occurrit.
d. Odore specifico instruitur.	d. Odor specificus non animadvertitur.
e. Febre suppuratoria comitatur.	e. Febris suppuratoria nulla.
f. Nulla ante nonum diem exsiccatio obvenit.	f. Jam quinto sive septimo die exsiccatur.
g. Foveae *plerumque* cuti concolores, inaequales, saepe punctis nigris notatae sunt.	g. Foveae candidae, plerumque regulares, sine punctis.

§. LXXIV.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. Varicella omni periculo destituitur. Rarissime

sime ea, vel facta insertione [72]), plus vice simplici recurrit [73]).

2. Curatur varicella instar exanthematum simplicium [74]). Cura.

Cap. XVI.

De Vitiligine.

§. LXXV.

Definitio. Formae. Caussae.

1. *Vitiligo* [75]) est macula sive alba sive nigra plerumque cum cutis in parte depressione laesaque plus minus illius functione. Definitio.

2. *Vitiligo alba* [76]) maculam, sive potius congeriem macularum, hinc inde planarum aut parumper elevatarum, utplurimum plus minus depressarum, coloris nivei sive lactei, exhibet. Maculae V. alba.

72) Heberden l. c. p. 333.

73) Ter perpessae varicellae exemplum Heim refert l. c. p. 202.

74) Cap. I. §. VI. 8.

75) Nomen vitiliginis a *vitio* derivatum videtur. (Rudolph Vogel diss. de vitiligine. Goetting. 1764).

76) Ἀλφὸς λευκὸς Graec. — Vitiligo alba mitior. Morphaea. Morphaea alba. Altefa alba Arab. — Germ. *Mehlflecken.*

lae hujusmodi magnitudinis nunc pollicis et ultra, nunc nonnullarum linearum, vel instar guttularum in cute dispersarum, cernuntur. Superficies earum plerumque levis, rarius aspera, aliquando pilis vel normalibus vel lanuginosis obsessa est.

V. nigra. 3. *Vitiligo nigra* [77]) maculas nigrescentes, ejusdem ac vitiligo alba magnitudinis, nunc levigatas, nunc subasperas, interdum serpentes refert.

Caussae. 4. Quidquid cellulosam telam sub cute delere, destruere ac pellem arctius cum carne aut ossibus connectere, aut naturalem hujus involucri contextum in se ipsum contrahere et sanguinis nervorumque influxu plus minus privare potest; hoc vitiliginis ad caussas pertinet. Hujusmodi sunt: vitium haereditarium, congenitum, leprosum, — suppurationes ex praeviis inflammationibus, exanthematibus, impetiginibus, — et distensiones validae cutis e. c. ad abdomen a graviditate, ab ascite, a pinguedine dispulsis.

Mehlflecken. Ross. Вѣшреница. Polon. *Ostuda, Osutka.*

77) Ἀλφος μελας. Graec. — Vitiligo nigra. Melmas *Celsi.* Morphaea nigra *Ebn Sina.* — Germ. *Das dunkle Mal.*

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Diagnosis.

1. Vitiligo utpote *macula*, tum ab *universali* cutis candore albinis proprio, tum a nigredine aethiopum, tum a palloribus ex animi pathematibus, ex lipothymiis, ex chlorosi, et ex jactura sanguinis distingui debet. Facilis confusio.

2. Vitiligo habita ratione originis dividitur in *V. naevum*, in *V. leprosam*, in *V. cicatricem* et in *V. matrum*, *hydropicorum* et *obesorum*. Divisio.

3. *Vitiligo naevus* sub forma nunc alba, nunc nigra comparet, quo ultimo in casu macula saepe elevata ac pilis obsessa cernitur [78]. Vitiligo naevus alba in vetula obveniens et acu perfossa nec sanguinem fundens nec dolens, tempore, quo fides sagis tribuebatur, pro certissimo maleficii indicio haberi solebat. V. naevus.

4. Memorata autem ultimo loco duo signa, simul cum squamulis partem affectam saepe obsidentibus, characteres gentilitios *vitiliginis leprosae*, nunc congenitae, nunc acquisitae, constituunt. V. leprosa.

5. *Vitiligo cicatrix*, uti relate ad variolas et varicellam docuimus et relate ad ulcera scrophulosa, cancrosa et venerea adhuc docebimus, pro varia sua origine varias exhibet qualitates necdum satis a medicis enucleatas. V. cicatrix.

6. *Vi-*

78) Naevus tuberculosus. GERMAN. *Mäusemal*, *Raupenmal*.

V. matrum 6. *Vitiligo matrum, hydropicorum* et *obesorum* solummodo cutis formositatem laedit, atque ob id memorabilis est, quod primo in casu inter indicia plus minus secura praegressi ac forte occultati partus pertineat.

§. LXXVII.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. *Vitiligo naevus* curam neque exposcit, neque facile admittit. *V. leprosa* vicissim evanescit reditque, donec tandem in absolutam, quam praesagit, lepram transeat. Reliquae vitiliginis species omni quidem periculo destituuntur, at ob defoedationem cutis, cuncta auxilia fere respuentem, admodum molestae evadunt.

Cura. 2. Ipsa haec artis impotentia necessitatem in morbis ad cicatrices proclivibus, omnem curam ad eas praepediendas adhibendi, patefacit, cujus rei vel in ipsa vesicatoriorum applicatione, praecipue in feminis, nos memores esse oportet. Contra jam praesentem vitiliginem experiri possunt: nunc oleum, balneum animale, fotus emolliens, vapores ex aceto et aqua, — nunc blanda et frequens cutis collapsae agitatio, sublevatio, dilatatio, — nunc aliqua in parte sana, circa maculam compressio, — nunc sicca huic ipsi hinc inde apposita cucurbitula, aut frictio et quae va-

sorum

sorum nervorumque hoc in loco vitam excitent [79].

Cap. XVII.

De Lentigine.

§. LXXVIII.

Definitio. Caussae.

1. Maculae diuturnae, forma, colore et magnitudine plus minus lentibus similes, *lentiginis* nomen obtinuerunt. **Definitio.**

2. Lentigo nunc sistit vitium congenitum, leprosum, nunc effectum ignis et solis, inprimis vernalis. Cutis tenera candidaque praecipue hac ultima a caussa afficitur, ac lentigines hic nil aliud, quam cruoris guttulae e vasis capillaribus per morbosam secretionem elicitae, muco et adipe dilutae, et in rete malpighianum depositae esse videntur. Actio solis in cutem, vel a praevia lavatione, vel a sudore madidam, major est, atque lentigines hoc in casu cum maculis foliorum et fructuum ex actione radiorum solarium imbri immediate succedentium ac in focum inde collectorum, convenire videntur. Ignis actio cum ea solis convenit. **Caussae.**

§. LXXIX.

79) J. P. Frank op. c. Vol. IV. p. 120.

§. LXXIX.

Diagnosis.

Divisio. 1. Lentigo in *L. naevum*, in *L. leprosam*, in *L. aestivam* et in *L. ab igne* dividitur.

L. naevus. 2. *Lentigo naevus* sive *naevus lenticularis* maculam refert solitariam, ad faciem, potissime circa labia, ad collum, mammas, ventrem, coxas, inprimis prope genitalia nec non ad extremitates sedem figentem, saepe nigri potius quam fusci coloris.

L. leprosa. 3. *Lentigo leprosa* [80]) profunde in cute sedem habet, sensu orbata est et futuram lepram saepe diu annuntiat.

L. aestiva. 4. *Lentigo aestiva* sive *ephelis* [81]) maculas sistit parvas, perfecte lenticulares, flavescentes vel rufescentes, potissime obvias in facie (inprimis ad latera nasi), in pectore, in manibus, aliisque in partibus non tectis.

L. ab igne. 5. *Lentigo ab igne* [82]) ad tibias et femora praecipue in adultis prope nimis camino sedentibus, vel in feminis, carbone accensos sub forma macularum saepe prominentium, coloris e fusco flavescentis, obvenit.

6. *Pe-*

80) *Bahak* Mosis. — *Barash* Arab.

81) A Graec. Ἐφηλις. *Synon.* Ephelis lentigo, lenticulae solares. German. *Sommerflecken*, *Sommersprossen.* Gall. *Lentilles*, *taches de rousseur.* Angl. *Freckles.* Ross. Веснушки. Polon. *Piegi.* Alibert op. c. Tab. XXVI.

82) Gall. *Taches de brulure.*

6. *Peticulas* cum *lentigine aestiva* confundi posse, jam monuimus [83]). Differunt sequentibus notis: Distinctio a peticulis.

Peticulae.	*Lentigo aestiva.*
a. Omni anni tempore obveniunt.	a. Vere et aestate potissime occurrit.
b. Nulli cutis conditioni parcent.	b. Cutim teneram et candidam eligit.
c. Raro in facie animadvertuntur.	c. Praecipue faciem occupat.
d. Aequo modo partes tectas et non tectas detinent.	d. Inprimis partes non tectas afficit.

Notandum autem est, peticulas societatem cum lentigine aestiva inire posse.

§. LXXX.

Prognosis. Cura.

1. *Lentigo naevus*, quodammodo formositati quid addens, nullum auxilium admittit. *L. leprodes*, utpote terribilis morbi praesagium, in servorum emptione maximi olim fiebat momenti. *L. aestiva* adventante hyeme sponte evanescit aut multum saltem imminuitur. *L. ab igne* foedam, vix delendam sistit maculam. Prognosis.

2. *Lentigo aestiva* praepeditur: partes soli expositas velo tenuissimo et cribriformi (gaze) albo sive viridi involvendo, actionemque solis vix per- Cura.

83) Cap. II. §. X. 1.

peracta faciei sive brachiorum lotura evitando. Praesentes lentigines, prout cutis peculiaris sensibilitas melius id fert, variis remediis curantur. Huc pertinent: *succus fructus citri medicae*, *acetum destillatum*, *infusio radicis raphani rusticani in aceto*, *acidum muriaticum superoxygenatum* [84]), *solutio sulphatis zinci* [85]), lac, ut dicunt, *virginum* [86]) sive *sulphuris* [87]), *subcarbonas potassae liquidus* [88]), *fel bovis domestici* sive purum, sive *subcarbonate potassae liquidae* junctum [89]) aliaque [90]).

84) R. Aquae rosarum rubrarum uncias sex. Acidi muriatici oxygenati guttas duodecim. M. Augeatur sensim sensimque dosis acidi.

85) R. Aquae fragariae vescae uncias sex. Vitrioli zinci grana quindecim. M.

86) Cap. I. §. VI. 4. (1).

87) R. Aquae rosarum uncias sex; lactis sulphuris unciam semis. M. D. S. usui externo.

88) Oleum tartari per deliquium.

89) Unguentum inde emergens vespere applicatur ac altero mane ope aquae tepidae et saponis abluitur.

90) Quintus Serenus sequentia proposuit (de medicina c. de cutis faciei vitiis propellendis).

„Invida si maculet faciem *lentigo* decoram,
„Nec prodesse valent naturae dona benignae,
„*Erucam*, atque acidum laticem simul illine malis,
„Proderit et bulbus mellis dulcedine victus,
„Crudave dulcacido miscebis rapa liquori."

Cap. XVIII.

Cap. XVIII.

De Chloasmate.

§. LXXXI.

Definitio. Caussae.

1. *Chloasma* [91]) in maculis, palmae circiter magnitudinis, ex flavo viridescentibus, saepissime planis, interdum subasperis, pruritu fere semper destitutis, consistit. Definitio.

2. *Caussae* chloasmatis sunt: graviditas, retentio menstruorum, hysteria, suppressio haemorrhoidum, vitia hepatis, lienis, hypochondriasis, labes scorbutica, carcinomatica, haemorrhagiae repetitae, inprimis pneumonorrhagiae, lues venerea et abusus fuci, praesertim metallici. Caussa proxima tum in bile, tum in sanguine sub epidermide effusis ac muco et adipe mixtis, quaerenda est. Caussae.

91) A Graec. Χλοάζω, χλόασμα, vireo, viridis sum. Ephelis Celsi, macula hepatica Sennerti. Vitiligo hepatica Sauvages. Kelis fulvescens Swediauer. Germ. *Leberflecken.* Gall. *Taches hépatiques.* Angl. *Tawny blotsches.* Ross. Желтое пятно. Polon. *Podlice.*

est. Cruoris effusioni nunc plethora cutanea, nunc vasorum capillarium atonia saepe scorbutica, nunc secretio morbosa, peculiaris forte systematis nervosi effectus, ansam porrigere videtur.

§. LXXXII.

Diagnosis.

Divisio. 1. Dividitur *chloasma* (cum alio morbo haud facile confundendum) in *ch. gravidarum*, in *ch. ex cachexia* et in *ch. ex fuco*.

Ch. gravidarum. 2. *Chloasma gravidarum*, certissimum saepe conceptionis, quin immo delitescentis in nonnullis masculi, in aliis feminei foetus signum sistit[92]). Planum ac pruritu destitutum frontem inprimis occupare solet. Et recens nati, praecipue sub zona torrida[93]), speciei chloasmatis subjiciuntur.

Ch. ex cachexia. 3. *Chloasma ex cachexia*, aut rectius, ex vitio totius corporis, pro varia rerum positione, varia exhibet phaenomena. Latente *amenorrhoea*, maculae planae haud prurientes, inprimis frontem, genas, mammas, nucham et dorsum detinere solent. In *hystericis*, eae ad faciem, potissime post graves cephalagias, anin advertuntur. *Haemorrhoides suppressae* chloasma plerumque pruriens, variis in partibus largiuntur. *Vitia chronica hepatis*, *scirrhus ventriculi*, maculis amplissimis, sub-

92) Hippoc. opp. p. 677. — Riedlin lin. med. 1695. p. 393. — J. P. Frank. Epit. l. c. p. 87.

93) Swediauer op. c. Vol. II. p. 759.

subasperis, prurientibus, ex flavo viridescentibus, herpeti affinibus, pectus, inguina, et crura occupantibus, ansam porrigunt. Item *morbi lienis* et *hypochondriasis*. *Chloasma scorbuticum*, foetens, colorem ex atro viridescentem refert 94) atque ex praeviis ecchymomatibus saepe originem ducit. Sat simile est chloasma post *haemorrhagias*. Ex *lue venerea* eadem impetigo, maculas plerumque reticulares, ex flavo viridescentes, saepe cupreas, ad frontem, pectus, praecipue vero ad internam brachiorum sive crurum superficiem, sub umbra et post lotionem magis obvias, vix prurientes, exhibet. Maculae hae interdum per solum attactum contagiosae sunt 95). *Chloasma ex fuco* ad genas et frontem sub forma macularum obscure flavescentium sive viridescentium, minime prurientium, comparet.

§. LXXIII.

Prognosis. Cura.

1. *Chloasma gravidarum*, per repetitas conceptiones aliquando perpetuum evadens, in genere excluso foetu et interdum sub media graviditate sponte secedit. Quod *ex vitio totius corporis* pul- Prognosis.

Y 2 lulat

94) ALIBERT. op. c. Tab. XXVII.

95) Nosco virum chloasmate, luis residuo, laborantem, qui sanae uxori, sine alio venereo indicio, eandem impetiginem communicavit.

lulat chloasma, hoc morbi primarii, cujus cum augmento nonnunquam evanescit [96]), sequitur prognosin. *Ch. ex fuco* indelebile saepe sistit praepostere quaesitae elegantiae praemium.

Cura. 2 *Gravidarum chloasmati* nullum opponimus auxilium. Hac impetigine *e vitio totius corporis* emergente, pro re nata ac habita semper ratione transpirationis et urinarum, ad usum internum *aquarum ferruginosarum*, ad *nervina*, ad *hirudines* ano applicandas, ad *resolventia* inprimis ad *aquas minerales* aut *saponaeceas*, aut *salinas*, ad *amara*, ad *antiscorbutica*, ad *tonica* et ad *antisyphilitica* confugiendum est. Auxilia hujusmodi sensim sensimque remediis topicis, in *chl. ex fuco* solis adhibendis, sustinentur. Huc pertinent: remedia adversus lentigines commendata, porro *balnea marina*, *fluviatilia*, *linimentum* sive *camphoratum* [97]), sive *baccarum lauri* [98]), sive *seminum sinapis nigrae* [99]), sive *mercurii rubri* [100]), nec non

96) J. P. Frank l. c. p. 89.

97) Camphorae drachmam unam. Nitri drachmas duas. Mellis q. s. ut f. linimentum.

98) Pulveris baccarum lauri uncias duas. Mellis q. s. ut f. linimentum.

99) Pulveris sinapis uncias tres. Olei amygdalarum unciam semis. Succi citri q. s. ut f. unguentum.

100) Butyri recentis uncias duas. Cerae albae liquefactae drachmas tres. Mercurii praecipitati rubri, camphorae aa. drachmam unam et semis. M.

non solutio *muriatis hydrargyri oxydati* [1]), praemissa *massa detergente*.

Cap. XIX.

De Ecchymomate.

---

§. LXXXIV.

Definitio. Formae. Caussae.

1. Macula ex effusione sanguinis in textum cutis originem ducens, *ecchymoma* [2]) dicitur. Definitio.

2. Ecchymoma sub forma comparere solet nunc *stigmatum* coccineorum sive violaceorum: ad frontem, genas, mentum, collum et brachiorum superficiem internam, — nunc *macularum lenticularium* fuscarum, brunearum, lividarum ad universum corpus, facie non excepta, — nunc *macularum lentibus decuplo majorum*, nigrarum, fuscarum, cutim marmoris instar variegantium, prae- Formae.

1) R. Aquae destillatae uncias sex. Mercurii sublimati corrosivi grana duodecim. M.

2) A Graec. Ἐκ, extra et χυμὸς, humor seu succus. *Synonyma.* Sugillatio, effusio, extravasatio, suffusio. Germ. *Blutunterlauf*, *Blutfleck*. Gall. *Ecchymose, sugillation, effusion.* — Angl. *Ecchymosis, livid spot from extravasated blood.* — Ross. Синева. — Polon. *Siniak.*

praecipue ad extremitates, — nunc *plagarum*, palmam excedentium, nigrarum, subviridescentium, ad pectus, abdomen, manus pedesque [3]); nuncque *striarum* sive *linearum* rubrarum, lividarum, nigrarum, aeque acsi cutis flagellis caesa esset (*vibices*) ad extremitates aliaque loca. In genere ecchymoma minime circumscriptum est, sensim sensimque diffluit, variosque plerumque exhibet coloris gradus, vel ad interstitia inter unam alteramve maculam protractos.

Caussae. 3. Cutis candida, sensilis et laxa, praecipue ad loca, cellulosa minus compacta instructa (e. c. ad palpebram inferiorem, scrotum etc.), interdum vero et ad firmissima (e. c. ad plantas pedum; albugineam oculi etc.), nec non ad orificia oris, vaginae, ani, immo ad ipsas membranas internas viscerum superficiem ambientes, ecchymomati subjicitur. Ansam illi porrigunt: contusio, concussio, compressio [4]), suctus [5]), distensio, vulnera sanguini extravasato exitum denegantia, erysipelas [6]), tussis impetuosa, vomitus effrenus [7]), con-

3) Manus nigerrimas in typho vidit J. P. Frank, ac crus aethiopis instar nigrum in scorbuto observavit Plenk (l. c. p. 45).

4) Sic capita recens natorum post partum difficilem, obliquum, aut vectibus absolutum, frequenter ecchymomata exhibent.

5) Ab hirudine, a cucurbitula, a labiis etc.

6) Cap. VI. §. XXIX. 8.

7) Ex hac caussa pluries ecchymoma albugineae observavi,

contractio vehemens musculorum e. c. sub epilepsia [8]), porro: labes hepatis, lienis, excretiones cruentae sive imminentes [9]), sive suppressae [10]), animi pathemata [11]), praecipue ira [12]), dolores [13]), debilitas senilis [14]) et inprimis varii diatheseos scorbuticae gradus. Caussam proximam ecchymomatis in vasorum sanguiferorum sive laesione mechanica, sive atonia, sive spasmo (transitum scilicet sanguinis impediente) sive secretione morbosa, locari posse credimus.

vi, similesque casus a Blavio describuntur (Ephem. N. C. Dec. III. an. 7. 8. obs. 291).

8) Futurae epilepsiae paroxysmum ab ecchymomatibus annuntiatum fuisse, observavi.

9) Stigmata coccinea ad faciem adventum menstruorum annuntiabant in femina curae meae commissa. Puellae sexdecim annorum exemplum ter quater de die ad faciem aethiopis instar nigrescentis Yong refert. (*Philosoph. Transact.* Vol. 26. No. 323. p. 425).

10) Richters *chirurgische Bibliothek.* 11. B. p. 235.

11) Virgo ex quovis fortiori animi pathemate labium inferius et mentum suggillatione correpta exhibebat. (Act. physic. med. Nat. Cur. Vol. II. p. 33).

12) Tissot *Oeuvres quatrième Volume.* p. 359.

13) Post cephalalgias ecchymoma sub forma stigmatum ad palpebras vidi.

14) Melasma senile *Auctorum.*

§. LXXXV.

§. LXXXV.

Diagnosis.

Facilis confusio. 1. *Ecchymoma* confundi potest cum *gangraena*, cum *peticulis* aliisque cum *maculis*.

Distinctio a gangraena. 2. Cum *gangraena*, *ecchymoma* facile ab iis, qui ex solo *nigro* partis *colore* ad sphacelum concludunt, confunditur. Differunt sequentibus notis:

Gangraena.	*Ecchymoma.*
a. Solutionem continui exhibet.	a. Nulla solutio continui observatur.
b. Pars affecta friget.	b. Temperiei nulla occurrit mutatio.
c. Sensus in parte deletur.	c. Sensus perstat.
d. Summo vitae periculo stipatur.	d. Periculo plerumque vacat.
e. Foetorem specificum spargit.	e. Vix foetet.

Distinctio a peticulis.

3. *Peticulae.*	*Ecchymoma.*
a. Exclusive in morbis febrilibus obveniunt.	a. In morbis febrilibus tum aliis occurrit.
b. Contagiosi quid fere semper offerunt.	b. Contagii suspicionem haud movet.
c. Aegros lecto affligunt.	c. Aegri saepe deambulare possunt.

d. Macu-

d. Maculae sunt regulares, circumscriptae, lentibus vel minores, vel similes, vel parum majores.	d. Maculae vix regulares, plerumque diffluentes, lentibus saepe decuplo majores sunt.
e. Diversitatem coloris modicam offerunt.	e. Color adeo diversus, ut cutis marmoris instar variegata evadat.
f. Cutis, maculis intermedia, normalis est.	f. Cutis, maculis intermedia, saepe ex flavo viridescit.
g. Rarissime faciem occupant.	g. Saepe in facie animadvertitur.

Datur autem *complicatio* peticularum cum ecchymomate nunc traumatico, nunc alio.

4. Quemadmodum interruptio processus oxygenationis sanguinis livorem *universalem* cutis e. c. in morbo sic dicto coeruleo producit, ita ex eadem caussa et *partiales* livores, maculas scilicet a genuino ecchymomate probe distinguendas oriri arbitramur. Huc pertinere videntur maculae coeruleae in mortis articulo [15]), in hydrothorace, in suspensis et suffocatis obvenientes. In asphyxia ex carbonum fumo ejusmodi maculas ea ipsa ratione, qua evoluta vita respiratio liberior evadebat ex coeruleis rubras fieri ac dein plane evanescere vidimus. Postremo cavendum est, ne striae, quas

Distinctio ab aliis maculis.

vas

15) De *maculis morientium* vide Sim. Schulz in Ephem. N. C. a. 4. et 5. obs. 121.

vas lymphaticum inflammatum exhibet, pro *vibicibus* habeantur [16]).

§. LXXXVI.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. Ecchymomatis *resolutio* obtinetur, si copia sanguinis major non sit, quam a vasis lymphaticis absorberi queat, si vires vitales in universo corpore et in parte affectā ita vigeant, ut absorptionis opus locum inveniat, sique fons cruoris extravasati novum non largiatur sanguinem. *Induratio* ontingit, dum modica sanguinis copia in textum cellulosum effusa est, dum vis vitalis non quidem ad resolutionem obtinendam, sed saltem ad corruptelam avertendam satis viget, dumque cruor tractu temporis cum cellulis, quibus continetur, coalescit. Indurationes hujusmodi frequenter in senectute ad extremitates inferiores, praecipue lateris sinistri locum inveniunt ac nisi resolvantur tum erysipelati, tum ulceribus chronicis ansam porrigunt. Nunquam ex sanguine stagnante pus verum generatur. *Gangraena* hic expectanda, concesso ad cruorem extravasatum aëris aditu deletoque influxu nervorum in partem affectam. Sanguis sub aponeurosi effusus febres violentas, inflammationes, deliria, convulsiones ac mortem hinc

16) Plenk hunc errorum ibi commisisse videtur, ubi de *vibicibus* a *pararitio* loquitur (Op. c. p. 46).

hinc inde producit. Ut *signum* ecchymoma in morbis acutis, in haemorrhagiis, in senio etc. mali ominis censetur.

2. Si partis cujusdam extensio, distractio, contusio, ecchymomatis periculum minatur, tunc cita illius in aquam frigidam immersio, vel fomentatio cum nive aut glacie contusa, ac interdum compressio, sugillationem saepe avertunt. Praesente ecchymomate locali cum orgasmo, in robustis et plethoricis hominibus *venae sectio* praemittenda, ac nisi inflammatio et partis laesae jam tumor ac durities, nec non summus dolor impediant, *fomentatio* cum posca, *muriate ammoniae* et *nitrate potassae*, vel *acetas plumbi liquidus* cum aqua frigida et parva *alcohol* portione, conducent. Si fortior contusio aut ictus sclopeti, aut alia demum caussa, praecipue mali diuturnitas, vitalitatem imminuerint, tunc fomentatio ex herbis aromaticis vino decoctis, vel *radicis bryoniae albae* recentis rasura [17]), cum aequali *alcoholis* portione, vel spirituosa fomentatio cum *muriate ammoniae et aceto*, requirentur. Si major forte sanguinis copia, quam quae commode resolvi speretur, aut cruor in grumos coactus, sub cute integra vel parvo tantum, aut jam collapso vulnusculo perfossa, vel sub tensa aponeurosi stagnaverit: tunc pellis, aponeurosis sine mora incidenda, aut vulnus dilatandum, vel profundae satis scarificationes, Cura.

ut

17) Helmont. Ignotus hydrops §. 40.

ut liquidum cruentum exstillet ac tandem externa, quae diximus auxilia, pro re nata temperantia, excitantia, nec non fasciae comprimentes, in auxilium trahenda sunt. In *sugillatione capitis recens natorum* sectio plerumque mortem properat, unde vel *alcohol camphoratum*, infusum aliquod *aromaticum vinosum* et calor aequalis, per impositum tumori gossypium obtinendus, supplebunt [18]. In *ecchymomate typhode* remedia contra haemorrhagias in typho commendata [19], in *gastrico evacuantia* indicantur. *Scorbuticam labem* specificis aggredimur auxiliis. Nil potentius hic ecchymoma debellat, saltem aestivo tempore, quam *balnea fluviatilia* [20]. Si major in parte vasorum *inertia* ecchymoma inducat, praeter motum corporis in aëre libero ac lavationem frigidam, remedia adversus lentiginem et chloasma commendata, usurpanda sunt. Cura ecchymomatis ex *retentione menstruorum* et *haemorrhoidum* remediis alibi tradendis [21] absolvitur. Praeter caetera hic potissime conducunt *aquae minerales* tum *saponaceae*, tum *salinae*, tum *martiales*. Quae ex *spasmo* oriuntur *ecchymomata* sat cito sponte evanescere

18) Frankii Epit. l. c. p. 104.

19) P. I. Vol. I. §. LV. 15. 16.

20) Usitatissimum inter aegros in nosocomio militari Vindobonensi decumbentes sistit remedium, testante egregio hujus instituti moderatore Wahring.

21) P. IV.

re solent; nisi hoc fieret, *pulvis radicis caepheli-dis ipecacuanhae cum opio*, infuso aromatico e. c. *salviae officinalis* suffultus, intus propinari potest et adhibita extus leni frictione cum vino sive alcohol. *Indurationem* minitans ecchymoma, nec non ipsa ex ecchymomate induratio, optimum auxilium in *vaporibus*, ex aqua et aceto floribusque sambuci nigrae elicitis, agnoscit; quorum vaporum ope et rebelle ecchymoma traumaticum albugineae debellavimus. In chronico et pertinaci ecchymomate tum *flores arnicae montanae* [22]), tum *stipites solani dulcamarae* [23]), sub forma infusi intus et extus adhibiti, conducunt. *Calagualae* ab Hispanis hic commendatae effectus, nos latent. *Ulcera* ex ecchymomatibus ad chirurgiae pertinent forum. Ita *gangraena* ex eadem caussa orta.

22) Fehrius in Eph. N. C. an. 9. et 10. p. 23. obs. II.

23) *Mémoires de l'Academie des Scienc. de Paris* 1761. p. 55.

Cap. XX.

Cap. XX.

De Erythemate.

§. LXXXVII.

Definitio. Caussae.

Definitio. 1. Rubor partialis cutis plerumque chronicus aut saltem apyrecticus, a compressione evanescens, hac cessante revertens, saepe papulis, phlyctaenis, pustulis aut furfuribus junctus, *Erythema* dicitur.

Caussae. 2. *Caussae* erythematis sunt: vitia haereditaria, congenita, diathesis scrophulosa, leprosa [24]), plicosa, abusus liquorum fermentatorum, actio irae, invidiae, moeroris diu protracta, mala hepatis, usus arsenici [25]), graviditas, suppressio haemorrhoidum, menstruorum, lochiorum, lactis, fluoris albi, sudoris pedum et axillarum, pigmenta, frigus, radii solares, impuritas inter plicas cutis, et serum acre partes distendens. Sedes mali nunc in vasis sanguineis varicosis, liquorem rodentem, aliquando pollinem terreum secernen-

24) Falconer *memoirs of the medical society of London.* Vol. 3. p. 381.

25) Sic una aegrarum mearum de se ipsa fatebatur.

nentibus, nunc in glandulis sebaceis et lymphaticis, nunc in ipsis vasis lymphaticis, nunc in textu cutis quaerenda videtur.

§. LXXXVIII.

Diagnosis.

1. *Erythema* cum *erysipelate*, *strophulo* et *herpete* confundi potest. Facilis confusio

2. Ab *erysipelate* distinguitur *erythema*, quoniam illud morbum acutum sedemque saepe mutantem, hoc autem vitium chronicum vel saltem apyrecticum et stabile constituit. Distinctio ab erysipelate.

3. Erythema dividitur: in *E. naevum*, — in *E. guttam roseam*, — in *E. perniionem*, — in *E. solare*, — in *E. intertriginem*, — in *E. recens natorum*, — et in *E. oedematodes*. Divisio.

4. *Erythema naevus* [26]) maculam sistit congenitam (a terrefacta ob incendium matre plerumque ortam), nunc latam, nunc longitudinalem, irregularem, coloris ignei aut vini rubri, faciem, collum et scapulas obsidentem, interdum super cutem, fructuum rubi idaei instar elevatam. E. naevus.

5. *Erythema gutta rosea* [27]) macula est neque pruriens neque dolens, neque serpens, profunde rubra, E. gutta rosea.

26) *Synon.* Naevus flammeus, morphaea flammea, — GERMAN. *Feuermal*, — GALL. *Tache de feu*, — ROSS. Водимое красное пашно. POLON. *Znamie rodzime.*

27) *Synon.* Vari, Bacchia, LAT. — *Albed samen* ARAB. — Gutta rosacea, phoenigmus PLOUCQ. — Jonthos SWE-

rubra, fere livida, splendens, inprimis ad nasum et genas, aliquando ad frontem, rarissime ad mentum obvia, saepe aut *papulis* corymbosis, exiguis, duris, rubris, e rubro livescentibus, in apice desquamatis, aut *phlyctaenis* sive *pustulis* albescentibus, puriformi materia repletis, instructa, praecipue crapulae, irae, ac labi internae originem debens.

E. pernio. 6. *Erythema pernio* 28) rubedo dicitur a frigore orta, tumore saepe juncta, praecipue ad manus et pedes, sed et ad genas, aures nasumque obvia, quavis hyeme rediens, et si accedat calor lecti aut ignis, pruritu ardente stipata.

E. solare. 7. *Erythema solare* 29) maculam rubram, asperam, subduram, plerumque latam, ad manus aliasve partes a sole adustas comparentem, refert.

E. intertrigo. 8. *Erythema intertrigo* 30) rubedo est, inter plicas cutis praesertim in infantibus et obesis ad col-

SWEDIAUERI. — GERM. *Kupferhandel*, *Kupfergesicht*. — GALL. *Bourgeons*. — ANGL. *A pimpled face*; *red pimples on the face or nose*. — ROSS. Весна на носу, кли, брусничной носъ. — POLON. *Trąd na twarzy*.

28) GERM. *Frostbeule*. — GALL. *Angélure*. — ROSS. ошморозъ. — POLON. *Odmorozenie*.

29) Ephelis CELSI. Adustio a sole *auct.* Kelis solare SWEDIAUR.

30) *Synon.* Paratrimma, attritus, abrasio, aposyrma. GERMAN. *Frattwerden*. — GALL. *Excoriation*. — ANGL.

collum, axillas, aures, inguina, nates, vulvam, poplitem, saepe cum exulceratione, obveniens ac ab impuritate et reciproca vasorum lymphaticorum in appositas cutis superficies actione, orta.

9. *Erythema recens natorum*, morbus hucusque, ni fallimur, haud descriptus, plerumque circa quartum sextumve mensem obvenit. Incipit malum circa anum, extenditur ad nates et partes genitales, et proserpit tandem ad extremitates inferiores. Partes affectae carnis crudae ad instar rubent, cutim tumidulam atque epidermidem plurimis in locis secedentem exhibent. Malum hoc per mensem et ultro perstat, ac, ut semel vidimus, omni mense periodice redit. Infantes robusti non multum inde laeduntur, reliqui marcescunt et sub prava medendi ratione, praeviis impetiginis fuga et diarrhoea, moriuntur. Saepe quidem vitium venereum huic erythemati ansam porrigit, at, vidimus illud pluries sine ulla syphilidis suspicione, ex ignota hucusque caussa originem ducens. E. recens natorum.

10. *Erythema oedematodes* [31]) rubedo nobis dicitur, quae ad partes ab oedemate distentas, inprimis ad scrotum, ad extremitates inferiores et ad abdomen, occurrit. E. oedematodes.

Angl. *Excoriation.* — Ross. ОпрѢлости. — Polon. *Wyprzanie, Odparzenie.*

31) Erysipelas dedermatosum auctor.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. *Erythema naevus* vitium plerumque indelebile, ac interdum in ulcus cancrosum transiens, sistit. *E. gutta rosea* formosas aliquando personas in monstra transformare ac, praepostere sanatum, ophthalmiis chronicis, vitiis aurium, morbis nervosis originem praebere solet. Quod sub graviditate oritur, hoc interdum largo lochiorum fluxu debellatur. *E. pernio* tum ob reditum, tum ob deformationem, tum ob ulcera chronica quibus ansam porrigit, malum tediosum, hinc inde gangraenae periculum minitans, constituit. *E. solare* aliquando desquamationem epidermidis et rhagades relinquit. *E. intertrigo* neglectum, infantes nonnunquam in marcorem conjicit, in venereis et scrophulosis indolem syphiliticam aut scrophulosam induit, et incaute remediis externis curatum, vel in adultis, gravia post se trahit mala. *E. recens natorum* prognosis, ex descriptione morbi satis elucet. *E. oedematodes* interdum in gangraenam transit.

Cura. 2. Caustica, inprimis *acidum sulphuricum* parum dilutum et *solutio* saturata *muriatis hydrargyri superoxigenati*, *erythema naevum* interdum, at non sine cicatricis periculo, auferunt [32]).

In

32) Mursinna *Abhandl. von den Krankheit. der Schwangern, Gebährenden, Wöchnerinnen und Säuglinge.* 2 Thl.

n *erythemate gutta rosea*, usus remediorum, tum xternorum, tum internorum, secundum regulas enerales [33]) determinatnr. Ad prima pertinent: i malum in simplici *varicositate* vasorum sanuiferorum consistat, — *acetum destillatum* quinue circiter aquae communis partibus dilutum, *cetas plumbi* tum liquidus, tum sub *unguenti* orma [34]) adhibitus; — si *papulae* praesto sint, — *nguentum mercuriale* sive *album* [35]), sive *ruorum* [36]), si *phlyctaenae* aut *pustulae*, — *cremor actis* donec irritationis periodus evanuerit, dein dem, ut supra *unguentum mercuriale*. Remedia nterna caussis mali adaptanda sunt. Saepissime ic *remedia resolventia* et inprimis *aquae minerales*, um *saponaceae*, tum *salinae*, locum inveniunt [37]). 'raeterea ad regimen et ad evacuationes suppresas, quam maxime respiciendum est. *Hirudines* d anum et vulvam, ac praecipue *fonticuli*, vel ad rachia, vel ad crura, potissima hic sistunt auxilia.

 Ery-

33) Cap. I. §. VI. 6.

34) R. Sacchari Saturni drachmam unam. Butyri recentis insulsi unciam unam. M. D. Sr. Usui externo.

35) R. Mercurii praecipitati albi drachmam unam. Spermatis ceti unciam. Olei amygdalarum q. s. ut fiat sub leni igne unguentum, cum quo pars affecta noctu obducitur.

36) Vid. cap. XVIII. §. LXXXIII. 2. (6).

37) Et graphytes, de quo lege cap. XXXII. §. CXXVI. (6), profuit (Hufeland's *Journal*. 1814. *Febr.* p. 21).

Erythema pernio recens, repetita membri in frigidam immersione, frictione cum nive, fomentatione *solutionis acetatis plumbi* curatur. Si dolor et tumor cutis valde urgeant, *hirudines* prope locum affectum, unctio ope *olei olivarum*, addito *spermate ceti*, et in genere emollientia indicantur. Provecto in morbo, fomentum ex *herbis aromaticis* in vino decoctis, conducit. Nisi id auxilium afferret, connubium *olei therebinthinae* cum *alcohol camphorato* [38]), quo et adventus habitualis pernionis impeditur, valde commendamus. Praesente jam suppuratione, emollientia seponenda sunt, ac ulcus fungosum cum unguento digestivo et oxido hydrargyri rubro curari debet. *E. solari* optimum remedium est, *lac coagulatum acidum*. *E. intertrigo* munditiem, lotionem frigidiusculam, filamenta carpta pulvere farinae vel lycopodii inspersa, ac cutis plicis interposita, exposcit. *E. recens natorum* vel citra indolem syphiliticam, ope *oxidi hydrargyri et antimonii sulphurati* [39]), infusi *herbae violae tricoloris* et *balneo-*

38) R. Olei therebinthinae. Spiritus vini camphorati aa drachmam unam et semis. Aquae rosarum uncias quatuor. M. D. — Vespere linteum hoc menstruo imbutum et dein expressum, locis affectis circum imponitur ac per noctis relinquitur curriculum. Egregia haec formula mihi ab amico ac praeclaro Vindobonense medico-chirurgo HÜRTEL communicata fuit.

39) R. Aethiopis antimonialis grana tria. Sacchari albi drachmam

neorum tepidorum*, profligatur. *E. oedematodes*, linteo *aqua saturnina* madido ac frigide applicito, curatur.

Cap. XXI.

De Porrigine.

§. XC.

Definitio. Formae. Caussae.

1. Desquamatio epidermidis, nulli praevio aut praesenti evidenti cutis vitio originem debens, relicta abnormi pellis subjacentis conditione, *porrigo* 40) dicitur. Definitio.

2. *Porrigo* nunc *universalis*, nunc *partialis* observatur. Primo in casu a Claudero 41), Se- Formae.

GERO

drachmam unam. M. Divid. in duodecim partes aequales. D. Sr. Bis de die pulverem capiat lacte nutricis subactum.

40) *Synonyma.* Pityriasis a Graec. Πιτυρ furfures. Scabies sicca. Impetigo. Lichen siccus. Lorry sub vocabulo porriginis solummodo desquamationem epidermidis in *parte capillata capitis* intellexit (l. c. p. 458). Jure latiorem significationem illi dederunt Alex. Trallianus (De arte medica Lib. I. c. 4) et J. P. Frank (Epit. Vol. IV. p. 128).

41) Eph. N. C. Dec. II. an. V. obs. 199.

GERO [42]), BARTHOLINO [43]), PETRO A CASTRO [44]), MARCELLO DONATO [45]), WELSCHIO [46]), LEDELIO [47]), ALBRECHTO [48]), SCHARFIO [49]), GROCHIO [50]) et BRISBANIO [51]) nobisque pluries viso, epidermis totius corporis, interdum cum pilis et unguibus, sub forma furfurum aut squamarum, nunc cum, nunc sine pruritu et ardore, secedit, relicta cute sicca, madida, pallida e luteo rubescente, plana, subtumida. *Porrigo partialis* eadem symptomata nunc ad partem capillatam capitis, nunc ad supercilia, frontem, mentum, nunc ad volas manuum [52]), nunc ad inguina, scrotum [53]), labia vulvae, nunc ad femora, genua et tibias offert. Praeterea forma hujus impetiginis (interdum *stabilis*

42) Ibid. Dec. I. an. IV. obs. 88.

43) Act. med. Hafn. Vol. I. obs. 37.

44) De febre punct. malign. sect. 9. aph. 58.

45) De med. histor. mirabili. L. I. cap. 3. p. 12.

46) Curat. propr. Dec. IX. cas. 7. p. 595.

47) Eph. N. C. Dec. III. cas. 7. p. 595.

48) Ibid. an. III. obs. 124.

49) Ibid. an. II. obs. 83.

50) *Medical and chirurg. observat.* 118. — *Philosoph. Transactions for the year* 1769. Vol. 59. p. 218.

51) *Select cases in the pratice of medecine.* Lond. 1772. *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 1. B. 1s St. p. 149.

52) *Psoriasis palmaria* WILLAN. op. c. p. 123. Tab. 15.

53) *Psoriasis scrotalis* W. l. c. p. 125.

stabilis, saepe *volaticae*) admodum varia est. Comparet enim sub forma macularum squamosarum nunc solitariarum, circumscriptarum [54]), — nunc diffusarum, latarum [55]) — nunc vario pacto serpentium [56]).

3. *Caussae* porriginis sunt: vitium haereditarium [57]), congenitum, recondita labes scrophulosa, herpetica, leprosa, syphilitica, aura rigida vernalis, solis actio [58]), maceratio partis in aqua calida [59]), tinea imminens, pulvis cyprii calce mixtus aut aromaticus [60]), ipsa farina [61]), adustio [62]), ebrietas [63]), cephalea [64]), menstruatio [65]), puer- Caussae.

54) *Psoriasis guttata*. Willan l. c. p. 112. Tab. 11. fig. 1.

55) *Psoriasis diffusa* W. l. c. p. 116. Tab. 11. fig. 2.

56) *Psoriasis gyrata* W. l. c. p. 121. Tab. 14.

57) J. P. Frank l. c. p. 132.

58) Wasserberg apud Plenk l. c. p. 121. in nota.

59) E. c. apud anatomicos, apud lotrices (Willan op. c. Tab. 12. f. 2).

60) Lorry l. c. p. 460.

61) E. c. apud pistores (Willan l. c. Tab. 13).

62) Brachium Principis K. . . nonnullis retro annis P. adustum, porrigine coopertum vidi.

63) Swediauer Op. c. Vol. II. p. 226.

64) Hanc Lorryi observationem (l. c. p. 461) saepe confirmatam habeo.

65) Nonnullas feminas, tempore menstruorum porrigine capitis laborantes, cognovi.

puerperium, convalescentia ex morbis acutis [66]) et plethora cutanea [67]). Caussae hujusmodi nexum inter epidermidem et cutem auferre, reticulum mucosum inflammare, ac gluten sive adipem pervertere videntur.

§. XCI.

Diagnosis. Prognosis. Cura.

Diagnosis. 1. Duce definitione, ad porriginem neque desquamationem, quam miliaria, erysipelas, scarlatina, morbilli, rubeola, erythema, herpes, tinea capitis, lepra Graecorum, et pellagra offerre solent, neque secessum epidermidis cutisque in gangraena, in bullis, in zostere, in pemphigo, in raphania, revocamus. Nisi enim principium aliquod stabiliatur, plane impossibile est, hanc in ordinem componere doctrinam, nullibi enim major apud scriptores de morbis cutaneis confusio occurrit, quam relate ad morbos cum desquamatione. Egregii Willani perscrutationes, utpote subtiles nimis, eam difficiliorem ac magis intricatam reddidisse videntur. Enim vero si divisio porriginis in *siccam* et *humidam* jam pro superflua habeatur [68]), quid de illius sextupla subdivisione dicendum

66) P. I. Vol. I. §. XLIX. 9.

67) A porrigine rebelli liberata fuit nobilis virgo C. dum fonticulus, profunde nimis operatus, largae haemorrhagiae locum dederat.

68) J. P. Frank l. c. p. 128.

dum erit? Et huic addi posset porrigo *interna*, uti testatur sedimentum furfuraceum in urinis [69]) et secessus membranae internae oris et intestinorum in aphthis et dysenteriis [70]).

Prognosis.

2. Si porrigo, reconditae diatheseos herpeticae, scrophulosae, leprosae, syphiliticae, effectus, excipiatur, malum de quo agitur non solum levioris momenti, sed interdum et salutare est. Compertum enim habetur, adventante porrigine, dolores rebelles columnae vertebralis [71]), graves cephalalgias [72]), rebelles surditates [73]) et mala nervosa [74]) debellata fuisse.

Cura.

3. Pro varia cutis in porrigine conditione, nunc *emollientia*, *balnea* scilicet *tepida* cum lacte, *fotus* ope decocti radicis altheae officinalis, sive herbae malvae rotundifoliae, *unctio* cum adipe suillo

69) HIPPOCRATES Aph. lib. IV. aph. 77. de natur. hum. sect. 26 in fine. — Epidem. lib. V. c. 8. No. 17.

70) J. P. FRANK l. c. p. 130.

71) HIPPOCRATES Prorrh. et 2. c. 36.

72) WELSCH in hecatost. obs. physic. med. — hecatost. 2. obs. 65. p. 38.

73) RIEDLIN lin. med. an. 6. Novembr. mensis die 6. p. 1253.

74) Pluries in hysteria et hypochondriasi eruptionem porriginis, pro tempore saltem, terminum malorum stitisse, observavi.

suillo recenti [75]), aut cum oleo olivarum; — nunc lenia *irritantia*, uti saliva [76]), urina [77]), aqua marina, — nunc *narcotica* e. c. decoctum humuli lupuli [78]), oleum hyosciami nigri cum opio [79]), — nunc *acria*, e. g. tinctura meloes cantharidum [80]), sulphas zinci [81]), — nunc *antiphlogistica*, hirudines videlicet; cucurbitulae scarificatae praescribendae sunt.

75) Lorry l. c. p. 248.

76) Porrigo, inprimis faciei, saepe hoc populari remedio mane jejuno ventriculo deprompto, sanatur.

77) Aetius tetrab. I. serm. 2. p. 108.

78) Alex. Trallianus l. c.

79) J. P. Frank l. c. p. 137.

80) Idem l. c.

81) Boennecken in Nov. act. phys. med. Nat. Cur. T. I. obs. 50. p. 200.

Cap. XXII.

Cap. XXII.

De Rhagadibus, Callis, Cornuis Cutaneis,, Ichthyosi et Hystriciasi.

§. XCII.

Rhagades.

1. Cutis externae fissura abnormis et sicca, *rhagos* dicitur [82]). Definitio.

2. Rhagades, labia oris [83]), papillas mammarum, labia vulvae, praeputium, anum, palmas manuum, plantasque pedum occupare solent. Sedes.

3. Caussae rhagadum sunt: ad os — frigus, inprimis siccum; ad papillas mammarum — suctio prolis valida et nimis repetita; ad genitalia — syphi- Caussae.

82) *Synon.* Fissura, rima, scissura, Vid. Hampe Diss. de rhagadibus. Argent. 1678. — Germ. *Schrunden, Hautspalten, Ritze.* Gall. *Rhagade, gercure, fente en crevasse de la peau.* Angl. *Chaps, clefts, or fissures in the skin.* Ross. Трещины. Polon. *Rozpadling.*

83) Non agitur de labio leporino.

philis; ad reliquas partes — vitium leprosum, depositio caussae arthriticae [84]), ariditas cutis a transpiratione deficiente, uti in senio, diabete et aliquando in mania.

Divisio. 4. Sunt qui *rhagades* in *simplices* et *complicatas*, hasque iterum in rhagades cum phlogosi et dolore et in rhagades cum callositate dividunt [85]). Majoris momenti divisio in *primarias* et *symptomaticas* est.

Prognosis. 5. *Rhagades oris* et *papillarum mammae*, facile evanescunt; nec Plenkio, contrarium de *rhagadibus venereis* contendenti [86]), assentimur. *R. leprosae* fere insanabiles sunt; *arthriticae* haud raro cum emolumento prorumpunt.

Cura. 6. *Rhagades a caussa externa*, butyro cacao aut linimento demulcente illiniuntur. *R. venereae* curam potius generalem quam localem expetunt. *R. leprosae* vel aliae rebelles, praecipue ad manus, lixivio cinerum communium lavari, aqua destillata ablui et unguento ex partibus aequalibus axungiae vervecinae, cerae albae, succo pomorum et oleo, composito, illiniri queunt, non neglecto chirotecarum usu [87]). *R. arthriticae* vel naturae committuntur, vel decocto herbae *scandicis cerefolii*

84) Huc pertinere videntur *rhagades anonymae* Plenkii (l. c. p. 156).

85) Swediauer op. c. Vol. II. p. 645.

86) L. c. p. 155.

87) Theden *Bemerkungen*. 2. Thl. p. 262.

folii tum intus sumto, tum extus applicito [88]) curantur. *Rhagadibus ex deficiente transpiratione* balneis et antimonialibus occurritur.

§. XCIII.

C a l l i.

1. Mutatio epidermidis et membranae mucosae in substantiam albescentem, duram, crassam, sensuque orbatam, *callus* dicitur. Definitio.

2. Callositates ad aures, ad cristam ilii, ad palmas manuum, ad plantas digitosque pedum occurrere solent. Hic *clavi* obtinent nomen [89]). Sedes.

3. Ansam porrigunt *callis aurium* — annuli auriculares, decubitus diuturnus in unum latus [90]); *cristae ilii* — strophia [91]); *manuum* — labores Canssae.

88) Andry Orthopedie T. I. p. 202. — Intus succus expressus ad unciam unam cum seri lactis libra una, quotidie exhibetur.

89) Tylosis a Graec. Τυλος, clavus. Swediauer Op. c. Vol. II. p. 595. — Germ. *Hühnerauge, Leichdorn.* Gall. *Glous, le cor, cors aux pieds.* Ross. Мозоли. Polon. *Nagniotki.* — Legi merentur: Wedel Diss. de clavo pedis. Jen. 1675. — Lion *Treatise upon spinae pedum (corns), with plates.* London 1802. — *Medical facts and observations.* Lond. Vol. 8. No. 3. — *Auserlesene Abhandlungen von* Leske 2. B. 1s St. — 4. B. p. 175.

90) Hippocrates de morbis mulierum L. II. c. 20. edit. Chart. T. VII. p. 808.

91) Plenk l. c. p. 136.

labores graves, tractatio instrumentorum rudiorum; *pedum* — gressus denudatis pedibus inprimis super arenam calidam [92]), calcei angusti; in *genere* — repetita applicatio sive acidi sulphurici [93]), sive sulphatis aluminis et potassae [94]), nec non depositio caussae arthriticae.

Divisio. 4. *Clavi* in *superficiales* et *profundos* dividi solent. Illi, in epidermide et externa cutis superficie plerumque mobiles resident; hi, ipsam cutis substantiam, tendines et periostium, immobiles, occupant, ac nucleo duro in medio instruuntur. Diutius continuata pressione, cutis vicina in orbem inflammatur, tractis non nunquam in consensum glandulis lymphaticis nervisque [95]) vicinis. Ad clavos profundos et ille qui *sub ungue* latet, eamque cum maximo dolore sublevat, pertinet.

Prognosis. 5. Callositates manuum et inprimis apicum digitorum, tactui, ac clavi pedum, gressui obstant. Utraque vel sponte, interdum accedente suppuratione [96]), evanescunt, vel extirpatione auferri queunt, quam operationem, incaute susceptam, aliquando tetanus, cancer fungosus [97]), gan-

92) Haller element. Physiolog. T. V. p. 53.

93) Deslandes (*Bremisches Magazin.* 1. B. p. 665).

94) Solutione aluminis ab igne se defendisse fertur *vir* sic dictus *inconflagrabilis.* (*l'homme incombustible*).

95) Muralt *chirurgische Geschichten.* No. 103.

96) Act. Nat. Cur. Vol. IX. obs. 89.

97) Plenk l. c. p. 135.

gangraena [98]), ipsa denique mors [99]), secuta sunt. Callis pedum facile rhagades, maximos dolores excitantes, super accedunt.

6. *Calli manuum*, praevia maceratione in aqua tepida, *unguento camphorato* [100]) illiniuntur, aut succo *chelidonii majoris* vel *vesicatorio*, vel *caustico* [1]), vel ipsa ustione [2]) destruuntur. *Clavi* unguento demulcente et balneo pedum emolliri, ac dein caute et lente vel cultro, vel unguibus exstirpari debent. Locus denudatus, cera, vel emplastro custodiente, cooperitur. Sunt qui clavo, emplastrum vel ex *cera*, *gummi resina heraclei gummiferi* et *viridi aeris* [3]), vel ex *mercurio* [4]), aut folia *sedi* sive *semper vivi tectorum* in aceto macerata [5]) imponunt. Callus pedum rhagadibus stipa- Cura.

98) Duo hujusmodi exempla J. P. Frank obvenerunt.

99) Borelli observ. cent. I. No. 82. — Heister epist. de morte Silli Italici, celebris poetae et oratoris, ex clavo insanabili. Helmstädt. 1734.

100) Cap. XVIII. §. LXXXIII. 2. (3).

1) Carlisle in *medical facts and observations*. Vol. 7. No. 3.

2) Paul Aegineta Lib. VI. c. 87. — Severinus de efficaci medicina. p. 266.

3) Mareschal de Rougeres in *Journal de médecine* T. 40. p. 449.

4) Camper *von der besten Forme der Schuhe*. Berlin 1783.

5) Plenk l. c. p. 136.

stipatus, partibus aequalibus *unguenti suboxyd. hydrargyri* 6) et *camphorati*, curatur. Inflammatio clavum ambiens, primum *acetatem plumbi liquidam*, ac dein, si dolores valde urgeant, aut suppuratio immineat, *cataplasma emolliens*, in gravissimo malo *hirudines* et *opium* exposcit. Latente *clavo sub ungue*, praemisso balneo, unguis mollis redditur, et dein forfice ad utraque clavi latera scinditur, quo facto, elevata ungue, extirpatur clavus, quae singula exactissime a CAMPER 7), ROUSSELOT 8), TARDIEU 9), LAFOREST 10) et RICHTER 11) describuntur.

§. XCIV.

Cornea cutanea. Ichthyosis. Hystriciasis.

Definitiones. 1. Excrescentiae callosae, sive verrucosae, unguium structuram aemulantes, valde protuberantes, mobiles, *cornua cutanea* vocantur 12). *Ichthyosis* 13) dicitur textura integumentorum corporis squamosa, dura, interdum fere cornea. *Hystriciasis*

6) Unguentum mercuriale sive Neapolitanum.

7) L. c.

8) *Méthode certaine sur le traitement des cors.* Haye. 1762.

9) *Toilette des pieds.* *Paris* 1769.

10) *Von der Wartung der Fusse,* Leipz. 1783.

11) Op. c. 1. B. p. 428.

12) *Keratiasis* a GRAEC. Κέρας, cornu.

13) GERM. *Fischschuppenausschlag.* ANGL. *Fish-skin.* — Describitur

ciasis [14]) est status sub quo cutis humana hystricis instar setes sive aculeos exhibet.

2. *Cornua cutanea* ad caput [15]), ad mentum [16]), ad lumbos [17]), ad crura [18]) et ad reliquas su- Sedes.

Describitur a PANAVOLO, Pentecost. 5. obs. 9. — a STALPARTO VAN DER WIEL obs. 35. cent. 2. — a WILLANIO l. c. p. 143. a BRAMBILLA *in Abhandlungen der Josephinischen medicinischen Akademie.* 1. B. p. 371; — ab ALIBERTO op. c. Tab. XXXVII. sub nomine: *icthyose nacrée.* Vidi simile prorsus exemplum Vilnae a. 1814. Tria alia describuntur a cl. SPANGENBERG in HORN's *Archiv für medic. Erfahrung.* 1812. *März. April.* p. 278.

14) GALL. *hommes porcsepics.* Describitur hystriciasis in *Journal encyclop.* 1756. T. 2. Part. 3. p. 119. — in *Philosoph. Transactions* 1731. No. 424. 1755. Vol. 49. p. 21. — a BUFFON *allg. Naturgesch.* Berlin 1774. 4. B. p. 223. — a SCHREBER: *Säugethiere.* Erlang. 1775. Th. 1. p. 11. — a TILESIO *ausführliche Beschreibung und Abbildung d. beiden Stachelschweinmenschen.* 1802. — a BLUMENBACH et ab AUTHENRIETH in VOIGTS *Magazin der Naturkunde.* 3. B. 4s St. p. 687. et 4. B. 3s St. p. 287. — Ipse a. 1803 fratres, JOANNEM et RICHARDUM LAMBERT, stupenda hystriciasis exempla referentes, Parisiis vidi. Habetur delineatio apud ALIBERT op. c. Tab. XXXVIII. sub nomine: *Icthyose cornée.*

15) BARTHOLIN hist. anat. rara. Cent. I. hist. 78. p. 128. f. e.

16) FAB. HILDANUS obs. med. chirurg. Cent. 2. obs. 25.

17) DUMONERAU, *Journal de médec.* T. 14. *février* 1761.

18) Idem l. c. — CORRADORI *osservazioni fisiologiche sopra due corni umani.* Prat. 1799.

superficiei partes [19]) visa sunt. *Squamae* piscium vel serpentium more, nunc solas extremitates, nunc universam cutim, excepta superficie interna articulationum, manuum, cubiti, crurum, occupare solent. *Setae* sive *aculei* plus minus ubique prominent.

Caussae. 3. Cornua cutanea [20]), ichthyosis et hystriciasis [21]) plerumque vitia sistunt haereditaria, congenita, vel primis a nativitate mensibus evoluta. Ichthyosis apud populos PARAGUAY endemica dicitur [22]). Praeterea cornua ab ictu sagittae [23]), a vulnere

19) SCHENK obs. 22. 23. — MANGANETTA in Misc. N. C. dec. I. a. 1. obs. 30. — *Journal de médecine*. T. 10. p. 216. — LOKE in LESKES *auserl. Abhandl.* 1. B. p. 341. — *Repertorium medic. und chirurgischer Abhandlungen f. prakt. Aerzte und Wundärzte.* 2. B. p. 259. — *Medical facts and observations* 1792. Vol. 3. No. 12. — SANDIFORT museum anatomicum. Vol. I. sect. 3. No. 203. sect. 5. No. 99. — *Gazette salutaire de Bouillon* 1788. — HUFELAND's *Annalen der franz. Arzneykunde* 1. B. p. 447.

20) AMAT. LUSITANI Curat. medicin. Venet. 1566. cent. I. curat. 51. — PARACI op. chirurg. Lib. 24. cap. 2. — RIVERII obs. med., obs. 18. SCHENK l. c. obs. 20.

21) WILLAN l. c.

22) BUFFON l. c.

23) ZACUT. LUSITANUS de medicorum princip. histor. Lib. II. hist. 4.

vulnere per novaculam inflicto [24]), ab arthritide [25]), originem duxisse compertum est.

4. Mobilitas, cornua cutanea, ab excrescentiis osseis (exostosis, hyperostosis) immobilibus, abunde distinguit. **Diagnosis.**

5. Cornua cutanea aliquando critica [26]) interdum sponte decidunt [27]) ac saepe rescindi queunt [28]). Squamae et aculei dum decidunt de novo generantur. **Prognosis.**

6. *Cornua* vel *acido nitrico*, vel *solutione* sive *nitratis argenti*, sive *muriatis antimonii*, quibus basis eorum saepe illinitur, auferuntur. Squamae et aculei curam, praeter balnea tepida, quorum ope pro tempore decidunt [29]), haud admittunt. **Cura.**

24) Vicq d'Azyr *histoire de l'Academie de médec. à Paris* 1780 et 1781. Vol. 6.

25) Richter in Loders *Journal f. die Chirurg.* 1. B. p. 441.

26) *Gazette salutaire* l. c.

27) Dumonerau l. c.

28) Idem l. c.

29) Alibert op. c. p. 169.

Cap. XXIII.

De Verruca et Condylomate.

§. XCV.

Verruca.

Definitio. 1. Excrescentia cutis, dura, inaequalis, diversae figurae et magnitudinis, *verruca* dicitur [30]).

Sedes. 2. *Sedes* communis verrucarum manus et facies est; at occurrunt, vel ad mammas [31]), ad dorsum [32]), ad praeputium [33]), ad glandem [34]), nec non universum super corpus [35]).

Formae. 3. Species verrucarum ex ipsarum forma desumptae sunt: 1. V. *vulgaris* seu *topica*, tuberculum scilicet basi et apice aequali, varias corporis partes

30) Acrochordon a Graec. Ἀκροχορδών. Germ. *Die Warze.* Gall. *Des verrues, tannes, poirceaux.* Angl. *Warts.* Ross. Бородавки. Polon. *Brodawka.*

31) Wasserberg in nota ad Plenkii op. cit. p. 137.

32) *Salzburg. med. chirurg. Zeitung* 1794. 3. B. p. 111.

33) *Neue Samml. medic. Wahrnehmungen.* 8. B. p. 192.

34) Fabr. Hildanus obs. cent. 3. obs. 88.

35) *Morbus verrucosus.* Pechlin Lib. II. obs. 42. — Rheinhard historia singularis cutis turpitudinis. Lips. 1793.

partes occupans et sponte abiens, — 2. *V. pensilis* apice nodosa et caule subtili cuti adhaerens, — 3. *V. filiformis*, nodulo ad apicem orbata, instar fili longitudine nonnullarum linearum, collo, aliisque partibus alligata, — 4. *V. sessilis* seu *porrum*, cuti profunde insidens, parum elevata, — 5. *V. rhagadoidea*, id est *porrum*, saepe voluminosum, fissuras sive stigmata setarum evulsarum exhibens, — 6. *V. carnea sive mollusca* prominentia tenuis, mollis, sensilis, cuti concolor, rubicunda, interdum pilis obsessa, nonnunquam thymi corymbos referens [36]), — 7. *V. madida* seu *myrmecium* glabra, humida, parum dura et 8. *V. gregalis* catervatim faciem et manus obsidens, sponteque evanescens.

4. *Caussae* verrucarum, magna ex parte caligine circumdatae sunt: vitium haereditarium [37]), congenitum, commercium cum vaccis [38]), cum gallinis [39]), attactus partium genitalium, inprimis feminearum [40]), suppressio menstruorum, syphilis etc. Caussae.

5. Ver-

36) GRAEC. Thymion.

37) Verrucam molluscam in eodem brachii loco apud filiolam, quo apud matrem erat, conspexi.

38) Observatio est JENNERI, mihi a. 1803 Londini tradita.

39) KRETSCHMAR in HORNS *Archiv f. medic. Erfahrung*, 1. B. p. 228.

40) HUFELAND's *Journal der prakt. Heilkunde*. 9. B. 3s St. p. 183.

Diagnosis. 5. Verrucae ex vitio totius corporis pullulantes inprimis attentionem nostram ad se trahunt. Plerumque eae faciem, nasum et palpebras occupant, colorem ab initio bruneum, subnigrum, dein plumbeum aut rubicundum referunt, atque tractu temporis, adventante dolore, in ulcera, mali quidem moris, at vix cancrosis, pro quibus declarari ea solent [41]), transeunt. Enim vero cum, Leurs [42]), verrucas dari carcinomaticas, dubitamus, ac excrescentias pro cancrosis habitas, potius pro *glandulis cutis scirrhosis* [43]), a verrucis ob majorem duritiem, ob situm profundiorem et in partibus glandulosis, ob basin superficie ampliorem, ob lentum tandem incrementum, distinctis, habemus. *Verrucae venereae*, basi apice minores, cuti concolores, superficialiter ad faciem, mentum et genitalia, adhaerere solent [44]).

Prognosis. 6. Verrucae vel sponte evanescunt, vel sat facile auferuntur, at, utroque in casu, haud raro recrudescunt.

7. Cu-

41) Devens Diss. de fungo cancroso ex verruca orto.

42) *Vom Krebs.* (*Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 18. B. p. 195).

43) Huc *tubercula subcutanea* revocarem, de quibus Wood scripsit: *On painful subcutaneous tubercle* (*Edinburgh medical and surgical Journal.* Vol. 8). De memorabili hoc morbo lege et *Götting. gelehrt. Anzeigen.* 30s St. *den* 20. *Febr.* 1813. p. 299.

44) Pearson on cancerous deseases. (*Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte* 16. B. p. 645).

7. *Cura localis* verrucarum consistit: 1. *in ligatura*, ope fili sive setae equinae, inprimis adversus V. pensilem adhibenda, — 2. in *rescissione*, — 3. in *causticis* e. c. acido muriatico [45]), nitrico [46]), sulphurico [47]), nitrate argenti fuso [48]), potassa pura [49]) et sulphate cupri [50]), quibus verrucae vel illiniuntur, vel tanguntur; — 4. in *rebus acribus* eodem pacto adhibendis e. gr. succus foliorum chelidonii majoris [51]), Euphorbiae [52]), folia juniperi sabinae [53]), fici [54]), cepae [55]), sapo niger [56]), murias ammoniae [57]), fel, praecipue piscis cyprini [58]), cerumen aurium [59]), tinctura meloes cantharidum [60]), gummi heraclei gummi- Cura.

45) Heisters *Wahrnehmung*. 1. B. No. 663.

46) Plenk l. c.

47) Riverius obs. communior. p. 674.

48) Heister l. c. No. 274.

49) Fabric. Hildanus cent. 6. obs. obs. 79.

50) Heister l. c.

51) Zacut. Lusitan. prax. admir. L. I. obs. 73.

52) Wedel Diss. de verrucis. Jenae 1696.

53) Murray *med. prakt. Biblioth.* 3. B. p. 244.

54) Riverius l. c.

55) Monconys *Voyages*. 5. Vol. p. 89.

56) Baldingers *neues Magazin für Aerzte* 10. B. p. 157.

57) *Gazette salutaire de Bouillon*. 1791. No. 26.

58) Reusner obs. 129.

59) Plenk l. c.

60) Van der Haar (*Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte* 1. B. 1s St. p. 38).

miferi in aceto solutum [61]), ne dicamus 5. *remedia sympathetica* e. c. sanguinem sive anguillae [62]), sive menstrua [63]), splendorem lunae [64]), attactum cadaveris [65]), aliaque plane absurda. *Verrucae e vitio universali* pullulantes pro re nata alvum purgantibus, regimine antiphlogistico [66]), aquis ferruginosis, mercurio, curantur. Ulcera, verrucarum reliquiae, unguentum vel carbonum, vel magnesii exposcunt.

§. XCVI.

Condyloma.

Definitio. 1. Excrescentia carnea, subdura sive mollis, humidaque, *condyloma* dicitur [67]).

Sedes. 2. Condylomata maxime in partibus genitalibus, ad balanum scilicet, ad labia vuluae, aut circa anum, sed et ad partem capillatam capitis, ad

61) Heister l. c. No. 663.

62) *Berliner Sammlung.* 1. B. p. 90.

63) Weickard Thesaur. Pharmaceuticus. Lib. IV. p. 613.

64) Junkers *Chirurgie* p. 232.

65) Eph. N. C. Dec. II. an. I. obs. 2.

66) Schmalz in Loders *Journal für die Chirurgie* 2. B. p. 701.

67) *Sycosis* a Graec. Σῦκον, ficus. Germ. *Feigwarzen.* — Gall. *Condylomes, chou-fleurs.* — Ital. *Porri fichi.* — Anglice. *Condyloma.* — Ross. Чижи. — Polon. *Szyszki.*

ad marginem capillitii [68]), ad barbam aliaque ad loca obveniunt.

3. Condylomata *figuram* nunc fici, nunc cristae gallinae, nunc brassicae oleraceae etc. referunt. Formae.

4. *Caussae* condylomatum plerumque in vitio syphilitico, aut locali, aut universali, in haemorrhoidibus et in impuritate quaerendae sunt. Nec labes *cancrosa*, rite docente ALIBERTO [69]), hic excludenda est. Caussae.

5. *Condyloma venereum* sensu destitutum est, ac, si subdurum, humorem paucum, viscosum, — si molle, copiosum foetidumque, manat. *C. haemorrhoidale*, symptomata haemorrhoidalia socia habere, ac originem ex processu inflammatorio trahere solet. *Condylomata cancrosa* [70]), nunc ovalia, nunc cylindrica, rubra sunt, calentia, prurientia, dolentia, marginibus elevatis centro depresso. Diagnosis.

6. Condylomata haud difficulter abiguntur, at facile recrudescunt. Sub prava medela ac cachexia nonnunquam ulceribus mali moris ansam porrigunt. Prognosis.

7. *Condyloma venereum* vitium sistens locale ac satis prominens, optime cultro aufertur, aliàs metho- Cura.

68) *Samml. medic. Wahrnehm.* 4. B. p. 579.

69) Op. c. 113.

70) *Les cancroides* ALIB. vid. tab. XXVIII. Bis.

methodum antisyphiliticam universalem et caustica exposcit. *C. haemorrhoidale* forficibus securissime abigitur, nimis enim caustica, e. g, ut suadent, unguentum ex alumine usto, opio et oleo seminum lini, partes vicinas irritare solent. Quocunque in casu munditiei studendum est. *Condylomata cancrosa* extus, opio, sulphure, camphora, conio maculato, acetate plumbi, embrocatione, et interne, muriate oxygenato hydrargyrii, conio maculato, et aquis mineralibus, pertractata fuere *), at incassum. Maximum levamen balnea maritima attulerunt.

Cap. XXIV.

De Vitiis Unguium.

§. XCVII.

Historia. Variae Species.

Historia. 1. *Vitia unguium* [71]) plurimis scriptis occasionem dederunt, uti videre est apud Aetium [72]), Dios-

*) Alibert. l. c. p. 115.

71) *Caconychiae* a Graec. Κακῶς, vitiose, et ὄνυξ, unguis.

72) Tetrab. IV. Serm. 2. c. 79.

Dioscoridem [73]), Bartholinum [74]), Mercurialem [75]), Frankenaum [76]), Wernerum [77]), La Forestum [78]), Camperum [79]), Plenkium [80]) aliosque praesertim inter chirurgos.

2. Ad ungues vitiosos spectant, eorum *maculae*, *curvaturae*, *fissurae*, *tinea*, *mollities*, *lapsus* et *pterygium*. Species variae.

3. *Maculae unguium* sunt vel *albae* (*seline*), vel *coeruleae* (*ecchymoma unguis*). Maculae.

4. *Curvatura unguis* [81]), vel anterius, vel lateraliter contingit. Primo in casu unguis abnormem aliquando adipiscitur longitudinem [82]), in Curvatura.

altero

73) Facile parab. Lib. c. 131.

74) Epist. IV. p. 258.

75) De decoratione. c. 26.

76) Diss. de unguibus monstruosis. Hafn. 1776.

77) Diss. de unguibus humanis varioque modo quo possunt corrumpi. Lips. 1773.

78) *Ueber die Kunst die Füsse zu besorgen, a. d. Franz.* Leipz. 1788.

79) Op. c.

80) Op. c. p. 177.

81) *Onychogryposis* a Gr. Γρυπὸς, incurvus, et ὄνυξ, unguis.

82) Bartholinus Act. Hafniens 1671 et 1672. Vol. 1. obs. 16. p. 43. Tab. I. f. 2. — Hilling Misc. Nat. Cur. Dec. II. an. 1. obs. 160. Tab. VI. f. 8—11. — Schelhasen ibid. an. 3. obs. 162. Tab. V. f. 5. — Morgagni op. c. epist. 68. 6. — Lindani med. physiol.

altero digitum arctat (*arctura unguium*) accedente saepe exulceratione cutis cum *hypersarcosi*[83])

Fissurae. 5. *Fissurae unguium*, longitudinales sistunt unguium fissiones, nunc *cruentas*, nunc *siccas*.

Tinea. 6. *Tinea unguium*, erosio, saepe cum corruptela ulcerosa contingens, dicitur. Dividitur ipsa, in *siccam* (*scabrities unguium*) et in *humidam*. Ibi, unguis speciem cariei siccae, qua superficies illius aspera, friabilis, inaequalis, et substantia crassior evadit, patitur. Hic, unguis mollis, rugosus, hinc inde corruptus fit et saniem cruentam largitur.

Mollities. 7. *Mollities unguium* praeter quam quod utpote symptoma tineae humidae unguium in conspectum venit et per se locum habere potest. Tanta hoc in casu observatur unguium flexibilitas, ut, quin rumpantur, prout libet, curvari possint.

Lapsus. 8. *Lapsus unguium*, dicitur secessus spontaneus unguis ab uno alterove digito.

Pterygium. 9. *Pterygium unguium* est prolongatio sive excrescentia epidermidis super radicem unguis.

§. XCVIII.

siol. cap. XVI. §. 51. — *Breslauer Sammlung von Natur und Medicingeschichten.* 1725. p. 104. — Commerc. Litterar. Norimb. 1734. p. 173. — And. Bonn descriptio thesauri ossium morbosorum Hoviani. Amsterd. 1783. p. 145. — Saillant *mémoire sur la femme dite aux ongles.* Paris 1776. *Journal de médecine.* T. 51. p. 284.

83) Caro luxurians, fungosa.

§. XCVIII.

Caussae. Diagnosis. Prognosis. Cura.

1. *Seline* nunc ex carie sicca, nunc ex abscessulo sub ungue, — *ecchymoma* a pressura super unguem vel à contusione, vel a corporibus extraneis sub ungue introductis, oritur. *Onychogryposi*, neglectus munditiei sive abscissionis unguium, — et *arcturae*, resectio nimis profunda unguium calceique angusti, ansam porrigunt. *Fissura unguium cruenta*, ab instrumentis acutis, *sicca*, a lue leprosa sive venerea oritur. Hisce caussis ac praeterea laesioni radicis unguis sub laboribus gravibus, nec non *pulici penetranti* sese sub unguibus insinuanti, *tinea u.* originem debet. Idem de *mollitie unguium* aliquando in chlorosi observata dicendum est. *Lapsus unguium* interdum veneni effectum sistit. Caussae.

2. Consideratio unguium in morbis praesertim in paralysi [84]), sub frigore febrili, in hydrothorace, in chlorosi, in lepra et in plica, haud negligi debet. Vitia unguium caeterum satis ex dictis elucent. Diagnosis.

3. Unguium morbi, debito concesso tempore, plerumque medelam non excludunt. Saepius unguis lapsa, quamvis haud semper debita forma [85]) rege- Prognosis.

84) Loder *medic. chirurg. Beobacht.* Jena 1794.

85) Plenk l. c. p. 185. in not.

regeneratur, quod et de resecta digiti phalange fertur [86]).

Cura. 4. Ad *seline* et ad *cariem siccam* unguis curandam, pars affecta, donec macula evanescat, ope vitri raditur. Latente sub ungue obscessulo, facta cum cultro rasura, puri exitus procuratur. *Ecchymomati* fomenta ex oxycrata sive vino, non neglecta interdum extractione corporis peregrini, prospiciunt. *Curvatura* aut abnormis *unguis longitudo*, forfices vel serram exposcit. Praesente *arctura* dimidia unguis pars, donec margo illius lateralis promineat, vitro raditur, positis dein sub ungue filamentis carptis. Ulcus, si purum, aqua saturnina exsiccatur, alias detergens illi imponitur [87]). *Hypersarcosis* nitrate argenti fuso [88]) aufertur. Destituta debito effectu hac methodo, unguis a margine usque ad radicem scinditur ac illius in carnem intrusa pars, extrahitur [89]). *Fissurae u. cruentae*, conjunctio partium separatarum, — *siccae*, cura, caussae accommodata, mederi valet.

86) Tulpii obs. med. Lib. 4. cap. 56. p. 370.

87) E. c. R. Vini albi libram unam. Viridis aeris, aluminis, mellis aa. drachmas sex. Ebulliant paullo invicem et d. usui externo. (Baldingers *neues Magazin für Aerzte*. 3. B. 1s St. p. 26).

88) Lapis infernalis.

89) Bichat in Dessault *auserl. chirurg. Wahrnehmung*. 8. B. No. 242. — Dessault *chirurgischer Nachlass*. 2. B. 4. Th. p. 252.

valet. *Tineae siccae u.*, frustulum lardi, per nonnullarum hebdomadarum curriculum, superimponitur. *Tinea humida* et *mollities u.* saepe remediis universalibus e. c. vigente chlorosi, ferro [90]), curandae sunt. Parti a *lapsa unguium* denudatae, pulvis finissimus thuris sive masticis inspergitur, ac cera alba, unguis formam referente, cooperitur. In *pterygio unguis*, epidermis cultro obtuso ab ungue separatur, removeturque.

CAP. XXV.

De Vitiis Pilorum.

---

§. XCIX.

Generatim.

1. Crines humani, pili quadrupedum, plumae avium, tum physiologo, tum pathologo amplum investigationis offerunt campum. Introductio.

2. In eo excolendo praecipue PLEMPIUS [91]), GLISSONIUS [92]), MEIBOMIUS [93]), RONDELET [94]), Scriptores. WIT-

90) NIEMANN Diss. epistolica de foeda unguium mollitie puellae chloroticae, martialium usu feliciter curata. Magdeb. 1774.

91) De affectibus capillorum et unguium. Lovan. 1662.

92) App. med. anatom. Lugd. Bat. 1691. T. III. p. 47.

93) Diss. de pilis eorumque morbis. Helmstädt 1704.

94) Opp. — Cap. de alopecia ex morbo gallico.

WITHOFIUS[95]), SALWIKIUS[96]) et KNEITKOPFIUS[97]) insudarunt.

Varia vitia 3. Vitia pilorum sive colorem, sive copiam, sive figuram respiciunt.

Color abnormis. 4. Crines cerulei, virides [98]), vere flavi [99]) aut ante senectutem albi, abnormes declarantur.

Copia abnormis. 5. Abnormes declarantur et pili vel *inconsueta loca* occupantes, e. c. universum corpus [100]), faciem [1]), dorsum [2]), abdomen [3]), membranas cerebri

95) De pilo humano. Duisb. 1750.

96) Diss. de morbis pilorum. Frid. 1777.

97) *Von den Haaren.* Roth. 1777.

98) Tales apud homines cuprum pertractantes pluries conspexi. Vide et BARTHOLINUM (Histor. anat. cent. I. obs. 40. T. I. p. 65) et PAULLINI (misc. nat. Cur. Dec. II. an. 4. app. obs. 53).

99) RIEDLIN lineae medicae a. 1697. Feb. obs. 7. p. 88.

100) BARTHOLIN. l. c. cent. V. hist. 24. T. III. p. 41. — PLATER obs. med. Lib. III. p. 590. — VALISNIERI opp. Venet. 1733. Vol. II. p. 278. — BANG de monstro Hafniae nato 1767 in collect. Hafn. Vol. I. p. 92. Tab. 4. — BOSE de praeternaturali pilorum proventu. Lips. 1776.

1) *Breslauer Sammlung.* 1720. p. 672. Misc. N. Cur. Dec. II. an. 4. obs. 163. p. 348.

2) GILIBERT *Samml. prakt. Beobacht. übersetzt von* HEBENSTREIT p. 56.

3) OSIANDER *Denkwürdigkeiten aus der Geburtshilfe.* 2. B. 2s St. p. 407. *Journal général de médecine, chirurgie et Pharmacie* 1813. *Janvier.* Observante MARTIN: ex intestino recto crines pendebant.

rebri [4]), testiculos [5]), tumores [6]), ovaria [7]) — vel *copia* et pondere incommoda producentes [8]), vel longitudine formam laedentes [9]), vel deficientes.

Figura abnormes.

6. Ad crines *figura* peccantes pertinent capilli, vel praeter modum tenues [10]), vel sub forma setarum comparentes [11]), vel adipe sive oleo obliti [12]), vel apice fissi, bifurcati aut trifurcati [13]), vel inter se implicati ac intorti [14]).

Peculiaris consideratio.

7. *Canitiem* et *lapsum capillorum* peculiari examini subjiciemus.

4) Morgagni l. c. Epist. 24. 4.

5) Schaarschmidt *medic. und chirurg. Nachrichten Jahrg.* 3. p. 88.

6) Paconis et Pythagorae exercitat. anat. 83. — Sandifort museum acad. Lugd. Vol. I. sect. 3. p. 124.

7) Blancardi anat. pract. national. cent. II. obs. 27. — De la Fontaine *chirurg. medic. Abhandl.* — Acta mea Clinica. Vol. I.

8) Cephalea a nimia capillorum copia mihi pluries obvenit.

9) Collect. academ. T. III. p. 168.

10) *Leptotrichia* a Graec. λεπτὸς, tenuis, et θρὶξ. pilus.

11) *Chaitosis* a Graec. Χαίτη seta. (Obvenit apud infantes atrophicos ad dorsum, ad brachia etc.).

12) *Liparotrichia* a Graec. Λίπος et θρὶξ, pilus.

13) *Schizotrichia* a Graec. Σχίζω, findo, et θρὶξ, pilus.

14) *Trichoma* a Graec. Τρίχες, pili.

§. C.

§. C.

Canities.

Definitio. 1. *Canities* [15]) mutatio capillorum in colorem album ante legitimam aetatem, dicitur.

Symptomata. 2. Vitium de quo agitur, sane haud rarum [16]), vel ad extremitates, vel ad basin capillorum originem ducit. Citissime dein totus pilus, nunc in universum, nunc in parte tantum, canescit. Vel post mortem id contigisse fertur [17]).

Caussae. 3. Canities vitium sistit nunc haereditarium [18]), nunc congenitum [19]), nunc a morbis praegressis e. c. a cephalalgia, a terrore [20]), ab animi curis [21]), nunc a vitio leproso [22]), cancroso

15) *Poliosis* a Graec. Πολίωσις, canities. Germ. *graue Haare.* Gall. *Cheveux blancs.* Angl. *Greyhair.* Ross. Сѣдина: Polon. *Siwizna.*

16) Hannemann Misc. nat. Cur. Dec. II. an. I. obs. 69. — Voigtel op. c. 1. B. p. 89. — Zeiler Epist. cent. I. p. 17. — Plenk l. c. p. 242.

17) Gründel Eph. N. C. Dec. II. an. 8. obs. 103.

18) Zwinger Theatrum prax. medic. p. 369.

19) E. c. apud *albinos.*

20) Schenk obs. med. rarior. lib. I. de capite. Obs. 1. Hannemann l. c. an. 4. obs. 60. — Bonet medic. septentrional. collect. T. I. p. 10. — Doute, ergo canities a timore. Paris 1657. — *Fränkische Samml.* 4. B. p. 464. — Marc. Donatus de medica histor. mirabili p. 1.

21) Judaei poloni, continuis negotiis et curis obruti, citissime canescunt.

22) Cap.

so [23]), nunc a nulla evidenti caussa [24]) pendens. Quamvis crines cani radices minimas exhibeant [25]), attamen canitiem a defectu nutritionis sive ab exsiccatione medullae capillorum, ob id quod, inprimis ad barbam, aliorum crinium instar crescant, repetere nequimus.

4. Canities nequaquam in longaevitatem influit. Pili cani subinde iterum subflavescunt. **Prognosis.**

5. Ad retardandam canitiem nimia capitis velamenta, capillorum frequens evulsio [26]), lotio in aqua dulci, aërque crassus, calidus, vinum forte, repetitae indigestiones evitari, ac alvus rite aperta teneri debet [27]). Et caro viperina, et frequens masticatio *myrobalanorum chebulorum* [28]), hic laudantur. **Cura.**

23) Withoff l. c. p. 387.

24) *Memoirs of the medical society of London* 1792. Vol. 3.

25) Withoff l. c.

26) Hippiatri stellas albas in equis per frequentem evulsionem crinium faciunt. (Mercurialis l. c. cap. 6).

27) Mercurialis l. c.

28) R. Mirobalanorum nigrorum absque nucleis drachmas quadraginta. Gingiberis, amios āā drachmas decem. Irrorentur cum butyro et deinde distemperentur cum penidiis ad quantitatem mediae partis totius medicaminis. Deglutiatur saepe drachma una hujus confectionis.

dantur. *Modus* canitiem *occultandi* apud Mercurialem [29]) et Forestum [30]) addisci potest.

§. CI.

Lapsus. Pilorum.

Scriptores et divisio.

1. *Lapsus pilorum*, de quo Heiland [31]), Ampfing [32]), Sand [33]), Pfeiffer [34]), Heister [35]), Gensel [36]), Delius [37]), Horstius [38]) scripserunt, varias in species dividi solet [39]).

Madesis.

2. *Madesis* [40]) pilorum vel capillorum dicitur lapsus transitorius, paulatim et sparsim ita factus, ut pili, nulla in totum denudata parte, tantum rariores evadant.

3. *Alo-*

29) L. c.

30) Lib. VIII. c. X. obs. 10.

31) Diss. de calvitie. Francf. 1602. — Ejusdem Diss. de alopecia et omphiasi. ibid. 1612.

32) Diss. de alopecia et omphiasi. Rostock. 1676.

33) De areae generibus, alopecia et omphiasi. Regiom. 1683.

34) Diss. de calvitie. Budae 1783.

35) *Chirurgische Wahrnehmungen* p. 159.

36) Eph. N. C. Cent. I. 3. an. 1715. obs. 137.

37) Nov. Acta physc. med. N. C. T. I. obs. 25.

38) Obs. singular. Lib. II. obs. 28. et annot. medic. physic. Wratislaw. tentam. XI. p. 210. et XIII. p. 335.

39) Swediauer l. c. p. 764.

40) A Graec. Μάδησις, pilorum defluvium transitorium.

3. *Alopecia*[41]) pilorum capitis, vel barbae aut supercíliorum defluvium sistit, relicta area instar vitii, cui vulpes annosiores saepe subjectae sunt. Alopecia.

4. *Ophiasis*[42]) capillorum est defluvium, forma serpentina. Vitium quandoque ab occipite utrinque ad aures usque extensum serpit, latitudine duorum fere digitorum transversorum, aliquando etiam ultra aures ad ipsam frontem usque ascendens. Ophiasis.

5. *Phalacrosis*[43]) defluvium nuncupatur capillorum, potissimum a sincipite, permanans; seu glabrities capitis ex lapsu capillorum non renascentium. Phalacrosis.

6. Lapsus capillorum, ne de artificiali[44]), vel fortuita crinium evulsione loquamur, sequentes agnoscit caussas: vitium haereditarium[45]), congenitum Caussae.

41) A GRAEC. Ἀλωπηξ, vulpes.

42) A GR. Ὄφις, serpens.

43) A GR. Φαλακρότης, calvities, — GERMAN. *Kahlkopf*, — GALL. *Chauveté*, — ANGL. *Blad head*, — ROSS. Лысина, — POLON. *Łysina*.

44) ARETAEUS in morbis soporosis evulsionem capillorum ad excitandos aegros commendat; cujus operationis discrimina comprobat STALPARTUS VAN DER WIEL (Obs. rar. T. II. obs. 8. p. 59).

45) HIPPOCRAT. lib. de aëre, locis et aquis. — PROCOPIUS de morbis haereditariis. Erlangae 1758. §. 55. — ROUGEMONT *über die erblichen Krankheiten, aus dem Franz.* Frankf. 1794. p. 80. — TOURNEFORT *Voyage au Levant*. T. I. p. 333.

nitum [46]), epidemicum [47]), febres, cephaleas, erysipelas capitis, puerperium, phthisin, atrophiam, diarrhoeam, venerem nimiam [48]), studia [49]), curas, syphiliden [50]), lepram, tineam capitis, plicam, pediculos, ferrum ad crispandos capillos calide nimis admotum, acuum comatoriorum abusum [51]), neglectum mitellae nocturnae, pulverem cyprinum calce mixtum, venena [52]), mercurium [53]) et ignotam demum corporis dispositio-

nem

46) Danz in Starks *Archiv für die Geburtshilfe*. 4. B. p. 684. Augustin in ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΟΝ *Jahrgang* 1812. 3s *Heft*.

47) Seb. Egberti apud Swediauer l. c. p. 765. in nota.

48) Auctor libri Hippocratis: de natura pueri. Aristoteles problematum sect. 4.

49) Synesius prudentiam et pilos inimicitiam habere asserit (Libro de calvitie). Lege et *Gazette de France* 23 *Feb.* 1763.

50) Morgagni op. c. Epist. 46. 2.

51) Plurimae Insubriae Rusticae ophiasi laborant, quod maxime ex usu capillos ope acuum majorum comatoriorum connectendi repeti posse arbitror.

52) „Defluit expulsus morbo latitante capillus,
„Si vero lavetur, seu vis epota *veneni*,
„Seu salamandra potens nullisque obnoxia flammis
„Eximium capitis tactu dejecit honorem.“

53) Forestus l. c. obs. 5.

nem [54]), feminis [55]), spadonibus [56]), et coecis natis [57]), vix unquam propriam.

7. In diagnosi lapsus pilorum, inprimis determinari debet, utrum malum ex vitio locali aut universali pullulet? Hoc ultimo in casu signa variarum diathesium, inprimis leprosae et venereae, perpendenda sunt. Latens adhuc lepra, interdum per peculiarem aegri physiognomiam cognoscitur. Defluvium pilorum syphiliticum (*Pilarella*, *Pelada*) potissime barbam et supercilia afficere solet. Tandem sciendum est, lapsum capillorum, in juvenibus robustis, succi plenis nonnunquam plethorae originem debere [58]). Diagnosis.

8. Defluvium pilorum sub morborum curriculo signum lethale constituit [59]). Madesis convalescentium tertio circiter a lapsu capillorum mense reparari solet [60]). Lentius supercilia crescunt [61]). Prognosis.

Vari-

54) Heister in Misc. N. C. Dec. I. an. 2. obs. 103.

55) Galenus 6. Aphor. 27. — Aristoteles 5. de generatione animalium. c. 3. — Feminam tamen formosam ac sanam absoluta phalacrosi laborantem vidi.

56) Aristoteles l. c. sect. X. probl. 56. — Slevogt Diss. de spadonibus. Jenae 1690. — Withoff Diss. de castratis. Lausan. 1762.

57) Aristoteles l. c. sect. XXXI. probl. 5.

58) Forestus l. c. obs. 3.

59) Hippocrat. 5. Aphor. 11. et 12.

60) Haller Elem. Physiol. Vol. V. lib. XII. sect. 1. p. 38.

61) Haller l. c.

Varices calvitiei obstare [62]), falsum est. Ophiasis facilius quam alopecia curatur. Lapsus crinium senilis, leprosus, et ex destructione bulborum oriens, insanabilis est; ille ex caussa venerea aut ex tinea, devicto morbo primario, sanationis spem relinquit. Detracta licet cute capillus renasci potest, quem vero cicatrix locum defoedat, hunc pilus nec unquam ornabit [63]). Idem si pallida aut insensilis fuerit area, accidit [64]).

Cura. 9. Veteres medici hypothesibus scholae Galenicae addicti, defluvium pilorum, tum regimine diaetetico, tum remediis localibus, curare sategerunt, ac revera, syphilide excepta, vix auxiliis universalibus locus conceditur. Abstinentia a cibis flatulentis, a caseo, a baccho et venere, atque diaeta demulcens facilis digestionis e. c. cerebella animalium, jura gallinarum et caponum, maxime commendabantur [65]). Cura localis ab evulsione crinium forte corruptorum orditur [66]). Pars dein, nisi agatur de convalescente aut de aegro plicoso, raditur, ac ita linteo aspero perfricatur

62) Hippocrat. 6. aphor.

63) Haller l. c.

64) Zacut. Lusitan. op. c. lib. VII. c. I. p. 5.

65) Forestus l. c. obs. 8.

66) „Sicuti agricolae prius radices putridas et inutiles auferunt, antequam semina terrae committant." *Mercurialis* l. c.

tur, ut cruor in conspectum veniat [67]). Sunt qui cum *cepa* [68]), aut cum *pulvere apum* [69]) frictionem instituunt. Latente plethora, vel cutis siccitate, potius lotio ex decocto herbae malvae ac dein unctio ope olei seminum lini, amygdalarum et olivarum conducit [70]). Permulta alia ad pilos revocandos commendata fuere, e. c. *oleum anethi, myrtillorum, therebinthinae; adeps viperae, ranarum, ursi; axungia* vetus sed praecipue derasa axibus rotarum; fex ampullae lucernariae, *pix* liquida aut sicca, oleo liquefacta; *sulphur, cinis tithymelorum, muscarum, murium, ranarum, scarabeorum, ostreorum*, salsorum piscium, amygdalarum amararum, cum oleo, aqua prima mellis, urina, cataplasma ex stercore animalium, ex muscis tritis, inter quae remedia communi consensu *gummi ladanum* primum occupat locum. Si pars radi nequeat, aqua ex connubio limacarum rubrarum et sale emergens [71]), aut oleum in quo ladanum, absynthium, baccae juniperi contusae linteo ligatae, per quinque dies infusa et dein expressa fuere [72]) madesi obstant. — Ad pilos abnormes eradi-

67) Hallerus l. c.

68) Forestus l. c. obs. 6.

69) Ibid. obs. 1.

70) Ibid. obs. 8.

71) Ibid.

72) Hallerus l. c.

eradicandos, unguentum ex auripigmento, calce viva et melle, adhiberi solet Nisi locus hirsutus amplus fuerit, applicatio *succi herbae chelidonii majoris* conducit.

Cap. XXVI.

De Strophulo.

§. CII.

Definitio. Historia. Formae. Caussae.

Definitio. 1. *Strophulus* eruptio cutanea est, curriculo primi vitae anni, praecipue ad faciem extremitatesque superiores, sub forma papularum, nunc rubrarum, nunc albarum, obveniens.

Historia. 2. Arabes, strophulum sub nomine *Bothor infantum* descripsere [73]). Dein a singulis, morbos infantiles perlustrantibus auctoribus [74]), descriptus est. Graphice, at, ni fallimur, subtiliter nimis illius doctrinam Willan [75]) exposuit.

3. Stro-

73) Avicenna Lib. I. Fen. 2. Doctr. 3. cap. 3.

74) P. I. Vol. I. Prolégom. §.

75) Op. c. p. 14. Tab. 2. 3. 4.

3. Strophulus, *primis a nativitate mensibus*, Formae.
sub forma *papularum* discretarum, rubrarum [76]), sive albarum [77]) ad genas, antibrachia, dorsum manuum, raro ad universum corpus, comparere solet. Papulae subinde punctis maculisque rubris intermixtae cernuntur, et ad manuum dorsum aliquando *pustulae*, sero flavo repletae, mox evanescentes in conspectum veniunt. Strophulus, inter *quartum* et *quintum aetatis mensem* prorumpens, ex *papulis* circularibus, magis confertis [78]), profunde rubris, eadem loca occupantibus, constat. *Octavo mense* strophulus praeterea extremitates inferiores occupat et hinc inde a capite per universum corpus migrat [79]). Eadem eruptio cutanea, *primo vitae anno versus finem vergente*, interdum formam papularum maximarum, albarum, discretarum, lumbos, scapulas et antibrachia obsidentium, induit [80]). In genere, sub curriculo strophuli infantes sereni sunt et caeterum

76) *Strophulus intertinctus* Willanii. Germ. *Schälblattern*, *Hitzblüthen*, *das rothe Ausfahren*, *Gesämte*, *Hautblattern*, *Ausgesprenge*, *Schälliesen*. Gall. *Efflorescence benigne*. Angl. *Red-gum*. Ross. Цвѣтъ Разсыпной.

77) *Strophulus albus* W. — Angl. *White-gum*.

78) *Strophulus confertus* W. — Germ. *Zahnausschlag*, *unächte Krätze*. Angl. *Tooth rash*, *the rank*. Ross. Цвѣтъ сплошной.

79) *Strophulus volaticus* W.

80) *Strophulus candidus* W.

terum bene valent; sunt tamen, praesertim dum eruptio circa quintum mensem contingit, qui irrequieti fiunt, febrem, vomitumque patiuntur, ac linguam albam et marcorem exhibent.

Caussae. 4. *Caussa* strophuli, quae vulgo in acido primarum viarum, in prava lactis conditione et in ventriculi imbecillitate quaeritur, utpote saepissime apud infantes robustos comparens potius in nimio humorum ad cutem affluxu locari debet. Praeterea strophulus post quintum mensem maxime cum dentitione cohaeret. Interdum is aliorum morborum veluti crisin constituere videtur.

§. CIII.

Diagnosis.

Facilis confusio. 1. *Strophulus*, ne dicamus de ictibus insectorum, cum *erysipelate recens natorum*, cum *morbillis*, cum *rubeola*, cum *variola*, cum *erythemate*, cum *hydroa*, cum *psydracia* et cum *tinea faciei* confundi potest.

Distinctio ab erysipelate recens nat. 2. *Strophulus* solummodo dum febre stipatur, cum *erysipelate recens natorum* confundi posset.

Erysipelas R. N.	*Strophulus cum febre.*
a. Paucis a partu diebus ingruit.	a. Circa quintum mensem comparet.
b. Gravia eruptionem praecedunt symptomata.	b. Sine prodromis, sub adspectu levioris morbi, occurrit.

c. Ordi-

c. Orditur a nucha, umbilico, ab extremitatibus et a genitalibus.	c. Orditur plerumque a facie.
d. Ruborem diffusum, livescentem, exhibet.	d. Papulas circulares, sive coccineas, sive profunde rubras, offert.

3. Symptomata coryzae *morbillos* satis a *strophulo* distinguunt. Quoad *rubeolam* major in diagnosi difficultas esset, nisi ea spatio paucorum dierum, — *strophulus* autem, etiamsi interdum febrilis, plerumque post aliquot tantum hebdomadas, terminaretur. *Variola* a *strophulo* cum vomitu ingruente, praecipue habita ratione morborum regnantium ac vaccinae, dignoscitur. Distinctio a morbillis, a rubeola et a variolis.

4. Cum *strophulus* papulas *ubique* sparsas, *erythema intertrigo* autem ruborem aequalem *inter plicas cutis* sedem figentem referat, distinctio haud ardua evadit. Idem rubor aequaliter diffusus cum secessu epidermidis, *erythema recens natorum*, quod supra descripsimus [81], evidenter a *strophulo* distinguit. Distinctio ab erythemate.

§. CIV.

Prognosis. Cura.

3. Strophulus omni periculo vacat, dummodo retrocessus, saepe diarrhoea, vomitu, inflamma- Prognosis.

tionibus

81) Cap. XX. §. LXXXVIII. 9.

tionibus viscerum insignitus, impediatur. Quamvis hinc inde accidat, strophulum breve admodum curriculum absolvere, plerumque tamen ad plurimos menses, per repetitos eruptionis insultus, extenditur. Desquamatio raro et solum ad brachia observari solet. *Aphthae* nobis simul cum *strophulo* obvenerunt, igitur unum ab altero, ut WILLAN credit, non liberat malo.

Cura. 2. Strophulus in infante vegeto nulla medela indiget. Temperaturae debitae hinc solum ratio habenda est. Praesente febre et alvo perturbata, *nitratis potassae* sive *magnesiae* purae aliquot grana cum *syrupo* sive *fraxinus orni*, sive *rhei*, non neglectis in provectiori morbo *balneis tepidis*, ordinem componunt. Diutius perseverante strophulo cum inquietudine et macie, *infusum herbae violae tricoloris* cum successu adhibetur.

CAP. XXVII.

Cap. XXVII.

De Urticatione.

§. CV.

Definitio. Historia. Symptomata. Caussae.

Vitium cutis adspectu urticariae simile sed ironicum saepeque habituale ac summo pruritu ipatum, *urticatio* dicitur. Definitio.

2. Plurimi quidem inter auctores *urticationis*, ib nomine *urticariae chronicae*, mentionem injeere, sicuti praecipue videre est apud Heberen [82]) et J. P. Frank [83]); at nemo illam pro speali morbi forma ante Wichmannum [84]) statuit. lurima *lichenum* exempla a Willanio allata [85]) ic pertinere videntur. Historia.

3. Urticatio cum magno pruritu, plerumque erepente, aliquando praevia somnolentia, nausea, phalea, artuum dolore, dyspnoea, febricula, et Symptomata.

32) *Medical transact.* Vol. V.

33) Interpretat. Clinicae p. 422.

34) Op. c. 3. Thl. p. 129.

35) Op. c. p. 24—36.

et interdum proxime ante menstruorum periodum [86]), sub *forma triplici*, *macularum* scilicet, *papularum* et *tuberculorum*, potissime ad brachia, dorsum manuum, truncum, collum, raro ad faciem erumpit, sub lecti tepore evanescit (alias maxime prurit), sub aëre libero et post lavationem redit, concessis liberis intervallis, interdum per plures menses graves patientibus, caeterum valentibus, molestias affert, ac, nisi aeger scalpat, excepta nonnunquam furfuracea desquamatione, sine reliquiis desinit. *Maculae* et *papulae*, colorem fructus rubi idaei vel et livedinem cum cute aspera exhibent. *Tubercula* alba, dura, basi inaequalia, noctu praeprimis valde pruriunt ac *morbum*, sic dictum *tuberculosum* [87]) constituere videntur.

Caussae. 4. Urticationi inprimis obnoxii sunt: homines climatibus septentrionalibus haud adsueti, cuti tenera instructi, inprimis infantes, feminae et maxime hystericae, ita hypochondriaci nec non haemorrhoidarii. Potissime a transpiratione suppressa, ab animi pathematibus excitatur, quamvis haud raro et sine nota caussa obveniat. Contagii urticatio nullum suspicionem movet.

86) Samuel Vogel *Handbuch der Arzneywissenschaft*. 3. Th. p. 275.

87) *Phymatosis* Swediaueri, a Graec. Φῦμα, tuberculum. Arab. *Sorah*, *seu*, *sara*. Angl. *Chronical nettle rash*.

§. CVI.

§. CVI.

Diagnosis. Prognosis. Cura.

1. *Urticatio* cum *urticaria* et cum *psydracia* potius quam cum *psora*, ut WICHMANN crediderat 88), confundi potest. Diagnosis.

Urticaria.	*Urticatio.*
a. Morbum *acutum* sistit.	a. Ad morbos *chronicos* pertinet.
b. Quolibet anni tempore observatur.	b. Morbus est praecipue hyemalis.
c. Aegros lecto plerumque affligit.	c. Aegri praeter pruritum nullum experiuntur morbi sensum.
d. Vix pluries eundem hominem invadit.	d. Morbum habitualem constituit.

2. Urticatio malum, periculo destitutum, at valde incommodum et taediosum sistit. Prognosis.

3. Tueatur aeger a refrigerio, prospiciat transpirationi, habeat *balnea tepida*, et illiniat, in rebelli malo, partes affectas *unguento demulcente*. Interne *decoctum radicis smillacis sarsaparillae* ac *pilulae ex resina quajaci officinalis*, *camphora*, *sulphurati stibii et mercurii*, nec non *extracto herbae solani dulcamarae*, conducunt. Si haemorrhoides subfuerint, *sulphur* cum leniis alvum evacuantibus indicatur. *Acido sulphurico* cum *infusione* Cura.

88) L. c. p. 147.

sione rosarum vel cum *decocto corticis cinchonae,* utitur Willan [89]).

Cap. XXVIII.

De Hydroa.

§. CVII.

Definitio. Caussae.

Definitio. 1. Papulae, saepe pustulae, grano milii aequales, vel et majores, derepente cum pruritu orientes, fugaces, in squamulas sive exiguas crustas abuendae, *hydroa* [90]) salutantur.

Caussae. 2. Hydroae homines climatibus calidis non adsueti [91]), ac aestivo tempore sese aurae noctur-nae

89) L. c. p. 34.

90) A Grec. Ἱδρῶς, sudor. — *Phlyzakion* Swed. — A Graec. Φυδρακίον, bulla, seu vesicula.

91) Germani, Poloni, Italiam adeuntes, primis annis ita hydroa laborare, ac Itali et Galli, Rossiam petentes, urticatione affici solent. Frequentissime autem hydroa sudamen in *regionibus tropicis* obvenit (Anglice: *Prickly-heat*) ac ideo a Willan, *lichen* nuncupatur *tropicus* (l. c. p. 36). Pulchre hunc morbum Winterbottom apud Willan descripsit. Ita Clark (*observations on the diseases of seamen in long Voyages*. Vol. I. p. 34). Mosely (*on the diseases of tropical climates* p. 80) et Cleghorn (*on the diseases of Minorca* ch. 4).

nae frigidiusculae incaute exponentes, inprimis subjiciuntur. Excitatur a sudore copioso sive spontaneo sive artefacto, a balneis frigidis meridianis horis adhibitis, ac verisimiliter a rebus heterogeneis, febrium, spasmorum et evacuationum suppressarum, praecipue lactis [92]), menstruorum, urinae [93]) caussa, ad cutem depositis.

§. CVIII.

Diagnosis.

1. Hydroa in *sudamen*, *febrile*, *nervosum* et *criticum* dividitur. Divisio.

2. *Hydroa sudamen* [94]) ex papulis rubris vel ex pustulis confertis, nunc sphaericis ac sero albo pellucido repletis, nunc conicis et liquore flavescente turgidis, manus, brachia, crura, pedes, rarius truncum et faciem, rarissime universum corpus occupantibus, noctu inprimis prurientibus, per totum aestatis curriculum nunc evanescentibus, nunc redeuntibus, nec morbis cum copiosis sudoribus alienis, constat. H. sudamen.

 3. *Hy-*

92) Lactis secretione a frigore aut alia caussa suppressa, saepe hydroa, nutricum familiare malum, nasci observavi.

93) Hydroae, urinosum humorem continentis, Lorry mentionem injecit. l. c. p. 32.

94) German. *Schwitzblätterchen*, Ross. Водянистые пузырки. Polon. *Potówki*.

H. febrile. 3. *Hydroa febrile* pustulas, nunc solitarias, nunc confertas, sudaminibus majores, sub curriculo aut versus finem morborum febrilium, praecipue vitiis hepatis stipatorum, ad labia, genas, pectus, volas manuum [95]) prorumpentes, mox crustis ac squamis, sine ulla cicatrice deciduis, obtegendas, sistit.

H. nervosum, criticum. 4. *Hydroa sudamen et criticum*, febrili simile, cum levamine vel spasmorum, vel aliorum malorum ad varia loca, nulla excepta parte, plerumque sine pruritu, interdum cum tumore, nunquam cum cutis rubore, erumpit.

Facilis confusio. 5. *Hydroa* potissimum *sudamen* cum *miliaribus*, cum *bullis*, cum *zostere*, cum *strophulo*, cum *psora*, cum *psydracia*, cum *herpete* et cum *tinea faciei*, confundi potest.

Distinctio a miliaribus. 6. Pustulas miliformes a regimine sudorifero excitatas, endemicas [96]), aut forte vulnerum et affectionum tetanicorum comites, nequaquam ad *miliaria* sed ad *hydroa sudamen* pertinere jam monuimus [97]). Distinguuntur sequentibus:

Mili-

95) P. I. Vol. I. §. XXI. 5.

96) Linnaeus Diss. de morbis nautarum Indiae. Upsal. 1768. Amoenitat. academ. Vol. VIII. p. 27. — Gmelin op. c. 3. B. p. 4. 26.

97) Cap. II. §. XIV. 2.

Miliaria.	*Hydroa sudamen.*
a. Morbus acutos concomitant.	a. Morbum, tempore aestivo plerumque habitua'em, sistit.
b. Aegri lectum petere adiguntur.	b. Aegri occupationibus propriis vacare queunt.
c. Prodroma specifica agnoscunt.	c. Sine prodromis prorumpit.
d. Vix pruritum exhibent.	d. Pruritu, praesertim nocturno, stipatur.

7. *Bullae* ad magnitudinem amygdalarum crescere, cuti rubrae insidere, halone rubro circumdari, morbis sat gravibus supervenire et solummodo nychthemeri spatium efflorescere solent; quae singula in hydroa aliter constituta esse, supervacaneum foret repetere. Distinctio a bullis.

8. *Hydroa* praesertim *criticum*, nonnunquam *zosteri* ita simile observatur, ut differentia nonnisi in summo pruritu et sede hic ad unum tantummodo latus circumscripta, inveniri possit. Distinctio a zostere.

9. *Hydroa sudamen* sub forma papularum erumpens, magnam cum *strophulo* similitudinem alit, interea illud plerumque morbum adultorum, faciem rarissime occupantem, pruritu stipatum et copiosos sudores sequentem sistit, quibus in rebus valde a strophulo differt. Distinctio a strophulo.

§. CIX.

§. CIX.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. *Hydroa sudamen* praepostere fugatum, catarrho, diarrhoea et testantibus Cleghorn atque Moseley gravioribus adhuc malis originem praebet. In hominibus ad herpetem dispositis ac liquoribus fermentatis abutentibus, interdum id in ulcera mali moris degenerat [98]). Reliquas species saepe variorum morborum *crisin* constituere jam dictum est.

Cura. 2. *Hydroa sudamen* summam transpirationis curam exposcit. Sub majori pruritu, quies corporis et regimen antiphlogisticum indicantur. Retrocessus secundum regulas generales tractari debet. Caeterae hydroae, naturae committuntur.

98) Towne *of the disease of the Westindies* p. 177.

Cap. XXIX.

Cap. XXIX.

De Pemphigo.

§. CX.

Definitio. Historia. Symptomata. Caussae.

1. Morbus chronicus, habitualis, rebellis, prae- Definitio.
viis sive haemorrhagiis, sive spasmis, sive urinae difficultate, sive febre, sive universali cutis pruritu, sub forma vesicarum, bullis similium, erumpens, *pemphigus* 99) nuncupatur.

2. Notitia de pemphigo, illi febris bullosae, Historia.
cum qua confundebatur, posterior videtur. Debetur ea Junkero 100), Simonsio 1), Hallio 2), J. P. Frankio 3), Feichtmayero 4), Brückman-no

99) Germ. *Blasenkrankheit.* Ross. Пузырчатая сыпь. Polon. *Choroba Bąblista.*

100) Diss. Conspectus pathologiae medicae de pemphigo.

1) *London medical Journal* 1788. p. 310.

2) L. c. in cap. nostro IV. §. XVII. 2. (9).

3) Epitome Vol. III. p. 268.

4) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde* 10. B. 3s St. p. 97. — 11. B. 4s St. p. 139.

NO [5]), JACQUEMINO [6]), MONTONIO [7]), potissime vero WICHMANNO [8]) et BRAUNIO [9]).

Sympto-mata.

3. Pemphigi, *sexies* nobis visi, symptomata, multifaria aeque ac intricata sunt. Nullum morbi, sine praevio alio incommodo, erumpentis casum noscimus. Praecesserunt illum: in puella decimum nonum annum agente [10]), *haematemesis*; — in alia viginti annorum menstruisque orbata [11]), primum *pneumonorrhagia*, dein *aphonia* et *asthma*, empyema simulans, atque a *convulsionibus*, subsequentibus *extasi*, *urina cruenta* cum sedimento calculoso, illico fugatum; — in tertia vigesimum quartum annum numerante [12]), *stomacace*, *pneumonorrhagia*, et *difficultas urinae*; — in puero septendecim annos nato [13]), *gingivae cruentae* et *febris* fere *rheumatica*; — in vetula [14]), *epigastrii dolor*, *respirandi difficultas* et *ardor urinae*; — in sene tandem [15]), universalis ac intolerabilis cutis *pruritus*.

5) HORNS *Archiv für medic. Erfahrung* 1811. p. 62.

6) *Journal général de médecine*. T. 30. p. 264.

7) *Observations sur une maladie vesiculaire*. (*Journal général de médecine*. T. 43. *Janvier* 1812. p. 41.

8) L. c. et: *kleine Schriften*. No. 15.

9) L. c. cap. nostro. cap. IV. §. cit. (14).

10) In nosocomio civico *Vindobonense* a. 1799 — 1800.

11) Ibidem, eodem tempore.

12) Ibid. a. 1800.

13) *Vilnae* a. 1812. mense Martii.

14) *Viennae* a. 1813. mense Julii.

15) *Vilnae* a. 1814.

ritus. Similes his etiam aliorum sunt observationes. Malis prodromis, nunc, saltem pro tempore cessantibus, nunc plus minus continuantibus, intolerabilis ardensque pruritus ad cutem, in parte una sive plurimis in locis, percipitur. Examinata parte affecta maculae profunde rubrae, cui plerumque plurimae vesiculae, brevi post in unam amplam bullam confluentes, insident, conspiciuntur. Interdum autem loca a maculis rubris obsessa, primum tument ac *tubercula*, obscure rubentia, magnitudinis hinc inde nucis avellanae, exhibent, ex quibus tandem tot *vesicae*, veluti flores ex gemmis arborum, evolvuntur. Immo, ex *uno* tuberculo, *duas* vesicas pullulasse vidimus [16]), quarum una, amplissima, ex circumferentia — altera, minor, ex apice, *florum luxuriantium* instar, prodibat. In genere, bullae amygdalas longe superant et ad ovum gallinaceum, quin immo ad pugni magnitudinem accedunt. Basis earum irregularis est et plerumque halone rubro, latitudinis vel nonnullarum tantummodo linearum, vel pollicis et ultra, circumdatur, quo ultimo in casu saepe plurimae vesiculae, veluti satellites, bullam praecipuam ambiunt. Bullae hujusmodi elasticae constanter serum flavescens continent, ac, quamvis pellucidae, structuram admodum tenacem prae se ferunt, verbo, eae vesicis, ab emplastro cantharidum excitatis, omnino similes sunt. Copia admodum diversa, nunc enim solitariae nunc innumerabiles cernuntur. Pemphigus fre-

16) In puero Vilnensi.

quentius ad pectus et ad extremitates, praecipue inferiores, obvenit, interea eum ad palpebras, ad genas, ad albugineam oculi, ad internam superficiem labiorum, ad palatum, ad vaginam, nec non ad reliqua superficiei externae loca, conspeximus. Semel tantum *unice* volas manuum et plantas pedum occupabat[17]. Facta eruptione dolor in parte cessat, vesicae autem nisi casu aut consulto rumpantur, unius alteriusve nychthemeris spatio, resorpto sero, flaccidae et rugosae fiunt, atque tandem relicta plaga, sponte exsiccatura, evanescunt. Cicatrices inde nullae sequuntur, at interdum pro tempore maculae cupreae. Eruptiones sibi indeterminato tempore succedunt, nunc scilicet omni fere die, nunc quavis hebdomade, nunc quovis mense, nunc omni secundo circiter anno. *Pemphigi nocturni* [18]) nullum observavimus exemplum.

Caussae. 4. Ad pemphigum, haemorrhagiae repetitae, urinae difficultates, et sexus femineus disponere videntur, quamvis, licet longe rarius, vel apud mares occurrit. Feminam quandam, quoties in utero gestabat, toties pemphigo laborasse, audivimus. Ingeniosa nobis Braunii opinio videtur; nonnulla urinae elementa a spasmo aut aliis caussis retenta et ad cutim tandem deposita, pemphigum generare, — at, est hypothesis. Idem de opinione

17) In vetula Vindobonense.

18) Feichtmeyer l. c.

ione Osiandri [19]), acidum phosphoricum hic ac-
usantis fatemur. Nisi tot mala interna eruptioni
emphigi praecederent, eum cum Wichmanno ab
nsectis aut vermibus (e. c. a *cysticerco cellulosae*)
erivandum esse suspicaremur, ac duae ex nostris
egrotantibus se morbum super herbam sedentes
cquisivisse, sancte asserebant. Caeterum non
mne id quod *bullas* excitare valet, e. c. canthari-
es, exhalatio rhus toxicodendri [20]), vulnus a
orsu canis non rabidi [21]), pro causa pemphigi
enuini declarandum est.

§. CXI.

Diagnosis. Prognosis. Cura.

1. *Pemphigum*, utpote morbum chronicum, Diagnosis.
abitualem ac rebellem, a *febre bullosa*, exanthe-
nate scilicet febrili, symptomatico et saepe sana-
ili, distinguendum esse, nemo inficiabitur. Ve-
um distinctio hujusmodi in prima morbi accessio-
e, rite monente Feichtmeyer interdum ob id
ifficillima est, quod et pemphigus cum febre in-
adere possit, unde repetiti insultus ad diagnosin
hujus morbi requiruntur. In genere, pemphigus
vesicas ampliores ac magis irregulares quam febris
bullo-

19) L. c. 2s St. p. 383. Osiander, in infante cum pemphigo nato, glandulam suprarenalem dextram cum hepate concretam vidit. l. c. p. 402.

20) *Nouvelles mémoires de l'Academie de Berlin* 1777.

21) *Journal général de médecine. Paris* 1812. T. 43. *Observations de* M. Mouton *sur le pemphigus.*

bullosa exhibet, ac, uti monuimus, sat certa prodroma agnoscit.

Prognosis. 2. Nullum hucusque exemplum genuini pemphigi perfecte fugati nobis obvenit, ac certitudo sanationis non nisi post plures annos haberi potest.

Cura. 3. Adversus pemphigum diuretica, purgantia, diapnoica, antiscorbutica, herbam violae tricoloris, ulcera artificialia, insitionem psorae, unctionem cum oleo, tonica, nervina, acida mineralia, inprimis acidum nitricum, balnea omnis generis, sulphur, mercurium, subboracem sodae, aquam calcis, potassam, sodam, diaetam lacteam, animalem, vegetabilem, multaque alia, — verum *omnia incassum*, adhibuimus.

Cap. XXX.

De Psora, Psoriasi et Phthyriasi.

---

§. CXII.

Definitio. Historia. Symptomata.

Definitio. 1. *Psora* 22), pustulas praecipue sub lecti calore prurientes, in toto corpore, fere semper excepta facie,

22) Ψώρα. Scabies. Germ. *Die Krätze.* Gall. *La galle, ou gale.* Angl. *The itch.* Ross. Чесотка. Pol. *Świerzb.* Ital. *La rogna.*

acie, sed praecipue inter digitorum insterstitia, bvias, aptas communicationi et in crustas desientes, refert.

2. Apud veteres nomen quidem *psorae* variis norbis cutis impertitum invenitur, sed, si CELUM excipiamus, eo ad aliud significandum uteantur. Immo, quamvis vera doctrinae psorae undamenta, jam a seculo decimo septimo jacta uerint, illius tamen absoluta cognitio ad nostra olum tempora pertinet, opera inprimis KRAUII [23]), GULDNERI A LOBES [24]), WICHMANNI [25]), HILDEBRANDTII [26]), CHIARUGII [27]), ACKERMANII [28]), GALESII [29]) aliorumque. Historia.

3. Psora sub forma pustularum miliformium, olitariarum, ad fundum durarum, rubellarum, d apicem primum pellucidarum, dein albescenium, primum inter manuum digitos incipere atque dein sensim sensimque ad articulationem pugni et cubiti, ad foveam subaxillarem et popliteam, nec non tractu temporis ad pectus, dorsum, Symptomata.

23) Diss. de scabie humani corporis. Lips. 1779.
24) *Beobachtungen über die Krätze.* Prag 1791.
25) *Aetiologie der Krätze.* Hannov. 1786.
26) *Bemerkungen über den Krätzausschlag.* Hannöv. 1797.
27) Op. c. p. 128.
28) *Bemerkungen über die Kenntniss und Cur einiger Krankheit. 5 Heft.* Nürnb. und Altdorf 1798. p. 30.
29) *Essay sur le diagnostic de la gale, sur les causes et sur les consequences médicales pratiques a déduire sur les vraies notions de cette maladie.* Paris 1812.

sum, abdomen, crura, calcanea, rarissime, inprimis apud adultos, ad faciem et collum propagari solet. Infantes qui ab ancillis psora laborantibus brachiis feruntur, morbum ad nates primum contrahunt [30]). Quocunque in loco impetigo sedem figat, pruritum, a lecti tepore, a cibis acribus, a liquoribus fermentatis, auctum, et ad scalpendum, cui aeger non sine voluptatis sensu satisfacit, invitantem, excitat. Pustulae, sponte vel scalptu ruptae, serum a contactu aëris in crustam, nunc squamosam, nunc duram, coalescens, fundunt. Vicina cutis, in aegro systemate dermoideo praeter modum sensili instructo, facile inflammatur ac nonnunquam vel erysipelas phlegmonosum vel furunculos parvos, rodentes, ad basin circulo rubro circumdatos, refert. Saepe pustulae plurimae inter se confluentes ulcus sat amplum vel crustas erosam cutem undique cooperientes, producunt. Sub crustis durioribus ichor, qui absorptus deleterium in universum corpus exserere solet influxum, haud raro absconditur. Praeterea vigiliae ex continuis pruritu et irritatione, nec non animi pathemata ob foedum et ignominiosum contractum morbum, pluries systema vasorum tum lymphaticorum, tum sanguiferorum, tum nervorum, tum viscerum abdominalium, in consensum trahunt. Postremo si aeger aliunde labe quadam imbutus fuerit, ulcuscula psorica, natura

30) Guldner l. c. p. 43. not. 17.

natura propria simplicia et benigna, indolem alienam, pro re nata scorbuticam, veneream, scrophulosam, arthriticam, induunt.

§. CXIII.

Caussae.

C. praedisponentes.

1. Aetas infantilis, juvenilis, debilis corporis constitutio, sudor, immundities, victus depravatus, temperies humida simulque calida, ad psoram suscipiendam *praedisponunt.* In genere, exceptis hominibus sulphur, magnesium, mercurium tractantibus aut maxime munditiei studentibus, caeteri omnes, inter quos contra opinionem nonnullorum et infantes atrophicos [31]) et capucinos [32]) recensemus, a psora, data huic morbo opportunitate, haud immunes sunt.

C. excitantes.

2. Inter infinitas de caussa *excitante* psorae scholarum hypotheses [33]), ea contagii specifici [34]) verisimilior videretur, nisi certo sciremus eandem *acaro exulceranti* L. [35]) adscribendam esse. Vestigia

31) Just in Baldingers *neues Magazin für Aerzte.* 10. B. 3s St. p. 213. — Güldner l. c. p. 47. not. 21. Multos infantes atrophicos psora laborantes inter Judaeos Vilnenses inveni.

32) Panarolus Pentecost. III. No. 35.

33) Gales l. c.

34) Chiarugi l. c. p. 135.

35) Germ. *Krätzmilbe.* Gall. *Le ciron de la galle.*

gia istius opinionis apud THEIZIR ABYNZOAR [36]) MOUFET [37]), HAUPTMANN [38]), HAFENNEFFER [39] et MEAD [40]) inveniuntur, verus interea aucto HYACINTHUS CESTONI [41]) est. Quamvis plurim Italiae medici eum secuti sint [42]), attamen neque hic neque alibi, nova psorae aetiologia recipiebatur donec WICHMANN eam iterum, ac ab omni contra dictione [43]) vindicatam [44]), exposuerit, Consta enim acarum exulcerantem, ab acaro casei et fari nae probe distinguendum [45]), in psora tum huma na

36) Rectificatio medicationis et regiminis. Venet. 1549. Tract. 7. Lib. 19. p. 34.

37) Insectorum sive minimorum animalium theatrum. Lond. 1634. cap. 23. p. 266.

38) Scrut. pestis. Lib. I. c. 7.

39) Nosodochium, cutis affectus p. 77.

40) *Philosophical transactions* Vol. 23. *for the year* 1702. p. 1296.

41) *Lettera al Sign.* ANTONIO VALLISNIERI (*Opere di* FRANCESCO REDI T. I. Append. p. 14).

42) JOSEPH PAPA Quaest. med. Dr. JOS. VALENTI Catanensis. Catan. 1753. Quaest. 8. p. 47.

43) GROSMANN in BALDINGERS *neues Magazin für Aerzte.* 11. B. 1s St. p. 77. JAC. LEVI Diss. de varia scabiei indole. Goett. 1790.

44) Op. c. secunda editio a. 1791.

45) MÜLLER edit. systematis LINNAEI. Norimb. 1775. p. 105. — GEER *Mémoires pour servir a l'histoire des insectes.* Stockholm 1778. — LATREILLE genera crustaceorum et insectorum. Paris. 1806.

na, tum equorum, tum ovium [46]) et quidem in recentibus et clausis adhuc pustulis, aut potius in ruga seu rima prope eas [47]), debita adhibita dexteritate [48]) constanter inveniri. Et modus, quo psora contrahi solet, hanc aetiologiam confirmat. Communicatur nempe per commercium cum hominibus et animalibus, inprimis equis, camelis [49]) eodem morbo laborantibus, et magis adhuc per attactum vestium praecipue lanearum et linteorum infectorum, per moram in castris [50]), navibus, nosocomiis, scholis, balneis publicis, lupanariis et cauponis immundis et aliorum insectorum incunabulis. Lotrices, quamvis linteis summopere infectis lavandis intentae, psoram, certe saponis gratia, vix unquam contrahunt [51]).

46) Rudolphi *Bemerkungen aus dem Gebiete der Naturgeschichte, Medicin und Arzneykunde.* 1. Th. p. 17. — Walz. *Natur und Behandlung der Schaafraude.* Stuttgart 1809.

47) Fabricius Entomologia systematica. Brunsvig. 1805.

48) Gales l. c. p. 19.

49) Louis Frank *Collection d'opuscules de médecine pratique.* Paris 1812. p. 9.

50) Frowein de scabie post superatum nuper bellum epidemica. Duisb. 1764.

51) Ackermann l. c. p. 38.

§. CXIV.

§. CXIV.

Diagnosis.

Facilis confusio.

1. Priusquam ignominiosi morbi *diagnosis* pronuncietur, ne eum cum *hydroa*, cum *psydracia* et cum *herpete* confundamus, probe cavendum est.

Distinctio ab hydroa.

2. Sedes et pruritus *hydroae sudaminis* confusionem hujus morbi cum *psora* facilem reddunt.

Hydroa sudamen.	*Psora.*
a. Morbus aestivus est.	a. Morbum omnium anni temporum constituit.
b. Pustulae copiosae sunt et *confertae*.	b. Pustulae *solitariae* cernuntur.
c. Mox evanescit, mox redit.	c. Constanter adest.
d. Non communicatur.	d. Communicatur.

Hydroa febrilis, *nervosa* et *critica*, ob id quod saepius faciem occupent, ardore potius quam pruritu stipentur, ac nequaquam communicari queant, a *psora* distinguuntur.

Divisio.

3. Divisio *psorae* in *siccam* et *humidam* nullius est momenti; non ita distinctio in *simplicem* et in *complicatam*. Illa enim sistit vitium mere locale, — haec, vitium locale, morbo universali junctum. Duratio major minorve mali, constitutio corporis plus minus gracilis, praesentia

sive

sive absentia symptomatum alienam labem indicantium, ac praecipue conditio et adspectus pustularum, de illius sive complicatione, sive simplicitate testantur. In aegris enim scorbuticis et venereis, ulcuscula localia, originis psoricae, characterem labis universalis induere et aliquando ostendere solent. Quum idem in vulneribus, etiamsi a caussis externis oriantur, contingat, observatio nostra memorabilis quidem, at mira non est.

§. CXV.

Prognosis.

1. *Psora simplex* tam leve constituere solet malum (excipe in infantibus), ut a vulgo impuro nequidem pro *morbo* habeatur [52]). Et spatio paucorum dierum, concessis munditie, aëre libero, diaeta selecta, separatione convalescentium ab aegrotis, sanari ea potest. Non ita sub adversa rerum positione, vel in *morbo complicato*, ubi taediosae saepe curationis est In genere psora rarissime sponte, haud raro autem adventante gravi quodam morbo, pro tempore saltem, evanescit. Letale illius exemplum refert RUDOLPHI [53]). **Periculum.**

2. Doctrina *retrocessus psorae* stricte sumta, sanae rationi adversatur. Hoc autem non **Retrocessus.**

 impe-

52) Sic Judaei Poloni.

53) L. c.

impedit, quominus dyspnoeae, dyspepsiae, infarctus viscerum abdominalium, hydropes, mictus niger [54]), mala nervorum, vitia cordis *) etc., quae haud raro psoram praepostere remediis externis fugatam sequuntur, tum ex prava remediorum adversus impetiginem adhibitorum actione, tum ex suppressione secretionis habitualis, quam pustulae psorae instar fonticulorum largiebantur, explicari possint.

P. critica. 3. Nec admitti potest *psora critica.* Qui aliter sentiunt, aut psoram cum hydroa et psydracia confundunt, aut impetiginem illam, versus finem morbi, sicuti in nosocomiis saepe accidit, fortuito acquisitam, pro critica habent, aut latentem jam prius psoram non animadverterunt **).

P. salubritas. 4. Psorae a nonnullis [55]) jactata *salubritas*, cum MUZELIO [56]), non aliter quam per utilitatem, quam ulcera artificialia afferre queunt, explicatur.

54) RAMAZZINI Constitutio Mutinensis a. 1691.

*) TESTA op. c.

**) Miror recentem scriptorem (NEUBURG: *klinische Bemerkungen über einige chron. Krankheiten.* Frankf. a. M. 1814).

55) JERZEMBSKI Diss. de scabiei salubritate in affectibus hydropicis. Halae 1777.

56) *Medicin. und chirurg. Wahrnehmungen.* 2. B. p. 74.

§. CXVI.

§. CXVI.

C u r a.

1. Fuga opportunitatum psoram acquirendi, mundities tum corporis, tum vestium, lavatio ope aquae saponis, et usus rerum suaveolentium [57]), totam hujus morbi prophylacticam amplectuntur [58]). Prophylactica.

2. Cur adversus *psoram simplicem* vel *succum herbae nicotianae tabaci*, gravissimis interdum symptomatibus ansam porrigentem [59]), vel *decoctum seminum delphinii staphidis agrii* [60]) cutim nimis irritans [61]), vel alia, *helleborum* scilicet *album* [62]), *inu-* C. ps. simplicis.

57) Redi l. c.

58) *Reichsanzeiger* 1802. p. 3537.

59) *Medical commentaries.* Vol. I.

60) Ranque praescribit: R. Pulveris seminum delphinii staphidis agrii unciam semis. Extracti papaveris somniferi drachmas duas. Aquae fontis libram unam. Coque per tertiam horae partem. D. Sr. usui externo praemissa agitatione vasis. (*Mémoire et observations cliniques sur un nouveau procédé pour la guérison de la gale.* Orleans et Paris 1811).

61) Gales l. c. p. 46.

62) Pringle praescribebat: R. Pulveris radicis hellebori albi drachmas duas. Florum sulphuris unciam unam. Axungiae porcinae uncias duas. M. Quarta corporis pars singulis vicibus ad noctem cum hoc unguento inungitur (op. c. cap. 8). Heberden unam radicis hellebori partem cum octo partibus axungiae misce-

inulam helenium [63]), *clematidem vitalbam* [64]), *ledum palustre* [65]), *bellidem minorem* [66]), *acidum sulphuricum* [67]), *nitricum* [68]), *muriaticum* sive *commune* [69]), sive *oxygenatum* [70]), *sulphatem zinci* [71]), *carbo-*

misceri jubet (Comment. de morb. hist. et curat. p. 104). Cutem inde inflammari Donaldus Monro jam dudum monuit.

63) Bruckmann radicem inulae helenii decorticatam cum aqua ad consistentiam pultis coqui, et butyrum recens, ut fiat unguentum, addi jubet (*Sammlung auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 10. B. 2s St. p. 364).

64) Watson *Journal de médecine.* T. 87. p. 210.

65) Linnaeus Amoen. acad. Vol. VIII. p. 283.

66) Hundertmark herbam expressam cum butyro calido ad consistentiam unguenti, quo partes affectae inunguntur, coqui suadet. (Diss. de scabie artificiali p. 27).

67) Helwich Diss. de olei sulphurici usu in quibusdam scabiei speciebus. Andre Bry in *Journal général de médecine, chir. et pharmacie* 1812. *Decembre.*

68) Leschen acidum nitricum cum axungia miscet (Loder's *Journal für die Chirurgie* 2. B. 1s St. p. 139). Adhibetur idem remedium ab Alyon (*Essays sur les propriétés médicinales de l'oxygène.* Paris 1798) et Marcus (*Magazin für Therapie und Klinik.* 1. B. 1s *Heft.* p. 14).

69) Borellus Cent. II. obs. 7. — Lentin *Beyträge* p. 238.

70) Brinckmann in Hufeland's etc. *Journal der ausländ. medic. Litter.* 1803. I. B. p. 35.

71) Hegenisch in Horn's *Archiv.* 3. B. p. 218.

carbones [72]), *magnesium* [73]), *potassam puram* [74]) et *picem* *) adhibeant medici, quum *sulphur* et *mercurius* iis certissima remedia suppeditent, — plane ignoramus. Praemissis igitur *detergentibus*, inprimis *lotione saponacea* [75]), vel *balneo maris* [76]), vel alio, illico ad *sulphur* sub forma tum *unguenti* sive *simplicis* [77]), sive *compositi* [78]), tum *vapo-*

72) THOMANN *Annales Wirceburg.* Vol. II. p. 35. | DUVAL in BRERA *Giornale di medicina pratica.* Vol. II. 5.

73) GRILLE in *Annales de chimie.* T. 33.

74) ACKERMANN: R. Lapidis caustici drachmam semis, solve in aquae libris duabus (l. c. p. 77).

*) HORN's *Archiv für medic. Erfahrung.* 1813. *Januar. Febr.* S. 99.

75) THOMANN l. c. p. 40. HELMERICH (*Journal général de médecine, de chirurgie et de pharmacie* 1813. Août.

76) BEIREIS Diss. de caussis, cur inprimis plebs scabie laborat, et de nova ei medendi ratione.

77) R. Pulveris sulphuris puri unciam unam et semis. Butyri recentis sive axungiae porcinae q. s. ut fiat unguentum, ad magnitudinem nucis manibus ad noctem uno alterove corporis loco illiniendum. HELMERICH *potassam* addit.

78) *Unguentum* JASSERI: R. Pulveris subtilioris florum sulphuris, vitrioli albi, baccarum lauri ana partes aequales. M. f. c. oleo lini vel olivarum unguentum.— Jam dudum WALDSCHMID et GULDENKLEE hoc unguentum laudaverant. (ACKERMANN in BALDINGERS *neues Magazin für Aerzte.* 8. B. p. 145).

vaporis [79]), tum *balneorum* sive *naturalium* [80]), sive *artefactorum* [81]), tum *lotionum* *) confugitur. Adversantibus aegrotis sulphur, sub bona corporis constitutione, aut si psora pauca solummodo occuparet loca *mercurio*, sub forma *unguenti* vel *albi* [82]), vel *citrini* [83]), aut sub ea *solutionis* [84]) locus

79) J. P. Frank Epit. Vol. IV. p. 174. — *Salzburg. med. chirurg. Zeitung* 1792. 3. B. p. 191. — Gales l. c. p. 51. — Carbonibus ardentibus in vase, calefaciendo lecto idoneo, sulphuris uncia semis cum nitrate potassae drachmis duabus, inspergitur. Ponitur vas in lectum, quo aeger nudus decumbit ac corpus ad caput usque sese undique obtegit.

80) Cap. I. §. VI. 28. (22).

81) Ibid. (23). Balnea haec artefacta sulphurea quammaxime in psora infantum praestant. Commendantur et a Jadelot.

*) Hoc auxilio, et ab *Autenriethio* commendato, in levissimo ac recentissimo malo, praecipue apud infantes, cum successu utimur. Immo *saponem sulphureum* huic scopo valde idoneum, componi jussimus. Paratur ex partibus aequalibus saponis et sulphuris. Pro divitibus adhibetur sapo medicinalis et flores sulphuris; pro pauperibus inservit sapo viridis et sulphur commune. Illi et oleum bergamoti superadditur. *Sapo sulphureus* id boni quoque habet, quod vulgus eo in balneis nostris publicis uti potest, ubi scilicet pudet unguenta coram omnibus in usum ducere.

82) Cap. XX. §. LXXXIX. 2. (40).

83) Cap. XVIII. §. LXXXIII. 2. (6).

84) Ibid. (7).

cus est. Caeterum dummodo aeger cibos pruritum excitantes, praecipue salitos fumoque induratos, evitet, aliisque facilis digestionis modice se alat et transpirationis curam habeat, nullo peculiari vitae regimine opus est. Nec apud pauperes, vestimentorum et linteorum copia destitutos, ut ea jam ab initio curae mutentur, absolute requiritur.

3. Praesente *statu inflammatorio* systematis cutanei, vasa cutis primum *hirudinibus*, sive *cucurbitulis cruentis*, immo urgente febre, in aegro plethorico, ipsa *venae sectione* depleri debent, non neglecto reliquo regimine antiphlogistico, inprimis lenibus alvum evacuantibus. Locis a psora detentis, sub magno dolore et conspicua tensione, *cataplasma emolliens*, alias *acetas plumbi*, frigide imponi oportet. Labefactatis *primis viis* et in *psora diuturna*, alvum, praemisso resolvente, rite purgare juvat. Debilitatis forte primis viis *remediis amaris* et *aromaticis* locus est, e. c. *extracto matricariae chamomillae*, *fumariae officinalis*, *centaureae benedictae*. Si natura morbo adsuevit, usui sulphuris externo, *fonticuli* ad brachia praemittuntur. In *complicatione scorbutica*, praescripto regimine congruo, praemissisque detergentibus, *sulphur*, inprimis sub forma vaporis, sed *nunquam* mercurius, sensim sensimque in usum ducitur. Quo primum autem pruritus deletur, ulcuscula relicta, non amplius remediis externis, C. p. complicatae

exceptis

exceptis balneis iisque, favente anni tempore, *frigidis*, *marinis*, sed *antiscorbuticis internis*, nec non decocto *ligni quajaci officinalis*, sive *baccarum juniperi communis*, curantur. Psorâ *lui venereae* junctâ, a sulphure abstinendum et *mercurius* extus in usum ducendus est. Si psora aegrum *scrophulosum* aut *rhachiticum* detineat, utrum impetigo reliquis malis levamen attulerit nec ne, inquirere oportet. Si levamen attulerit, per *fonticulos* vices salutares psorae agendae sunt, ac tandem impetigo, *balneis* potissime *sulphureis*, adhibitis simul remediis morbo universali accommodatis, fuganda est. Neque nocet, excepto casu complicationis syphiliticae, aegris diu a psora vexatis, *sulphur* intus exhibere [85]; ni enim fallimur, ipse sudor sulphur tunc redolens, ad acaros necandos jam sufficit.

Monitum. 4. Haud raro contingit, quod sub usu remediorum externorum, praecipue unguentorum, pustulae jam fere fugatae *de novo* copiose recrudescant. Hoc in casu *psydraciae* species, sepositis topicis auxiliis, solis balneis tepidis curanda, coram habetur. Perbelle hujusmodi argumentum Burdin illustravit [86].

5. Nisi

85) R. Pulveris sulphuris puri, magnesiae et elaeosacchari foeniculi, ana drachmas duas. D. Sr. cap. ter de die ad cuspidem cultri.

86) *Récueil périodique de la société de médecine de Paris.* 3. T. No. 16.

5. Nisi in psora praepostere sanata regulae ge-nerales [87]) sufficerent, *novam* ejusdem morbi *infectionem* [88]), sive illius *insitionem* [89]), annuente aegro gravi morbo detento, suademus. C. retrocessus.

§. CXVII.

Psoriasis.

1. *Psoriasis* [90]) nobis est vitium cutis sub forma punctulorum, excoriationum et crustarum, praecipue ad regionem pubis, sub axillis, ad supercilia, sed et ad reliquum corpus obveniens, pruriens et communicabile. Definitio.

2. Praecipue de psoriasi observationes obveniunt apud CELSUM [91]), HAFENREFFER [92]), MERCURIALEM [93]), TURNERUM [94]), PECHLI- Scriptores.

NUM

87) Cap. I. §. VI. 35.

88) ZACUTUS LUSITANUS op. c. Lib. VII. obs. 19.

89) HUNDERTMARK l. c.

90) *Phthiriasis inguinalis* SWEDIAUERI. *Prurigo pubis* WILLANI.

91) De medicina lib. VI. cap. 6.

92) Op. c. lib. I. cap. 10.

93) Op. c. lib. I. cap. 17.

94) Op. c. edit. Angl. p. 159.

NUM [95]), TULPIUM [96]), FORESTUM [97]) et LORRYUM [98]).

Caussae. 3. Caussam foedae hujus impetiginis *pediculus pubis* sive *morpio* sistit, plus minus cuti intrusus, ac unguium scalptu, non sine dolore, ac relicto stigmate rubro, facile extrahendus. Communis infectionis modus coitus est, quo psoriasis nonnunquam a tuguriis feminarum vulgarium impurarum ad palatia matronarum elegantissimarum migrat. Et nutrices prolem inficere queunt, ne dicamus de linteis vestibusque contaminatis. Latrinae et sellae injuste accusari videntur.

Diagnosis. 4. Psoriasis, apud homines caeterum non impures et inprimis ad loca inconsueta e. c. ad crura, brachia, supercilia, tarsum obveniens, nisi partes laesae exacte et microscopio examinentur, facile pro alia impetigine declaratur, ac graves medicorum nobis hac in re sunt noti errores. Interdum morpiones sanguinem, instar sudoris cruenti, eliciunt [99]).

Prognosis. 5. Psoriasis recens et partialis nonnullarum horarum spatio abigitur; inveterata autem et universalis interdum rebellis evadit.

6. Loca

95) Observat. med. 24.

96) Observat. med. 40. Lib. 3.

97) Opp. p. 244.

98) Op. c. p. 570.

99) Sic in puella pemphigo laborante contigisse vidi.

6. Loca affecta illico vel infusione foliorum *ni-cotianae tabaci*, vel *solutione mercuriali*, vel *un-guento* sive *tabacino* [100]), sive *oxydi hydrargyri cinerei* [1]) unguntur, vel pulvere *muriatis hydrar-gyri dulcis*, insperguntur. Concessa una alterave hora vel nocte integra actioni horum remediorum, partes affectae aqua cum sapone abluuntur, aut corpus totum balneo purificatur, non neglecto lin-teorum omnium lectique mutatione. Et *sapo* no-ster *sulphureus* prodest. Cura.

§. CXVIII.

Phthiriasis.

1. Proventus pediculorum humanorum citra impuritatem corpus humanum infestans *phthiria-sin* constituit. Definitio.

2. Morbus hic, nobis quidem nunquam vi-sus, ita testimoniis ARISTOTELIS [2]), GALENI [3]), SERAPIONIS [4]), AETII [5]), PLINII [6]), CAELII AURE-LIANI Scriptores.

100) Paratur ex foliis nicotianae in pulverem redactis et oleo.

1) Unguentum Neapolitanum.

2) Histor. animalium. Lib. V. cap. 32.

3) De composit. med. sec. loc. Lib. I. cap. 8. 9.

4) Pract. Tract. I. cap. 5.

5) Tetrab. II. Serm. II. c. 67.

6) Lib. XXIV. c. 13.

LIANI [7]), AMATI LUSITANI [8]), FORESTI [9]), HA-FENREFFERI [10]), MERCURIALIS [11]) et VALLISNIE-RI [12]) confirmatur, ut nullum de eo superesse pos-sit dubium *).

Sedes. 3. Pediculi nunc undique ex superficie cor-poris, interdum cum sudore [13]), scaturiunt, nunc in tuberculis, abscessibus [14]), nunc in ipsis visce-ribus, e. c. in ventriculo [15]) delitescunt.

Caussae. 4. Caussae phthiriasis instar earum vermium intestinalium latent. In genere, febres [16]), esu carnis humanae putridae [17]) et venus accusantur. Cert-

7) Morbor. chronic. Lib. IV. c. 2.

8) Curat. med. Cent. III. 58.

9) Lib. VIII. obs. 14. 16. — Lib. IX. obs. 46.

10) Op. c. Lib. I. c. 10.

11) Op. c Lib. I. c. 7.

12) *Nuova giunta d'osservazioni ed esperienze intorno al-la storia medica e naturale.* Opp. I. p. 339.

*) Confirmatur et nuper in *Récueil periodique de la So-cieté de médecine* a. 1807. *Octobre* (vid. HUFELAND's und HIMLY's *Journal der prakt. Heilkunde.* 1813. *März.* p. 122) et ab egregio Dr. ALBERS (*Salzburg. medic. chirurg. Zeitung.* 1814. No. 28. p. 48).

13) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. an. 6. app. p. 3. 5.

14) Ibid. an. 4. obs. 15.

15) Act. Hafn. Vol. III. obs. 91.

16) P. I. Vol. I. XLVIII. 4. p. 134.

17) RIEDLIN lin. med. 1696. p. 462.

18) PAULLINI Cent. II. obs. 55.

Certe haec aegritudo et in hominibus maxime puritati studentibus obvenit [19]).

5. Succus expressus *nicotianae* [20]), *mercurius* [21]), *sulphur* [22]), *staphis agria* [23]) et *oleum* [24]) inprimis pro balneo adhibitum, praecipua phthiriasis sistunt auxilia; quibus usus externus *arsenici* addi posset *). Cura.

19) Francus Diss. de phthiriasi, morbo pediculari, quo nonnulli Imperatores, Reges, aliique illustres viri ac foeminae misere interierunt. Heidelb. 1678.

20) Porta magia natur. Lib. VIII. c. 2.

21) De la Fontaine op. c.

22) Caelius Aurelian. p. 498.

23) De la Fontaine l. c.

24) Eph. N. C. Dec. III. an. 9. et 10. obs. 18.

*) Diarii Hufelandii l. c.

Cap. XXXI.

Cap. XXXI.

De Psydracia.

§. CXIX.

Definitio. Historia. Symptomata. Caussae.

Definitio. 1. Nomine *psydraciae* tubercula sive pustulae, psorae quidem saepe similes, at haud communicativae et nulli corporis loco peculiariter addictae, insigniuntur.

Historia. 2. Psydracia, diu cum psora confusa, a Lorry [25]), Sauvages [26]), J. P. Frank [27]) et Swediauer [28]) sub nomine nunc *scabiei*, nunc *psoriasis* descripta invenitur.

Symptomata. 3. *Psydracia* sub forma nunc *tuberculorum* parvulorum, basi regulari instructorum, rubentium, interdum modice prurientium, vix dolentium, livescentium, — nunc *pustularum*, psorae fere similium, at raro prurientium, tum ad faciem,

25) Op. c. p. 250.

26) Nosol. T. I. p. 135.

27) Epit. Vol. IV. p. 180.

28) Op. c. Vol. II. p. 221.

ciem, tum ad reliquas corporis partes, obvenit. Tubercula saepe ad apicem suppurant ac pustulae facile crusta squamosa cooperiuntur. Ambo indeterminato tempore, relicta saepe macula sive stigmate coloris profunde rubri, evanescunt, ac haud raro periodice recurrunt.

4. Ad *caussas* psydraciae spectant: variae artes manuariae, mansio in fodinis metallicis, immundities, usus pharmacorum cutim topice irritantium, thermae, plethora, haemorrhagiae suppressae, vita sedentaria et casta, vigiliae, vitia primarum viarum, periodus menstrualis, venus nimia, lues venerea, scorbutus, scrophula, febres aliique morbi praegressi, nec non vaccina. Caussa proxima saepe in inflammatione glandularum cutanearum locata videtur. **Caussae.**

§. CXX.

Diagnosis.

1. Prout *psydracia* sub forma sive tuberculorum sive pustularum comparet, vel cum *ictibus insectorum*, *furunculis*, *strophulo* et *urticatione*; vel cum *hydroa*, *psora* et *herpete* confundi potest. **Facilis confusio.**

2. Insecta fortuito cuti infensa, utpote eam *vulnerantia*, malum ad chirurgiae imperium pertinens excitant; reliqua, generi humano propria, morbis specificis supra descriptis ansam porrigunt. Haec cum ita sint, Sauvagesio, psydraciam et ab in- **P. ab ictibus insectorum.**

insectis repetenti, haud assentimus, medicosque juvenes hortamur, ne vulnuscula, forte ab hac caussa, praecipue apud infantes orta, pro impetigine quadam declarent.

Distinctio a furunculo.

3. *Furunculi* in plurimis partibus simul erumpentes, priusquam consuetum incrementum attigerunt, cum *psydracia tuberculosa* vel et *pustulosa* [29]) confundi possent, nisi illi dolorem et nucleum, hi autem solummodo pruritum ac levem ad apicem suppurationem ostenderent.

Distinctio a strophulo.

4. *Strophulus* consulto a J. P. Frank ad *psydraciam*, quam *infantilem* dicit [30]), revocatur; interea cum ille in *papulis*, hae autem in *tuberculis*, strophulo solum sparsim et transitorie mixtis consistat; utraque mala sejungenda esse, existimavimus.

Distinctio ab urticatione.

5. Comparentibus *psydracia* et *urticatione* sub forma *tuberculosa*, similitudo inter eas intercedit; verum ibi tubercula rubra, livida, basi regulari ac modice prurientia — hic vero alba, basi irregulari et summum pruritum excitantia [31]), cernuntur.

Distinctio ab hydroa.

6. *Psydracia pustulosa* certe *hydroae pustulosae* valde similis est, atque *psydraciam*, quam dicunt

29) Sic Heimio relate ad furunculum, quem *spurium pustulosum* vocat, contigisse videtur (l. c. p. 158).

30) L. c. p. 182.

31) Cap. XXVII. §. CV. 3.

dicunt *hypochondriacorum* [32]), nil aliud quam *hydroam nervosam* esse, suspicamur. Praecipua inter hujusmodi impetigines differentia in eo consistit, quod in psydracia copia pustularum longe major et super ampliorem superficiem sparsa cernitur, quam in hydroa.

7. Quum forma *psorae* et *psydraciae* eadem sit, ac illa ab hac solummodo per praesentiam sive absentiam acari exulcerantis distinguatur, securissimum diagnosticum in investigatione insecti locatum est. Quoniam autem haec investigatio saepe ardua evadit, sequentia criteria haud supervacanea erunt. Distinctio a psora.

Psora.	*Psydracia.*
a. Ortus morbi plerumque inter digitorum interstitia observatur.	a. Ortus admodum varius est.
b. Rarissime, inprimis apud adultos, faciem occupat.	b. Saepe in facie animadvertitur.
c. Pruritus constans ac vehemens, sub calore lecti adhuc augetur.	c. Pruritus neque constans, neque vehemens, a lecti calore vix invalescit.
d. Facillime communicatur.	d. Non communicatur.

8. *Psydracia* nunc *vitium locale* cutis, nunc symptoma *affectionis universalis* sistit. Ad illud per- Divisio.

Ee 2

32) Frank Epit. l. c. p. 181.

pertinent: *P. artificum*, *P. ab immunditie*, *P. thermalis*; — ad hanc spectant: *P. ex plethora*, *P. gastrica*. *P. critica*, *P. venerea*, *P. scorbutica*, *P. vaccina*.

P. artificum. 9. *Psydracia artificum* ad manus sartorum et textorum, ex polline acri sive ex oleo rancido vestium antiquarum et lanae occurrit. Simili cutis vitio et homines in fodinis metallicis laborantes subjiciuntur.

P. ab immunditie. 10. *Psydracia ab immunditie* apud homines maxime impuros ad extremitates aliasque corporis partes contingit. Huc et pustulae ab *unguentis* sub cura psorae 33), vel aliorum morborum ortae, spectant. Mirum omnino est, *tartritidem stibii et potassae*, cuti illinitum, pustulas peculiares a vaccina haud plane absimiles et nonnunquam per consensum partes genitales afficientes 34) generare.

P. thermalis. 11. *Psydracia thermalis* usui externo plurimarum thermarum 35) communis, plerumque sub forma tuberculorum, sine aegrorum sive damno sive levamine, comparere solet.

12. *Psydracia*

33) Cap. XXX. §. CXVI. 4.

34) AUTHENRIETHS *Versuche für praktische Heilkunde*. Tübingen 1807. p. 127—134. SHERWIN in *Memoirs of the medical Soc. of Lond.* Vol. II. — HUTCHINSON: ibid. Vol. V.

35) E. c. Wisbaden, Aquisgranum, Baden in Austria et

12. *Psydracia a plethora* nunc pustulosa, nunc tuberculosa, apud juvenes sive caste viventes, sive veneri primum litantes [36]), sive liquoribus fermentatis indulgentes, nec non apud homines vitam sedentariam ducentes, vel haemorrhoidibus sive menstruis suppressis laborantes, obvenit. P. a plethora.

13. *Psydracia gastrica* nonnunquam ex acidis primarum viarum [37]) et ex vermibus [38]) oriri visa est. P. gastrica.

14. *Psydracia critica* psoram criticam auctorum [39]) amplectitur, ac haud raro febrium aliorumque morborum finem concomitatur. P. critica.

15. *Psydracia venerea* sub forma tum pustularum, tum tuberculorum, nunc indolentium, nunc ardentium; vix unquam prurientium, praesertim ad faciem, pectus, brachia, rarissime ad manus obviarum, apparet. Pustulae halone violaceo circumdatae sunt ac tubercula adspectum cupreum, foedum, veluti variolarum solidescentium, prae se ferunt; ambo omnino a psora, aegrum venereum fortuito detinente, distingui debent. P. venerea.

16. *Psy-*

36) *Scabies neogamorum* Hünerwolfii (Eph. N. C. Dec. III. an. I. obs. 118).

37) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde.* 6. B. 2s St. p. 382.

38) Ibid. 21. B. 4s St. p. 9.

39) Tode *medic. Annalen.* 1. Th. 5s Heft. p. 42.

P. scorbutica. 16. *Psydracia scorbutica*, pro re nata pustulosa, tuberculosa, plerumque pruriens, nulli parcens loco, saepe ex ipsis eccyhmomatibus evolvitur, aut iis circumdatur.

P. vaccina. 17. *Psydracia vaccina* 40) tertia, ut diximus 41), hebdomade, vel tardius quoque a peracta insitione, sub forma vesicularum solitariarum, nulli cutis loco parcentium, nunc paucarum, nunc plurimarum 42), in conspectum venit. Vesiculae materie puriformi repletae, halone rubro latitudinis duarum triumve linearum, elevato, compacto, et duriusculo circumdantur, ac disruptae vel in crustam, vel in excoriationem desinunt. Curriculum hujus eruptionis spatio unius hebdomadis et ultra absolvitur. Magnam ea cum *varicella solidescente* 43) refert similitudinem, a qua tamen defectu febris et habita ratione praegressae vaccinae distinguitur.

§. CXXI.

Prognosis. Cura.

Prognosis. 1. *Psydracia artificum* et *Psydracia ab immunditie* si caussam evitare liceat, facillime abigitur. Idem de *Psydracia thermali* valet. *Psydracia ex plethora, Ps.*
gastri

40) *Schutzpockenkrätze* Gölisii (vid. cap. nostrum XIV. §. LXIX. 4. (57)).

41) Cap. XIV. §. LXIX. 7.

42) Ultra quinquaginta numeravimus.

43) Cap. XV. §. LXXII. 1.

gastrica, *Ps. critica*, sponte, at saepe non sine stigmate violaceo, rubro, evanescunt ac facile redeunt. *Ps. venerea*, *scorbutica*, auxiliis localibus derepente suppressa, plurimis iisque gravibus malis ansam porrigere potest. *Ps. vaccina* in genere levem morbum constituit: si vero infans fuerit scrophulosus, facile hujus indolis particeps fit, ac malum addit malo.

2. *Psydracia artificum* et ab *immunditie* detergentia exposcit. *Ps. thermalis* suspensione balnei et fuga refrigerationis sanatur. *Ps. a plethora* regimine antiphlogistico, inprimis *cucurbitulis cruentis* ad dorsum et usu interno seri lactis, debellari solet. *Ps. gastricae*, pro re nata, lenia purgantia, absorbentia, et anthelminthica accommodata sunt. *Ps. critica* et *habitualis* balneis tepidis, ulceribus artificialibus et lenibus diureticis curatur. Ita et *Ps. vaccina*. Reliquae curam universalem, diathesi, ex qua pullulant, accommodatam, postulant. **Cura.**

Cap. XXXII.

Cap. XXXII.

De Herpete.

§. CXXII.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. *Herpes* [44] impetiginem prurientem, plerumque serpentem ac periodicam sistit, sub forma nunc *papularum* rubrarum, sublutearum, nunc *pustularum* sero rubello, flavescente, limpido repletarum, comparentem, ac sive in desquamationem sive in crustas, sive in ulcera desinentem.

Historia. 2. Veteres et Arabes herpetem cognovisse, opera Hippocratis [45], Galeni [46], Plinii [47], Aetii

44) A Graec. Ἑρπω, serpo. *Synonyma.* Formica, serpigo, lichen, impetigo, petigo. Germ. *Die Flechte.* Gall. *Les dartres.* Angl. *St. Antony's fire. Wildfire. The shingles. Tetter.* Ital. *L'erpete, serpicella, i sali, il salso.* Ross. Лишай. Polon. *Liszay.*

45) Lib. IV. Epidem.

46) De compositione medic. Lib. V. De tumoribus P. I. c. 9. De arte cur. ad Glauc. Lib. II. c. 1. 2.

47) Lib. XXVI. cap. I.

Aetii [48]) et Avicennae [49]) testantur. Hujus denique morbi doctrinam Wedel [50]), Roussel [51]), Carrere [52]), Pitner [53]), Rambeau [54]), Tourney [55]), Poupart [56]), Bertrand de la Gresse [57]), Geraps [58]), Gempf [59]), Goldbeck [60]), Hensler [61]), Tilesius [62]), Alibert [63]), Weinhold [64]) excoluerunt.

§. CXXIII.

48) Tetrab. IV. sect. 2. c. 60.

49) Canon. Lib. IV. Fen 3. Tract. I. cap. 6.

50) Diss. de herpete. Jen. 1703.

51) De variis herpetum speciebus, caussis, symptomatibus etc. Cadomi 1779.

52) *Mémoire sur les vertus, l'usage et les effets de la douce amère.* Paris 1780.

53) Diss. de herpete. Budae 1780.

54) *Mémoire sur la nature et le traitement des dartres.* (*Journal de médec. militaire* 4. *cahier* 1782).

55) Diss. de herpete. Nanceji 1783.

56) *Traité des dartres.* Paris 1784. 2. édit.

57) *Essay sur le traitement des dartres.* Paris 1784.

58) Diss. herpetis naturam atque caussas lustrans. Marburg. 1790.

59) Diss. de herpetis natura et caussis. Marb. 1791.

60) Diss. de herpete. Jen. 1797.

61) Progr. de herpete. Kiliae 1801.

62) *Theorie der flechtenartigen Ausschläge.* Leipzig 1802.

63) Op. c.

64) *Der Graphit als ein neu entdecktes Heilmittel gegen die Flechten.* Leipz. 1808.

§. CXXIII.

Symptomata. Autopsia cadaverum. Analysis chemica.

Generatim 1. Ut multifaria herpetis symptomata debito ordine exponi possint, hunc morbum in *farinosum*, *miliarem* et *rodentem* dividemus.

H. farinosus. 2. *Herpes farinosus* [65]) pruritu cutis, sensu ardoris et tensionis annunciatur. Mox papulae rubrae aut flavae, dispersae, copiosae, sine cutis tamen intermediae phlogosi, in conspectum veniunt, ac in minimas lamellas albescentes, quasi farinosas, sive instar depositionis terreae, fatiscunt. Herpes hic, nunc constans, plerumque volaticus, ad faciem, praecipue pone aures, ad mentum, supercilia, partem capillatam capitis, collum, cubitus, palmas manuum, poplitem, plantas pedum, ad labia vulvae, obvenire solet. Figura illius rotunda [66]) aut triangularis est, marginibus elevatis, centro depresso, albido.

H. miliaris. 3. *Herpes miliaris* [67]), praeviis saepe cephalalgia, dyspnoea et incommodis primarum viarum, cum magno pruritu, ardore, tensione et aliquando

65) *Synon.* Herpes simplex, herpes siccus, lichen siccus. Germ. *Trockne Hautflechte.* Gall. *Dartre farineuse, dartre seche, dartre furfuracée* Alibert. Angl. *Dry tetter.*

66) Herpes furfuraceus circinatus Alibert.

67) *Synonyma.* Formica miliaris. Gall. *Dartre miliaire. Feu volage. Dartre buttoné.*

do rubore tumoreque partis, sub forma congeriei pustularum, seminibus milii similium, vel interdum sub illa phlyctaenarum 68) prorumpit. Cruciatus inde maximi, praecipue post lautum pastum et ad noctem, oriuntur. Pustulae sive vesiculae ad basin roseae, et ad apicem subalbae, vel sponte, vel scalptu rumpuntur, effluente ichore acri, saepe foetido, qui in crustas 69), aut squamas 70) sat tenues, inaequales, scabras, nunc cinereas, nunc luteas, nunc subatras, sive siccas 71), sive madidas 72), desinit. Herpes hic eadem ac alter occupat loca, praeterea saepe ad scrotum, et ad perinaeum, nec non aliquando circa papillas mammarum occurrit. Ad scrotum inprimis aegrum ad cruentum usque scalptum, sequente ardore, veluti a carbone accenso, cogere solet. Duratio morbi per menses, annos, vel per totum vitae curriculum, renovata saepius pustularum efflorescentia, observatur.

4. *Herpes rodens* 73), instar herpetis miliaris, interdum praevio saevissimo universali pruri- H. rodens.

tu

68) Herpes phlyctaenodes, vesiculosus, diaphanus TILESII (op. c. p. 43).

69) Herpes crustaceus ALIBERTI.

70) Herpes squamosus A.

71) Herpes centrifugus, lichenodes A.

72) Herpes squamosus madidans A.

73) *Synon.* Ignis sacer CELSI. Herpes estiomenus GALENI. Herpes exedens, h. depascens, lupus vorax, h. phagedaenicus, h. noma. GALL. *dartre rongeante.*

tu [74]) adoritur. Pustulae disruptae hic ichorem, partes vicinas rodentem, exulcerantem, fundunt, quo, malum magis magisque tum in latitudinem, tum in profundum propagatur. Nonnunquam et crustae mox deciduae, mox redeuntes generantur. Communis hujus morbi sedes facies est. Vultum a crustis, larvae instar, exceptis oculis, totum obductum vidimus. Aliàs herpes mentum solum detinet (*Mentagra*), quo in casu facile ad collum proserpit, ac apud mares, barbae caussa, gravia incommoda parit. Interdum pili istius, plurimis in locis veluti penicilli uniti, cernuntur. Nec herpetis rodentis, universam corporis superficiem sub forma ulcerum foetidorum, marginibus irregularibus instructorum, ac facile cruorem fundentium, obsidentis, desiderantur exempla. Immo haud raro malum ad *interna loca* proserpit, aut ibi cutis loco evolvitur. Partes sic obnoxiae, cavitates aurium *), narium [75]), pulmones [76]), trachea [77]), vesi-

74) Sic in nobilissimo Polono observavimus.

*) Legatur memorabilis historia morbi Principis Spirensis in J. P. Frank epitome Vol. IV. p. 144.

75) Ozaenam, certe non syphiliticam, in homine olim herpete laborante conspexi.

76) Phthiseos, quin immo et peripneumoniae indolis herpeticae habeo exempla.

77) Phthisis trachealis, habita proportione, saepius quam pulmonalis, ex herpete originem trahit.

vesica urinaria [78]), urethra [79]), uterus [80]), esse solent. Neque systema glandularum lymphaticarum, neque ossa a morbo, haud raro febre lenta terminaturo, immunia manent [81]).

5. Sectiones hominum saltem *cum* herpete defunctorum, nunc de pulmonum inflammatione, nunc de liquore seroso in pectoris cavitate extravasato, nunc de intestinis aut exulceratis, aut a vesiculis obsessis et saepissime de hepatis volumine aucto [82]), testantur. Autopsia cadaverum

6. *Analysis chemica* squamarum et crustarum herpeticarum sequentia docuit: *squamae* ex albumine, mucilagine animali, muriate sodae, sulphate sodae, acido phosphorico libero et phosphate calcis componuntur et *crustae* eadem principia, excepto acido phosphorico, cujus loco carbonatem calcis continent [83]), offerunt. Analysis chemica.

78) Enuresin gravem in viro, olim herpete rodente laborante, iisdem remediis, quae prius hunc morbum fugarunt, sanavi.

79) Weinhold l. c. p. 52.

80) Herpetem cum fluore albo alternatim comparentem, ac scirrhum uteri, fugam herpetis subsequentem, observavi.

81) Alibert l. c. p. 66.

82) Alibert l. c. p. 90.

83) Alibert l. c. p. 91.

§. CXXIII.

§. CXXIII.

Caussae.

C. praedisponentes. 1. Quamvis herpes nulli aetati parcat, rarius tamen infantes, saepius juvenes, praecipue circa pubertatis epocham, et adultos, saepissime vero senes aggreditur. Nonnullae regiones e. c. Insubria, ita herpeti favent, ut eum fere endemium dixeris. In genere potius urbium incolas et proceres, quam rusticos et egenos invadit. Frequenter dispositionem hereditariam agnoscere solet.

C. excitantes. 2. Evolvitur herpes, praecipue vere, aestate et autumno, sub victu aulico, sub esu ciborum sale fumoque induratorum [84]), carnium corruptarum [85]), sub usu liquorum fermentatorum, sub vita aut nimis activa, aut plane sedentaria [86]), ab actione ignis [87]), a terrore [88]), a tristitia [89]), a veneris desiderio [90]), a suppressis haemorrhoidibus, menstruis, lochiis, fluore albo, diarrhoea et sudore habituali, a cohibita lactatione [91]), a retentione

84) Herrenschwand *Traité des principales et des plus frequentes maladies* p. 331. — Lorry l. c. p. 245.
85) Alibert l. c. §. 248.
86) Ibid. §. 249. 250.
87) Ibid. §. 252.
88) Ibid. §. 178.
89) Ibid. §. 254.
90) Ibid. §. 255.
91) Ibid. §. 18.

tentione lotii [92]), a laesionibus organicis [93]), a psora [94]), a viru venereo etc. — Hoc ultimo excepto casu, herpes nunquam quid contagiosi, neque per insitionem [95]), offert.

3. Quamvis *caussa proxima* herpetis lateat, eam tamen non semper unam eandemque esse, compertum habemus. Ex caussarum enim enumeratione elucet: triplicem, quam sub nomine herpetis descripsimus, morbi cutanei formam ex diathesi nunc arthritica, nunc scorbutica, nunc syphilitica, nunc scrophulosa, nunc carcinomatica pullulare, quod infra accuratius adhuc demonstrabitur. Interea sponte ex symptomatum examine, herpetem nil aliud esse, nisi *inflammationem chronicam*, saepe pustulosam, membranae mucosae cutis, tum in desquamationem, tum in exulcerationem transeuntem, intelligitur. C. proxima.

§. CXXIV.

D i a g n o s i s.

1. Pro varia herpetis forma, diversae cum eo confundi possunt impetigines, quae, si rite distinguerentur, minor ac vulgo creditur morborum Generatim.

pro

92) Difficultates urinae, cum herpete alternatim obvias, aliquoties vidi.

93) Alibert. l. c. §. 253.

94) Ibid. §. 241.

95) Ibid. §. 171.

pro herpete declaratorum evaderet copia. Ips
Alibert mala herpetica longe ultra debita confi
nia extendit. Caeterum a disceptationibus circ
formam hujus morbi abstinebimus, dummodo no
bis concedatur, herpetem variam indolem agnosce
re ac ipsius characterem praecipue in *pruritu*, i
nisu serpendi et in *periodica evolutione* con
sistere.

H. farinosi similitudines. 2. *Herpes farinosus faciei* cum *erythemat*
gutta rosea, — ille aliarum partium cum *porrigi*
ne similitudinem alit. — *Erythema* autem *gutt*
rosea neque prurit, neque dolet, neque serpit, a
rarissime ad mentum, frequentissima herpeti
(mentagrae) sede, obvenit. — *Porrigo*, quacun
que in parte obveniat, nulli, saltem evidenti cu
tis vitio originem debet, — *herpes farinosus* econ
tra ex praeviis papulis nascitur.

H. miliaris similitudines. 3. *Herpetis miliaris* forma quodammodo cum
miliaribus, *zostere*, *exanthemate mercuriali mili*
formi, *hydroa*, *psora*, *psydracia*, *tinea*, et si in
squamas desinat, cum *lepra squamosa* convenit
Miliaria vero sistunt exanthema, *herpes* impetigi-
nem. Idem de *zostere* dicendum est, qui praeter-
ea arcte ad unum tantummodo corporis latus cir-
cumscriptus invenitur, cum herpes plus minus
nisum ad serpendum offerat. Et *exanthema mer-*
curiale acute decurrit ac praeterea a symptomati-
bus catarrhalibus comitatur. *Hydroa* fugax est
herpes miliaris chronicus. Porro rerum positio-
ne

nes, sub quibus varii hi morbi obveniunt, rite perpensae, diagnosi instar luminis sunt. *Psora* communicatur, *herpes* vero, nisi syphiliticus, omni contagio destitutus est. Praeterea *psora* ab initio pustulas *solitarias* exhibet, *herpes* vero pustulas *congregatas*. Tandem illa vix unquam, hic saepe in facie comparet. *Psydracia* frequenter ex caussis obviis externis oritur ac pustulas plerumque majores vixque congregatas exhibet cum pruritu eo herpetis minore.

4. *Herpes rodens* cum *ulceribus cancrosis* et *leprosis* confundi potest. H. rodentis similitudines.

5. Herpes vix unquam vitium primarium sive locale cutis sistit. Ut igitur diatheses, quae illi ansam porrigunt, rite eruantur, praecipuum est momentum. De indole.

6. Maxima herpetum pars ex *diathesi arthritica* pullulat, ac *principium*, quod vulgo dicitur *herpeticum*, eodem jure *arthriticum* vocari posset *). Sic docent aetas, in qua herpes plerumque contingit, — classis hominum, quae illi praecipue subjicitur, — vitae genus, quod eum excitat, — influxus anni temporum, — recursus saepe periodicus, — volubilitas sedis, — ardor cutis, H. arthriticus.

*) Video, me hanc opinionem cum egregio practico communem habere: *Klinische Bemerkungen über einige chronische Krankheiten*, *von* Dr. J. G. NEUBURG. Frakf. a. M. 1814.

tis, — depositio ad eam materiei phosphatem ca
cis continentis — ipsaque tandem curandi rati
Hic autem animadverti debet, herpetem arthrit
cum, praesertim apud homines robustos, haemo
rhoidarios, saepe *complicationem inflammatoria*
inire et in genere pruritu maximo ac continu
stipari.

H. scorbuticus. 7. *Herpes scorbuticus* apud egenos et hom
nes in nosocomiis inclusos, potissimum ad extr
mitates inferiores et ad faciem obvenit ac plerun
que minus quam reliquae species prurit.

H. syphiliticus. 8. *Herpes syphiliticus* circa partes genital
evolvi, pruritu et ardore nocturno stipari, ac s
niem foedentem largiri solet. Diagnosis inprim
ex morbis praegressis instituitur.

H. scrophulosus. 9. *Herpes scrophulosus* infantibus, junioribu
feminis familiaris, amplas plagas frontis, coll
scapularum potissimum et brachiorum occupan
marginibus elevatis, haud multum pruriens, u
plurimum siccus est.

H. carcinomaticus. 10. *Herpes carcinomaticus* plerumque roden
ac praesertim feminis aetate provectis communis
saepe a duritie viscerum abdominalium, a febr
lenta stipatus, observatur.

Complicationes. 11. Nec *complicationes* unius alteriusve ha
rum diathesium desiderantur, quo in casu herpe
tis natura non aliter quam habita summa ratione
constitutionis aegri, vitiorum haereditariorum,
morborum praegressorum, caussarum praesen-
tium,

ium, symptomatum et effectus medicamentorum rui potest.

§. CXXV.

Prognosis.

1. Nulla extat impetigo, quae tam saepe pro ritica et *salutari* haberi possit, quam herpes, inrimis ille, qui recens est ac copiosa secretione stiatur. Tali herpete comparente pertinacem hypohondriasin, rebelle asthma, aliaque incommoda ugata vidimus. Cum nostris observationes ALIBERI 96) aliorumque plane conveniunt. Salutaris.

2. Sicuti autem erumpens herpes saepe salutais, ita illius sive spontanea, sive artificialis fuga ut *recessus* nocua animadvertuntur. Organa cum aussa herpetica affinitatem peculiarem habenia 97), praecipue retrocessus experiuntur effectus. Aliquando *hepar* et *ventriculus* inde scirrhosa fiunt; ut *cor* sive *aorta*, in anevrysma aut exulceratioem incidunt *). Metastasis.

3. Quo diutius perseverat herpes, — quo ampliorem occupat superficiem, — quo magis ad haereditaria spectat mala, — et quo annosior aeger, eo difficilius sanatur. Saepissime morbus profligatus, post mensem vel annum unum alte- Difficultas sanationis.

Ff 2 rumve

96) L. c, p. 84.
97) §. CXXII. 4.
*) TESTA l. c.

rumve recrudescit. Devicta licet impetigine, interdum doloris et stuporis sensus in cute remanet [98]. Nil certius de herpete omnino fugato testatur, quam evacuationum consuetarum ac antea suppressarum reditus. Herpes nonnunquam vulnerum obstitit sanationi [99]. Aliàs, accedente erysipelate, typho, vel alio morbo, ipse evanescit [100].

Periculum. 4. Periculo quidem herpes sub debita cura vix instruitur. Interea tum apud senes, tum apud pauperes, tum apud homines, a gravibus animi curis vexatos, saepe marcori universali, ac praeviis vel viscerum obstructionibus, vel hydropi, febri hecticae letali, ansam porrigit.

§. CXXVI.

C u r a.

Generatim 1. Prima, dum herpetis suscipitur cura quaestio est, utrum morbus fugandus sit nec ne? — Responsum in regulis generalibus impetiginibus medendi continetur. Si autem herpetem sanare liceat, altera occurrit quaestio: num scilicet *remedia interna*, num *externa*, num *utraque simul* in usum deducenda sint?

Remedia interna. 2. Herpetem pro varia sua origine variam quoque exposcere curandi rationem, per se intelligitur.

98) Heberden op. c. p. 99.

99) Neumann in Siebold's Chiron. 3. B. 18.

100) Alibert l. c. p. 93.

tur. Haud arduum quoque fore existimamus, regulis generalibus adversus impetigines, ex variis diathesibus pullulantes [1]), observationes speciales circa remedia, in herpete usitata, debito modo adjungere. Inter haec, quae usui interno inserviunt, recensenda sunt: a) *sulphur*, remedium scilicet cuilibet herpeti, excepto venereo, accommodatum, cujusque laudes, quamvis praeter modum, ALIBERT merito cecinit [2]). Noli autem timere, si, quod consuetum est, primis hujus remedii exhibitis dosibus, impetigo augeatur, tunc etenim paullo post verisimiliter imminuetur. Caeterum memor esto, personas systemate nervoso excitabili ac pulmone debili praeditas, sulphur interdum aegre ferre, quod de ipsis aquis mineralibus eum continentibus dici oportet; b) *antimonium*, praecipue *crudum* [3]), ita *calx antimonii sulphurata* [4]) etc. c) *mercurius*, qui tamen nisi antimonio junctus

1) Cap. I. §. VI. 15 seq.

2) L. c. §. 283. „*Pour ce qui me concerne, j'emploie journellement le soufre à l'hôpital St. Louis, et le succès couronne constammment son administration.*“

3) R. Antimonii crudi unciam semis. Conservae rosarum, fumariae, cochleariae ââ unciam unam. Gummi Quajaci drachmas duas. M. f. c. Syrupo limonum electuarium. D. S. mane et vespere drachmam unam. (LA GRESIE l. c.)

4) HUFELAND's *Journal der Heilkunde* 4. B. p. 42. 9. B. p. 3. — 11. B. p. 181.

etus [5]), excepto herpete venereo et scrophuloso, vix boni quid operatur; d) *graphites plumbago* [6]) a nobis nunquam interne adhibitus; e) *acidum* tum *sulphuricum* [7]), tum *nitricum* [8]), tum *muriaticum* [9]); f) variaque *vegetabilia*, praesertim *stipites solani dulcamarae* [10]), *radix juniperi communis* [11]), *cortex ulmi campestris* [12]), *herbae violae*

5) Aethiops scilicet antimonialis.

6) Plumbum scriptorium. GERM. *Reissbley.* GALL. *Carbure de fer, crayon noir.* ANGL *Black lead.* R. Plumbaginis anglicae unciam unam. Mellis uncias quatuor. M. exacte, ut f. electuarium. D. S. Mane et vespere cochl. coff. (WEINHOLD l. c. p. 93).

7) HOME *klinische Versuche.* p. 448.

8) Hoc remedio herpetem rodentem in sene miraculi instar debellavi.

9) EVERS in SCHMUCKERS *vermischten Schriften.* 1. B p. 193.

10) CARRERE l. c. — OTTO de usu medico dulcamarae. — DE LA GRESIE l. c. — Exhibetur extractum totius plantae methodo STÖRKIANA paratum a granis sex ad grana duodecim, augendo dosin ad drachmam unam de die. Potest et decoctum ex drachmis duabus, — usque ad sex, stipitum ad colaturam librae exhiberi. Summopere idem remedium ALTHOFF commendat. (*Praktische Bemerkungen über einige Arzneymittel.* 1. B. 1791).

11) BRUCH Diss. de radice juniperi decocta. Argent. — WILHELMI Diss. de junipero. Argent. — HENNICKE Nov. Act. med. N. C. T. II. obs. 32.

12) BANAU *sur l'usage de l'orme pyramidal. Journ. de Paris*

lae tricoloris [13]), *centaureae jaceae* [14]), *menyanthis trifoliatae* [15]), *fumariae officinalis* [16]), *scabiosae arvensis* [17]), *conii maculati* [18]), *pulsatillae nigricantis* [19]), quae singula interdum prosunt, saepe effectu destituuntur, vix unquam nocent, dummodo primae viae inde non laedantur. Nulla enim in impetigine magis ad digestionis opus respiciendum est, quam in herpete. Quare, electo victu, pro re nata diathesi sive arthriticae, sive scorbuticae accommodato, abdomen nunc resolventium et

Paris 1783. No. 255. — *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 9. B. p. 195. — Baldinger *neues Magazin.* 8. B. p. 161. — *Arzneykundige Abhandl. des Collegiums der Aerzte in London.* 2. B. p. 152.

13) *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 8. B. p. 330. — Nothnagel *Handbuch für prakt. Aerzte.* 1. B. p. 244.

14) Allioni flora Pedemontana. Vol. I. p. 158. — Penchienatti et Bruonone in Bertrandi *op. anatomiche e cerusiche.* Vol. 4. p. 182. not. a.

15) *Gazette salutaire.* a. 1777. p. 163. Vid. Tode *chirurg. Biblioth.* 7. B. p. 275. — Succus expressus adhibetur.

16) Strandberg *om fel vid, chron. sjuk do mars botande* p. 17. Succus ad uncias duas.

17) Bauhin. Histor. T. III. p. 2.

18) Landuette *Journal de médecine.* T. 26. p. 335. — Valentin *medical repository.*

19) Poupart l. c. p. 204. 211. Extracto a gr. uno ad grana sex utitur.

et purgantium ope ab obstructionibus et saburris liberatur, ad quod *aquae minerales saponaceae* et *salinae* mirifice inserviunt; nuncque per remedia *amara* et *aromatica* corroboratur. Praeterea maxime ad debitam urinae copiam respiciendum, ne de instauratione evacuationum suppressarum loquamur.

Remedia externa.

3. Concesso *remediorum externorum* usu, secundum regulas generales determinando, plerumque *fonticulus* sive aliud ulcus artificiale, si fieri liceat, in viciniis loci affecti praemittitur. Si cutis ac herpetis status vasorum sanguiferorum nimiam repletionem ostendat, curam optimo rerum successu *hirudinibus* aut *cucurbitulis cruentis*, excepta facie, circa herpetem positis, incipimus. Dein, nisi impetigo jam admodum inveterata sit, quid *butyrum recens*, insulsum, quid *cremor lactis*, quid *saliva*, quid *malvae rotundifoliae decoctum*, parti affectae applicita, quid *balneum tepidum* valeant, experimur. Hisce enim simplicissimis auxiliis, herpetes potissimis pharmacis rebelles, plus vice simplici debellavimus. Alii *olei* ac *lavationis frigidae* [20]), aut *decocti sabinae* [21]) praestantiam laudant. Remediis allatis haud conducentibus, excepto herpete syphilitico, ad *balnea sulphurea*, sive *naturalia*, sive *artificialia* confugimus.

20) BANG Collect. Havniens. Vol. I.

21) KAUSCH *Memorabilien der Heilkunde, Staatsarzueywissenschaft.* 1. B. p. 35. Züllichau 1813.

gimus. Alibertus embrocationem partis affectae ope aquae sulphuricae commendat [22]. Ita *unguentum* ex *sulphure* et *axungia porcina* [23]. Nonnunquam *balnea maris* reliquis palmam arripiunt. *Balnea* inprimis *Wisbadensia* [24] et *Neundorfensia* [25], vel alia tepida cum *foliorum eupatorii* (*cannabini?*) et *stipitum solani dulcamarae* ana manipulis duobus [26] conduxisse sunt visa. Neque in rebelli malo, si pars id ferat, *fotus* animalis recenter mactati negligendus est. In genere tamen in pertinaci herpete, vix auxilium, quod *acetum forte*, antiquis jam notum remedium [27], antecelleret, invenies. Succum *citri medicae* [28], *acidum nitricum* cum *axungia* [29], *acidum muriaticum*,

22) Op. c. §. 294.

23) Op. c. §. 300.

24) Ritter in Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde.* 7. B. 3s St. p. 74.

25) Waiz ibid. 24. B. 4s St. p. 32.

26) De la Gresie l. c.

27) Alex. Trallianus de arte medica Lib. I. c. 9. — Q. Serenus medicina. cap. de prurigine, papulis et scabie.

28) Sonnerat *Reisen nach Ostindien.* 1. B. p. 101. — Rodschied *medic. chirurg. Bemerkungen.*

29) Leschen in Loders *Journal für die Chirurgie.* 2. B. 1s St. p. 179.

ticum, cum *oleo* [30]), *sulphatem aluminis* [31]), *sulphatem zinci* [32]) ipsi haud tentavimus. *Tartratem stibii et potassae* cum *axungia porcina* [33]) utiliter herpeti illinitum fuisse affirmatur [34]). In herpete syphilitico, aut saltem syphilidi juncto, *mercurius* tum *muriaticus oxygenatus* [35]), tum *acetatus* [36]), tum *oxydatus* [37]) locum sibi vindicat. Et *graphites* jure sibi laudem promeruit [38]). Ita *ceratum nicotianae tabaci* [39]), *decoctum corticis nucum juglan*

30) Neumann l. c. — Drachma una acidi ad unciam unam olei amygdalarum adhibetur.

31) Frauendorfer unguentum a Grünling depromptum laudat: R. Gummi Tragacanthi, in aqua plantaginis soluti, unciam unam, aluminis, mercurii sublimati corrosivi ââ drachmam unam, quae ultimi remedii dosis, nisi in vehiculo plurimarum librarum, nimia est.

32) Bell on ulcers.

33) R. Tartari emetici drachmam unam. Axungiae porcinae unciam unam. M.

34) Clar. Malfatti, medicus Vindobonensis.

35) Bell l. c. — Oswald in Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde.* 23. B. 3s St. p. 40.

36) Styx in Hufeland's *Jornal* 8. B. 1s St. p. 174.

37) Thilenius *medic. chirurg. Beobacht.*

38) R. Graphitis optimi drachmas sex. Axungiae porcinae drachmas decem. *M.* Illiniatur bis de die locus affectus.

39) Succi nicotianae, cerae flavae ââ uncias tres. Resinae pini unciam unam et semis. Terebinthinae unciam unam. Olei myrrhae q. s. ut fiat ceratum. (Vogel l. c.).

juglandium viridis [40]), *aqua calcis* [41]), *subborax sodae* [42]), *magnesium* [43]), *cuprum viride aeris* [44]), *ammonia* [45]), *oleum animale* DIPPELII [46]) et *vesicatorium* plagae herpeticae, certe non in facie, impositum [47]). *Plumbi* quidem boni in herpete extant effectus [48]), at hujus remedii usum hic cum LORRY [49]) veremur. Nec libenter *arsenico* [50]), excepto herpete rodente aperte indolem carcinomaticam prae se ferente, locum concedimus. Tutius *pulvis carbonum*, *herba conii maculati*, *hyoscyami nigri*, et praecipue *solani nigri* [51]) adhibentur.

4. Occa-

40) *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 12. B. p. 237. R. Corticum viridium nucis juglandis siccatarum unciam unam. Infunde c. s. q. aquae libra una. Post tres horas infusio ebulliat per horae quadrantem, refrigerata coletur.

41) HUFELAND's *Journal* 16. B. 3s St. p. 209.

42) LÖFFLER *Beiträge.* 1. B.

43) GRILLE et MORELOT l. c.

44) DESSAULT *Journal der Chirurgie.* 3. B.

45) MARTINET *expériences nouvelles sur les propriétés de l'acali volat. fluor.* Paris 1780.

46) ALIBERT l. c. §. 301.

47) BLOCH *medic. Bemerkungen.* p. 97.

48) THEDEN *Unterricht für Wundärzte.* TODE *medicin. chirurg. Bibliothek.* 1. B. 3s St. — 6. B. p. 233.

49) L. c. p. 341.

50) ADAIR in *Comment. von Edinburgh.* 9. B. p. 35.

51) ALIBERT l. c. §. 302.

Connubium remediorum ext. et intern. 4. Occasionem remedia interna externis jungendi sese saepius in herpete offerre, non est cur moneam. Oportet vero, ut hoc connubium ita locum habeat, ut illa haec mutuo sustineant. Rebellis caeterum herpes haud raro *noli me tangere*, veluti exclamat, quod probe retinendum est.

Cap. XXXIII.

De Tinea.

§. CXXVII.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. Folliculi mucosi sive pustulae partis capillatae capitis aut faciei, humorem viscidum in coagulum pronum, ac in crustas desinentem fundentes, *tineam* sive *capitis* 52), sive *faciei* 53) constituunt.

2. Tineae

52) *Sahafati* Arab. Germ. *Kopfgrind, Erbgrind, der Vierziger*. Gall. *Teigne, tigne*. Angl. *Scald-head.* Ross. Шолуди. Polon. *Parch.*

53) Crusta lactea, lactumen infantum. Germ. *Milchborborke, Sägesprünge, Milchschorf, Milchgrind.* Gall. *Croûte laiteuse. Rache à feu volage.* Angl. *Milk-scab.* Ross. Мологной струпъ огникъ. Polon. *Ognik.*

2. Tineae capitis, veteribus notae[54]), doctrinam praecipue MURRAY[55]), CHIARUGI[56]), STEGGER[57]), GALLOT[58]), ALIBERT[59]), HOME[60]) et VOGT[61]) excoluerunt. De tinea faciei pulcre scripserunt: STRACK[62]), ROSTAGNI[63]), MOLITOR[64]), CORDES[65]), SAMBSTAG[66]) et WICHMANN[67]). Historia.

§. CXXVIII.

Symptomata. Autopsia cadaverum. Analysis chemica.

1. Tinea pro varia sede et vi varia exhibet symptomata. Generatim

2. Ti-

54) Cap. I. §. 1. 2.

55) De medendi tineae capitis ratione paralipomena. Opusc. T. II. p. 230.

56) Op. c.

57) Diss. de tinea. Budae 1782.

58) *Recherches sur la teigne.* Paris 1802.

59) Op. c.

60) Diss. de tinea capitis. Edinb. 1803.

61) Diss. de tinea capitis. Vitemb. 1805.

62) *Von dem Milchschorf der Kinder und einem specifischen Mittel darwider. A. d. L.* Weimar 1788.

63) Doctis animadversionibus versionem italicam opusculi STRACKII ornavit.

64) Diss. de crusta lactea. Budae 1783.

65) Diss. de crusta lactea. Goett. 1796.

66) Diss. de crusta lactea. Erlang. 1804.

67) *Ideen zur Diagnostik.* 1. B. p. 43.

T. capitis benigna.

2. *Tineam capitis benignam* pruritus inter capillos, cutis tensio et ardor, ac interdum porrigo glandularumque circa collum et caput positarum tumor, attactum respuens, praecedunt. Nonnullis caput dolet. Aucto pruritu, augetur scalpendi necessitas, quo sub opere aut *tumor* latus, aut *pustulae* percipiuntur. Ille ostiolum ductus folliculosi, ex quo humor glutinosus, melleus manat exhibet; hae liquidum album, flavescens continent, illudque disruptae fundunt. Ichor iste foedens inter capillos effusus, ab aëris attactu in crustas variae formae et consistentiae desinit. Sunt enim crustae hujusmodi nunc orbiculares, tenues, in medio excavatae, ad margines elevatae [68]), — nunc irregulares, granosae, griseae fuscae [69]), nunc furfuraceae, albae, mox siccae deciduae, mox humidae, adhaerentes [70]); nuncque flavae, viscosae, crines conglutinantes [71]). Praeterea ALIBERTUS tineae, sub forma squamarum lucidarum, coloris argentei, obvenientis crinesque in fasciculos colligentis, nobis haud visae, meminit [72]). Externa crustarum superficies dum secedit, ex materia subtus latente, nova iterum for-

68) *Tinea favosa* (*Teigne faveuse*) ALIBERTI. op. c. T. I. Achores, favi, *Auctor.*

69) *Tinea granulata* (*Teigne granulée*). Op. c. Tab. II.

70) *Tinea furfuracea* (*Teigne furfuracée*). Op. c. Tab. III.

71) *Tinea muciflua* (*Teigne muqueuse*). Op. c. Tab. V.

72) *Tinea asbestina* (*Teigne amiantacée*). Op. c. Tab. IV.

formatur. Interea cutis subjecta magis magisque afficitur et textus cellulosus eroditur. Nonnunquam et pediculorum proventus observatur. Vigentibus hisce symptomatibus aeger caeterum plerumque optime se habet, interdum vero marescit.

3. Pustulae tineam capitis constituentes aliquando in vera desinunt ulcera, ichorem foetidissimum largientia, crustis saxeis cooperta, ac cranii ipsius cariem minitantia. Haec *tinea* dicitur *maligna*. T. cap. maligna.

4. *Tinea faciei benigna*; morbus plerumque infantilis, praevia morositate et inquietudine ac tumore glandularum colli, ad genas, frontem, mentum, retro aures, obvenit. Cutis partium afficiendarum primum rubet, splendet, tenditur, intumescit, calet, prurit [73]); ac dein pustulis pellucidis, magnitudine lentium, sero flavescente repletis, obsidetur. Hae, saepissime pruritum terminantes, sponte vel vi disruptae, liquorem tenacem, flavum effundunt, cujus externa superficies in crustas ex luteo rubras, friabiles desinit. Rimis hujusmodi crustae fatiscunt, quo fit, ut novus inde emergat liquor, iterum in crustas terminaturus. Obducitur saepe ita universa facies larvae instar, unis exceptis palpebris. Oculi, evoluta T. faciei benigna.

73) Recens nati pruritum, partem affectam cuivis objecto affricando, manifestant.

luta tinea, immunes manere solent; non ita aegr prorumpente impetigine, vel ea retropulsa; qu scilicet in casu *peculiari ophthalmiae* ansa porrigi tur. Saepius malum ad *aures* fertur, ac sanie ex earum meatu effluit. Ad oris cavum illu WICHMANN observavit. Eruptio plerumque pe duodecim vel quindecim dies durat, ac totiden fere exsiccatio. Totus morbus spatio nonnullorun mensium, sub lotii instar urinae felis foetenti largiori fluxu, absolvitur.

T. faciei maligna. 5. *Tinea faciei maligna* [74]) perpetuo prurit stipatur, in profundum serpit, saniem rodentem fundit, facile oculos in consensum trahit, ac nisi ei auxiliemur, per annos durat et interdum macie, febre lenta, et morte terminatur.

Autopsia cadaverum. 6. Sedes tineae capitis in bulbis capillorum locata est [75]), verum eos omnino sanos detexit CHIARUGI [76]). Ut ALIBERT autumat, sedes hujus morbi in rete vasculoso cutaneo quaeri debet [77]). Idem per cadaverum sectiones demonstravit, malum non ad sola tegumenta circumscriptum esse, sed aponevrosin occipitalem, periosteum et superficiem externam cranii attingere.

7. *Ana-*

74) *Crusta serpiginosa* WICHMANNI.

75) MURRAY l. c. p. 236.

76) L. c. p. 187.

77) L. c. §. 42.

7. *Analysis chemica* docet, crustas tineae albumen, gelatinam et phosphatem calcis continere 78). Analysis chemica.

§. CXXIX.

Caussae.

1. *Tinea capitis benigna* morbum sistit inter epocham dentitionis et pubertatis constitutiones omnis generis invadentem. *Tinea capitis maligna* praecipue in scrophulosis, syphiliticis aut alia labe imbutis evolvitur. Idem de *tinea faciei maligna* dicendum est. *Benigna* inter sextum et duodecimum aetatis mensem, praecipue apud infantes facie subrotunda, pingui, cute candida, genis profunde aut ex flavo rubris instructos, obvenit. Praedisponentes.

2. *Tinea benigna* in genere a singulis caussis, quae affluxum humorum caput versus promoverent, excitatur, hinc a stimulo dentitionis, a velamentis et fasciis, quibus infantum capita obtegi, aut eorum corpuscula involvi solent, a sensuum animique facultatum evolutione, a voracitate etc. Praeterea ipsa lactis conditio, praesertim si nutrices ab animi pathematibus excrucientur, vel liquoribus fermentatis abutantur, in hunc morbum influit. Ita immundities, cubicula humida, praeter modum calida. De contagio, quod MERCURIALIS Excitantes.

78) ALIBERT l. c. §. 46.

RIALIS [79]), CHIARUGI [80]), MELLIN [81]), BÜCKING [82]), HAHEMANN [83]), aliique accusarunt, excepta tinea venerea, nec suspicionis umbram habemus. Alia insecta, vel forte vermes hic subesse, SWEDIAUER suspicatur [84]). Caussae *tineae malignae* sponte elucent.

Proxima. 3. Caussam proximam *tinearum benignarum* in exuberantiam humorum locamus, qui non aliter per integumenta infantum, quam succi arborum juniorum per corticem exsudare videntur. In graviori malo, processus inflammatorius, secretionem morbosam largiens, evidens est, qui apud infantes labe aliqua infectos, specificum characterem induere solet.

§. CXXX.

Diagnosis.

Facilis confusio. 1. *Tinea* cum *strophulo*, cum *hydroa* et cum *herpete* confundi potest.

Distinctio a strophulo. 2. *Tinea faciei* a strophulo distinguitur, cum ibi *pustulae*, hic autem *papulae* praesto sint. Porro in strophulo neque pruritus, neque rubor, neque

79) Op. c. Part. I. cap. 10.

80) L. c. p. 190.

81) *Kinderarzt*, p. 106.

82) BALDINGERS *neues Magazin für prakt. Aerzte.* 7. B. 3s St. p. 257.

83) BLUMENBACH *medic. Biblioth.* 3. B. p. 701.

84) L. c. p. 221. in nota.

neque tensio cutis, tineae faciei comites, observantur.

3. Tanta similitudo aliquando inter *hydroam febrilem* genas et labia occupantem et *tineam faciei* occurrit, ut, nisi aetas aegrorum, morbique praegressi lucem afferant, diagnosis ardua evadat. Nullum enim aliud discrimen inter hos morbos hucusque nobis detegere licuit, nisi quod tinea faciei majori cutis irritatione, quam hydroa, stipatur; hydroa autem crustas duriores, sicciores magisque nigricantes, quam tinea faciei exhibeat. Distinctio ab hydroa.

4. *Herpes* solum cum *tinea maligna*, utpote quae pariter prurit ac serpit, confundi potest, ac revera, eundem forte morbum, quem in infantibus *tineam malignam* vocamus, in adultis pro *herpete* declaramus. Si enim quaedam datur differentia, haec nonnisi in crustis, in tinea majoribus, quam in herpete, quaeri potest. Distinctio ab herpete.

5. Tineam nequaquam cum Murrayo [85]) et Chiarugio [86]) pro vitio locali habere possumus; totum enim morbi curriculum, eam cum universo systemate evidenter cohaerere, docet. Quaenam autem corporis conditio tineae ansam porrigat, arduum est determinare, nisi admittamus, tineam *benignam* ex diathesi inflammatoria, — *malignam* vero ex diathesi sive scrophulosa, sive venerea, pullu- Indoles tineae.

85) L. c. p. 234.
86) L. c. p. 198.

pullulare. Varias tineae species ex varia crustarum forma statuere, supervacaneum existimamus.

§. CXXXI.

Prognosis.

Periculum

1. *Tinea benigna*, quamcunque partem occupet, vitium quidem sistit foedum, ast adeo periculo destitutum, ut potius pro *salutari* haberi queat. Antiqua haec est vulgi opinio, „nec vulgus tam saepe, ac medici opinantur, de morborum successionibus judicando, a vero aberrat." Interea infantes graciles, sub mala cura, a tinea hinc inde extenuari non reticebimus, ne dicamus de tinea maligna, morbo, ut ipsum nomen fert, periculoso, saltem si unis naturae viribus committatur.

Retrocessus.

2. Nil magis salubritatem tineae comprobat, quam mala, quae ex incauta illius sanatione sive spontanea fuga oriuntur. Huc pertinent hydrops pectoris [87]), inflammatio cerebri [88]), insania [89]), diarrhoea [90]), ac, ut vidimus, ophthalmiae rebelles et tussis ferina. Neque hydrocephalum acutum, de die in diem frequentiorem, impeditae per tonsuram

87) Plura exempla hydrothoracis ex tinea praepostere sanata, pater meus in propria praxi collegit.

88) Schenk obs. lib. I. obs. 13. p. 15.

89) Lorry l. c.

90) Alibert l. c. §. 34.

ram evolutioni tineae capitis, morbi hodiedum revera rarioris, adscribere haesitamus.

3. Tinea capitis caeteris paribus prae illa faciei rebellis esse solet. Vidimus tamen et hanc ad menses et annos extensam fuisse. Saepe morbus, qui profligatus videtur, de novo recrudescit. Quo citius in tinea faciei benigna crustae crustas insequuntur, quoque maturius lotium foetorem urinae felis acquirit, eo citius sanitas expectari licet. Saepe sponte tinea haec absoluto dentitionis opere evanescit. Eodèm pacto rebellis tinea capitis adventante epocha pubertatis, hic saepe retardata, haud raro profligatur. In genere mirifice partes genitales in partem capillatam capitis influunt et vice versa [91]. Semiotica.

§. CXXXII.

C u r a.

1. *Prophylactica* morborum cutis in genere et infantum in specie [92], tineae tum capitis, tum faciei plane adaptari potest. Inprimis caveamus oportet, ne evolutionem horum morborum remediis externis impediamus. Prophylactica.

2. Levior *tineae capitis* gradus, in infante caeterum sano, praeter victus et reliqui regiminis rationem, nulla exposcit auxilia. Solum studendum est, ut singula emunctoria aperta sint, inprimis C. t. capitis.

91) Alibert l. c. et §. 24.

92) Cap. I. §. VI. 3.

mis ut alvi evacuatio rite procedat, utque pediculorum impediatur proventus. Praesentes, aliorum insectorum instar, necantur; optime conducere solet *unguentum* ex *butyro* recenti et *seminibus veratri sabadillae* paratum, quod crinibus citra refrigerationis periculum rescissis, inungitur, circumdato arcte capite, ne pediculi aufugiant. Pluries eandem repetere juvat operationem, ut vel eorum ovula destruantur. In graviori morbo, eoque recenti, si aegrotulus fuerit floridus ac irritatio in parte capillata magna, *hirudines* cum levamine retro aures ponuntur, exhibitis repetitis lenibus *alvi purgationibus* et *semicupiis*. Evoluta plene tinea, crustae emolliendae, ac ut decidant, praeparandae sunt. Optime huic scopo *cataplasma* ex herba *malvae rotundifoliae*, cum *butyro* insulso recenti, continuo impositum, inservit. Si saxea crustarum indoles actionem hujus remedii eluderet, pars illarum durior, prius *novaculâ* caute auferenda foret. Abactis crustis, loca subjacentia decocto malvae, vel aqua tepida, vel urina 93) quotidie lavanda, ac *unguento emolliente* sive *butyro* inungenda sunt, quo facto caput, mitrae aut cucuphae specie ex vesica porcina, cooperitur. Si nova in conspectum veniret tineae eruptio, ea non impedienda ac peracta uti prima curanda foret, donec morbus sponte evanescat. Nisi hoc nonnullorum

93) Guyon *leçons diverses*. Vol. 2. p. 529. In Italia hanc methodum saepe profuisse vidi.

lorum mensium curriculo contingat, simul ad remedia interna, diathesi scrophulosae sive venereae accommodata, confugiendum est. Primo in casu sulphuretum *antimonii et hydrargyri* cum *extracto conii maculati* optime nobis satisfecit, exhibito simul decocto ex *stipitibus solani dulcamarae, radicis smilacis chinae* et *juniperi communis*. Tineae venereae rebelles solo usu interno *muriatis oxygenati mercurii* debellantur. Dum et interna remedia per debitum tempus adhibita effectu destituuntur, praecipue si ulcera tineae pravum exhibeant adspectum, auxilia validiora externa indicantur. Hujusmodi sunt: *herba conii maculati* 94), *solutio muriatis oxygenati mercurii* 95), *unguentum hydrargyri vel album* 96), vel *rubrum* 97), *acidum*

salis

94) Störk de cicuta p. 173. Murray l. c. p. 241. — Stöller *Beobachtungen und Erfahrungen.* Gotha 1777. p. 139. R. Herbae malvae uncias quatuor, coque c. s. q. lactis, sub finem adde pulveris herbae conii maculati unciam unam. Butyri recentis uncias tres. M. f. cataplasma molle.

95) Bell l. c. p. 241. — Duncan *Krankengeschichten* p. 118. R. Aquae destillatae libram unam. Sublimati corrosivi grana duodecim, ad scrupulum unum.

96) R. Mercurii praecipitati albi drachmam unam. Axungiae porcinae unciam unam. M.

97) Butyri recentis uncias duas. Cerae albae liquefactae drachmas tres. Mercurii praecipitati rubri, camphorae ââ drachmam unam et semis.

salis [98]), *acidum nitricum* [99]), *aerugo* [100]), *cantharides* [1]), *cineres bufonum* [2]), *nitras argenti fusus* [3]), ne de periculosis nonnullis e. c. de *nicotiana tabaco* [4]) et de *arsenico* [5]) loquamur. De *pul-*

98) Brückmann in Hufeland's, Schregers und Harles' *Journal der ausländ. medic. Litterat.* 1803. 1. Th. p. 40. — Thilenius *medic. chirurg. Bemerk.* p. 494.

99) Alibert l. c. §. 61.

100) Thomann Annal. Würceb. Vol. 2. p. 330. — Dessault *auserl. chirurg. Wahrnehmungen.* No. 191. — Starke *klinisches Institut.* p. 30. — Duncan *medical cases and observations.* Edit. 3. p. 197. R. Aeruginis drachmam semis. Axungiae porcinae drachmas duas. Illiniatur caput mane et vespere ad drachmam semis.

1) *Nosografia per l'anno* 1789. p. 171. — Wendt *fünfte und sechste Nachricht.* Octava pars cantharidum unguento simplici miscetur ad illinienda ulcera dura.

2) *Mercure de France. Mois d'octobre* 1777. p. 190. — Stoll Praelect. p. 285. *Berliner Sammlung.* 7. B. p. 70. Arcanum hoc munificentia Leopoldi II. pretio conspicuo a presbytero (Pievano Forzoni) emptum et publici juris factum est.

3) Lapide infernali margines ulcerum indurati destruuntur, quo facto filamenta carpta, butyro illinita, superimponuntur. Potest et *butyrum antimonii* eodem scopo adhiberi (Gherli *Centuria prima d'osservazioni rare di medicina e cirusia.* Venezia 1731. p. 15).

4) *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 12. B. p. 457. Commendatur decoctum nicotianae, cujus effectus letales recensentur in *Journal de médecine continué.* Vol. 15. p. 289.

5) De letifera applicatione arsenici vide *Breslauer Samml.* 2. B. p. 114.

pulvere carbonum [6]) et de *sulphure* [7]) propriam adhuc desideramus experientiam. Magnas huic remedio laudes ALIBERT [8]) ac VYLIE [9]) tribuunt. Si omnia nos desererent remedia, saltem pro pueris robustis ac parum sensilibus, ad crudele quidem, sed efficax remedium *evulsionem* scilicet *capillorum* [10]), deveniendum foret.

3. Si

6) THOMANN l. c. ad. an. 1800. p. 10. 137. — ALIBERT. l. c. §. 64.

7) SCHACK in MURSINNA's *Journal für die Chirurgie* 2. B. 1s St. p. 134. Unguentum JASSERI tineae illinitur.

8) L. c.

9) Sequentem methodum nobiscum communicavit illustrissimus vir. — 1. Radendi de capite capilli. 2. Caput aqua tepida saponacea perlavandum. 3. Partibus capitis tinea inquinatis axungia porcina inungatur, posteaque eaedem iterum aqua tepida saponacea perlaventur. 4. Denique fiat frictio hisce: R. Hydrosulphureti potassae drachmas duas. Solve in aquae calcis unciis decem. — R. Unguenti nitratis hydrargyri q. s. quotidie assidue eodem inungendum; praeter hoc etiam unguento picis aridae cum floribus sulphuris mane et vespere. 5. Interne decoctum specierum quaiaci compositarum et pilulae Plumeri.

10) Sine hac pilorum evulsione, tineam plerumque redire, testatur THILENIUS. Quas nulla methodo sananare potuit tineas, has Hebraeus per capillorum evulsionem sanavit, testante GESSCHER (TODE *arzneykund. Annal.* 4s *Heft.* p. 24). Operationem hanc defendunt et CHIARUGI (l. c. p. 105) et BERTRANDI (l. c. p. 192) atque

T. faciei. 3. Si *tinea faciei* nimias molestias generaret aut limites excederet, frenum illi imponitur leni sive *emetico*, sive *purgante*, ac potissime usu *herbae violae tricoloris*[11]. Commendabatur primum hoc remedium ab egregio STRACK ac illius efficaciam THILENIUS, ROSTAGNI, J. P. FRANK[12], HAASE[13], quorum suffragiis plane accedimus, confirmarunt. Exhibentur folia vel recentia[14], vel sicca

atque eam praepostere plane rejiciunt EVERS (Act. Acad. Goetting. 1790) et ALIBERT (l. c. §. 57). Methodus evulsionem capillorum perficiendi sequens est. Si paucas solummodo capitis plagas occupet tinea, tunc volsella capillis prope radices apposita, hi ipsi cum bulbis extrahendi sunt. Si magis extensa est, tunc methodo a KNACKSTEDT exposita (BALDINGERS *neues Magazin für Aerzte* 7. B. p. 440), emplastrum paratur ex pice alba ad ignem liquefacta, cum pauxillo farinae secalinae ac oleo olivarum, quod linteis, digito vix latioribus, sat longis, numero quatuordecim, aut octodecim, commissum ac leviter calefactum, tineae, resectis prius capillis, imponitur et post horam sine impetu ac lente, cum sat multis, qui huic adhaerent capillis, detrahitur, ac pro re nata iterum aliquoties imponitur. Sunt, qui simili ac longe rudiori methodo caput sine misericordia quasi decorticent.

11) JACEA off.

12) Epitome l. c. p. 203.

13) Diss. de viola tricolore. Erlang. 1782.

14) R. Herbae violae tricoloris sine radice, floribus aut semine manipulum unum, coque in lactis libra una. Post levem ebullitionem coletur; exhibeatur haec dosis spa-

icca [15]). Lotium aegri citissime sub usu hujus harmaci odorem urinae felis contrahere solet. unt, qui violae tricolori *folia farfarae tussilaginis* [16]) et *primulae veris* [17]) anteponant. Externis emediis hac in tineae specie opus haud est. Interim crustas vel lacte nutricis, vel unguento emolliente [18]) emollire, minime nocebit. *Tinea maligna* balnea universalia, corticem mezerei vel vesicatorium perpetuum ad nucham, et usum internum *sulphureti hydrargyri et antimonii* exposcit. In debilioribus connubium *corticis cinchonae* cum *radice smilacis chinae* vel *sarsaparillae* admodum conducit.

spatio nychthemeri ac continuetur, donec facies mollis nec amplius tumida sit atque urina foetorem deponat.

15) R. Pulveris herbae violae tricoloris drachmas tres, sacchari drachmam unam. M. D. S. ter de die ad cuspidem cultri. Vel: R. foliorum violae tricoloris unciam semis. Coque ad colaturam unciarum quatuor c. s. q. aquae. D. S. Ter de die cochleare majus cum lacte et saccharo.

16) Abrahamson in *Archiv der prakt. Arzneykunde.* 3. B. p. 20.

17) Unzer *medic. Handbuch.* p. 455.

18) Bertrandi sequente linimento utebatur: R. Olei e vitellis ovorum uncias duas. Aquae liliorum alborum uncias quatuor. Croci orientalis scrupulum unum. Insimul agitentur ad formam linimenti.

Cap. XXXIV.

Cap. XXXIV.

De Lepra.

§. CXXXIII.

Definitio. Divisio. Variae species. Autopsia cadaverum.

Definitio. 1. Nomen *leprae* atrocissimo impetiginum generi tribuitur, quod sub forma sive vitiliginis diffusae, sive squamarum, sive tuberculorum, sive augmenti partis monstruosi apparet, ac morositate, stupore et plerumque anaesthesia cutis affectae stipatur.

Divisio. 2. Lepra ita definita impetigines adspectu diversas amplectitur, quae, ut ordinatim describi possint, in *lepram albam*, in *L. squamosam*, in *L. elephantiasin*, et in *L. partialem* dividi debent.

L. alba. 3. *Lepra alba* [19]) antiquissima et in sacris paginis [20]) memorata est. Occurrit ea hodiedum adhuc in Arabia [21]), ac descripta invenitur potissime apud

19) Zaraah *Hebraeorum* — Baras *Orientis* — Λευκή Graec. — Germ. *Der weisse Aussatz*.

20) Moses in Levit. c. XIII. v. 2. et sequent.

21) Niebuhr *description de l'Arabie*. p. 119.

apud AVICENNAM[22]), OUSEEL[23]), RUSMEYER[24]), WEDEL[25]), WITHOFF[26]), SCHILLING[27]) et HENSLER[28]). Nuntiatur a vitiligine alba, quam leprosam vocavimus[29]), vel ab aliis maculis sive pustulis rubris, citrinis, lividis, nunc duris, nunc mollibus. Evoluto magis morbo, non solum superficies cutis, sed et illius contextus, cum carnibus subjacentibus, ad ossa usque afficitur. Corporis superficies inde dura, fissa, aspera fit. Aboletur sensus tactus, pilique albi lanuginosi redduntur. In magno morbi gradu cutis squamis et rhagadibus obtegitur, ulcera occurrunt serpentia (*L. tyria*) cum carne luxuriante; pili decidunt (*L. alopecia*), ungues corrumpuntur, oculi, neque rubri, neque lucem respuentes, lacrymantur, palpebrae invertuntur, nares oppilantur, emunctio adest

22) Canon. Lib. IV. Fen 3. Tract. 3. cap. 1. Fen 7. tract. 2. cap. 9.

23) Diss. de lepra cutis Hebraeorum. Francf. 1709.

24) Diss. de lepra Mosaica seu legali. Gryphisw. 1723.

25) Program de lepra in sacris 1715.

26) Program. de leprosis veterum Hebraeorum. Duisburg. 1756.

27) Diss. de lepra. Lugd. Batav. 1778. (BALDINGER Sylloge III. No. 1). Et: de lepra Surinamensi communicationes. Edit. Hahnii.

28) *Vom abendländischen Aussatze im Mittelalter, nebst einigen Beyträgen zur Kenntniss und Geschichte des Aussatzes.* Hamb. 1790. p. 195.

29) Cap. XVI. §. LXXVI. 4.

adest frequens; saliva copiose secernitur, gingi-
vae et labia eroduntur; praeterea diarrhoea colli-
quativa; urina alba, crassa pinguis, fere sanios-
observantur, donec tandem tabes et hydrops mi-
serrimae vitae finem imponant.

L. squamosa. 4. *Lepra squamosa* 30) vulgatissimam nobis-
que quinquies visam speciem sistit. Historia illiu-
cum ea leprae elephantiasis confunditur. Specia-
tim tamen de lepra squamosa scripsere, praete-
HENSLERUM 31), HELVETIUS 32), FORESTUS 33),
SCULTET 34), WILLIS 35), COOK 36), FALCONER 37),
BONORDEN 38), MECKEL 39), LARREY 40), WIL-
LA-

30) Lepra Graecorum. Lepra Ichthyosis. Impetigo ex-
corticativa. GERM. *Der schuppige oder rautige Aus-
satz.* Ross. Проказа вешуйвте.

31) L. c. p. 362.

32) Diss. de Graecorum lepra. Lugd. Bat. 1678.

33) Observ chirurg. L. IV. obs. 9.

34) Armament. chirurg. obs. 97. p. 309.

35) De medicamentorum operationibus Sect. 3. cap. 7

36) *Second voyage.* T. 2 p. 245. 278. 310. 366. T. 3
p. 404. T. 4. p. 70.

37) *Memoirs of the medical society.* Vol. 3. No. 18.

38) Diss. de lepra squamosa. Halae 1795.

39) Diss. de lepra squamosa. Halae 1795.

40) *Mémoires de chirurgie militaire et campagnes* etc.
Paris, 1812. 2. T p. 69.

LAN [41]) et METTERNICH [42]). Saepe leprae squamosae vitiligo nigra indolis leprosae diu praecedit. Alias a pustulis [43]), a tinea capitis, ab alopecia, ab ophiosi nuntiatur, vel et cum rubedine totius cutis derepente ingruit. In genere evolutionem morbi lassitudo universalis, morositas, horrores cum caloribus ac aestu interno, formicationis sensus inter cutem et carnem, inprimis faciei, et saepe febris, per plures, ut vidimus, menses protracta [44]), interdum periodis stipata [45]), concomitari solent. Impetigines, leprae prodromi, tractu temporis systema cutaneum magis magisque afficiunt, ita ut cutis crassa, coriacea, tensa, inflexibilis, aspera, arida, et sulcata evadat. *Squamis* vero potissime ea cooperitur, copiosis, duris, pollicis magnitudine, deciduis moxque reproducendis. Nonnullis in locis epidermis sub forma furfurum secedit. Sub squamis cutis ipsa cruda, rubra, fissa, erosa, cruenta est. Interea sensus tactus perit, vox debilis et rauca fit, vires tum a sudore nocturno, viscido, hircum redolente, tum a somno aggravato et saepe a suffocationis periculo interrupto, persistante licet ciborum maximo

41) L. c. p. 85.

42) HUFELAND und HIMLY *Journal der prakt. Heilkunde.* 1811. 10s St.

43) FALCONER l. c.

44) J. P. FRANK Epit. Vol. IV. p. 213.

45) P. I. Vol. I. §.

ximo desiderio, exhauriuntur animusque dejicitur Urina sedimentum exhibet terreum, halitus foetet, mucusque narium et lacrymae tantam acredinem adipiscuntur, ut genae erodantur. In maximo morbi gradu, praeviis ossium doloribus ac glandularum tumoribus, pustulae lividae cutim obsident, in ulcera rodentia transeuntes, quae ligamenta capsularia hinc inde destruendo, extremitatum lapsui ansam porrigunt. Tandem lipothymiae et convulsiones, alternatim sibi succedentes, malorum catervam claudunt.

L. elephantiasis.

5. *Lepra elephantiasis* [46]) summum morbi leprosi gradum constituit, ac genuinos nefandae aegritudinis characteres prae se fert Ea haec est, quae in Aegypto et in India orientali ab antiquissimis temporibus endemica, imperante Pompejo in Italiam ac reliquam Europam irruerat [47]), ac dein per Saracenorum incursiones et tandem per bella

46) *Synonyma.* Satyrismus, satyriasis, syriasis, morbus heracleus, seu herculeus, cancer universus, cancer totius corporis, ulcus universale, morbus Phoenicius, morbus Lazari, malum Lazari, malum Hierosolymitanum, Elephantia, lepra Syriaca et Aegyptiaca, L. Americana, L. nigra, L. tuberculosa, mulsania. — Λεοντίασις Graec. — Khorah *Hindous.* — Judam, Jusam, Daül asad, *Arab.* — Boaesi *Surinamorum.* Germ. *Der knollige Aussatz.*

47) Plinii natur. histor. §. 26. c. 1.

bella sacra [48]) ita hic divulgata fuit, ut sub fine seculi decimi tertii novendecim millia nosocomiorum unis leprosis recipiendis dicatorum [49]) numerarentur. Saeviit porro lepra ista usque ad seculum decimum quintum (quo solum ad Rossiam pervenisse fertur *)), sub cujus curriculo, acsi lui venereae adventanti locum cedere vellet, extingui coepit. Hodiedum ea, saltem in Europa, perrara est [50]). Exactior descriptio tum leprae in genere, tum elephantiasis in specie apud Aretaeum [51]), Cel-

48) Apparet igitur opinionem, lepram per sacra bella in Europam introductam fuisse, erroneam esse. Primum enim bellum crucigerum in a. 987 incidit, et secundum in a. 1100. — Ast jam a. 630 lex lata fuit a Rege Longobardorum *Rhotario*, in qua leprosos civiliter mortuos declarat, atque vetat, ne mendicantes leprosi aliis accedant, jubetque, ut signum sui per sonitum concussi ligni edant (Muratori antiquit. ital. med. aevi. T. 2. Diss. 16). Sic curia suprema per Regem Pipinum ad Compendium a. 757 convocata, legem jam tulit pro dissolutione matrimonii leprosorum, iisque sacra loca adeundi facultatem ademit. (Raymond *histoire de l'éléphantiasis*. p. 108).

49) German. *Armen Leute Häuser, Lazarethe.* Gall. *Ladreries, léproseries.*

*) Richter *Geschichte der Medecin in Russland.* 1. Th. p. 148.

50) Unum solummodo exemplum in mercatore Graeco vidi.

51) De caussis et signis diuturn. affect. Lib. II. c. 13.

CELSUM [52]), GORDONUM [53]), FUMANELLUM [54]), SCHMIEDELIUM [55]), COZIERUM [56]), BRUNATUM [57]), VIDAL [58]), CHAMSERU et COQUERAU [59]), PEYSONEL [60]), HEBERDEN [61]), DANIEL [62]), LARREY [63]), JOANNIS [64]), VALENTIN [65]), GOURLAY *), EDMONSTON

52) Lib. III. c. 25.

53) Lilium medicinae. Lugd. 1574. cap. 22.

54) Sermo de lepra et elephante morbo. opp. p. 479.

55) Diss. de lepra. Erlang. 1750. v. HALLER collect. diss. pr. VI. N. 194.

56) *Journal de médecine.* *Dec.* 1757.

57) De leprosis apud Patavinos. Diss. posthuma.

58) *De la lépre de Martigue* (*Mémoires de la Société R. de médecine* 1776). Ejusdem: *sécond mémoire sur l'élephantiasis* (ibid. a. 1783).

59) *Récherches sur l'état actuel de la lépre en Europe et reflexions sur le précedent mémoire.* (Ibid.).

60) *Philosophical Transact.* Vol. 50. P. I. p. 38. (De lepra Insulae Guadeloupe).

61) *Arzneykundige Abhandl. des Colleg. der Aerzte in Lond.* I. B. 2 art. p. 20. (De lepra Insulae Madera).

62) Systema aegritudinum. P. I. p. 213.

63) L. c.

64) *Medic. Bemerkungen und Untersuchungen einer Gesellschaft von Aerzt. in Lond.* 1. B. 18. art. p. 183. (De lepra Galloprovinciae).

65) Apud ALIBERT l. c.

*) *Observations on the natural history, climate, and diseases of Madera.* London 1811.

TON *), ne de operibus jam recensitis SCHILLINGII et HENSLERI sermonem instituamus, inveniur. Pulchre historia leprae et a SPRENGELIO traditur 66). Ad *symptomata* elephantiasis quod atinet, morbus a maculis cum sensu cutis affectae leleto, a pustulis, a vitiis unguium et crinium, b ipsis denique haemorrhoidibus 67) annuntiari olet. Raro illius evolutionem febris comitatur. Signa generalia sunt: „animi corporisque segnities nsolita, morositas, facilis iracundia vel in dolos uspicio, dispositio, insomnia tristissima, terrica, ephialtes 68), lascivia insueta ac major viri-us coeundi potentia 69); oculorum albedo obfuscata, turbata, vel rubra, aut livida, aut in nirum declinans, figura oculi rotunda, leonina;

Hh 2 vox

*) *Edinburgh med. and surgical Journal* 1810.

66) Op. c.

67) HALY ABAS in emendis servis praescribit: „ani statum intuere, ne forte sint in eo emorrhoides, aut menus aut similia." (HENSLER l. c. p. 1.).

68) *Gallice:* cochemar.

69) Jam ARCHIGENES monuit, leprosis vehementem alacritatem ad coitum atque impetum in venerem esse. GALENUS leprosos satyris similes esse dicit, ob continuum fere priapismum. SCHILLING ait: vidi in aethiope stupendum priapum, ad veterum imaginem duabus ulnis (HENSLER l. c. p. 398). Lege et ALIBERT op. c. p. 141. §. 421. Aliàs lepra evolutioni pubertatis obstat, vel coeundi potentiam infringit. (GOURLAY l. c.).

vox rauca, vel rarius acuta et subtilis, cum an-
helitus foetentis strictura; narium exterius ru-
brarum, livescentium, interna angustatio, vel ul-
cus, frequens sternutatio et privatio olfactus; fa-
ciei inflatio, cum magna validaque rubedine, a-
pelle super fronte quasi tensa et lucente, nodosa
adspectu torvo; capitis, superciliorum ac ment-
porrigo; pilus rarior, mutatus, alopecia; — su-
doris foetor, alvi tarditas; eructatio perpetua; lo-
tium subjugale ac turbidum, interdum tenue
aquosum; pulsus parvi ac lenti [70]). " Mala hujus-
modi, quibus nodosa aurium deformitas addi de-
bet, sensim sensimque plurimorum spatio anno-
rum invalescunt, donec ad fastigium perducto
morbo sequens obveniat rerum imago: „vox pe-
nitus extinguitur, foetorque animae et corporis
cum spirandi labore, continuo increscit; sub lin-
gua grandinosa [71]) rarinarum venarum varices
quae et alibi ad pectus, ad tibias oriuntur, subni-
grae comparent; secedunt pili vix non omnes e-
caput et supercilia praetumida, liminaque palpe-
brarum et mentum, et axillae, et pubes tibiaeque
glabrescunt; finduntur, incurvantur et corrupti
labuntur ungues; musculorum torositas omnis dis-
paret, inprimis illorum, qui inter pollicem et in-
dicem digitum sunt positi; ciborum digestio prava
ac

70) J. P. Frank epitom. l. c. p. 217.

71) Tubercula palati adnotat Vidal l. c. p. 170.

c flatuum incommoda vel et fames[72]), in quibus-am canina, augentur; vix faeces alvus, ac ju-ıentosam continuo vesica urinam expellunt; in-ıusta veneris cupido ac tentigines in consumpto morituro[73]) jam homine intenduntur; extremi-tum articulos, phalanges, a carie latente erosa, ımores insensiles, alii juxta alios circumdant; el et ulcera sicca, profunda, sensuque vix prae-ita, deturpant, et cutis hinc inde in plicas cras-ores, nodosas elevata, in sulcos ac rugas aspe-s, profundas, aut fissas alibi contracta, elephan-ni magis, quam humani pedis figuram aemula-r; interdum nares, intermedia cartilagine erosa, llabuntur; aut prorsus, ut digitorum phalanges, ıt integra quoque membra[74]), a vivis, vel spon-, ac sine dolore separantur[75])." Pulsus occul-s, parvus, ad mortem usque.

6. Signa leprae, tum squamosae, tum nodo- L. partialis. e, nonnunquam in *una solummodo parte* obve-unt, ac *lepram partialem* constituunt. *Lepra ırtialis squamosa* frequenter in Europa occurrit, prae-

72) De *siti* quidem mentionem vix faciunt auctores de lepra, interea Bruce continuam eam esse apud leprosos Abyssiniae monet (*Voyage en Nubie et Abyssinie.* T. 3. p. 46).

73) Leprosi usque ad mortem satyriasin patientis exemplum refert Vidal l. c. p. 168. Vide et Schilling (op. c. p. 159).

74) Vidal l. c. p. 168.

75) Frank Epit. l. c.

praesertim ad cubitum, genua et in genere ad loca, ubi ossa mox sub cute jacent, capite non excepto. Utplurimum utrumque latus occupat e. c. ambo genua, tibias etc. Formam exhibet macularum circularium, saepe in centro depressarum, ad margines elevatarum, halone rubro circumdatarum, squamis nunc densis [76]), nunc tenuibus albis [77]), nunc nigris [78]) coopertarum in climatibus caldis prurientium. *Lepra partialis nodosa*, sive *elephantia* [79]), de qua ALARD egregie scripsit *) in Aegypto [80]), in India [81]) et in Asturii

76) *Lepra vulgaris* WILLAN. l. c. p. 86. Tab. 8. *Lèpre crustacée* ALIB. op. c. Tab. 31. Tab. 33.

77) *Lepra alphos* W. l. c. p. 98. Tab. 9. fig. 1. *Lèpre squameuse* ALIBERT op. c. Tab. 30.

78) *Lepra nigricans* W. l. c. p. 101. Tab. 9. fig. 2.

79) Arabes aliique, monente HENSLERO, elephantiasin ab elephantia distinxerunt, sic, ut lepram universalem tuberosam, vocarent *elephantiam*, partialem vero pedis lepram nodosam, *elephantiasin*. Graeci, quos sequimur, contrario plane modo haec vitia denominabant. Recentioribus auctoribus nomen *morbi glandulosi* (*maladie glandulaire*) arridet. (ALARD op. c. p. 153).

*) *Histoire de l'éléphantiasis des Arabes, maladie particulière au systéme lymphatique, fréquente dans nos climats, quoique méconnue de nos jours.* Paris 1810.

80) *Prosper* ALPINUS medic. Aegypt. p. 56. — THEVENOT *Voyages* Vol. 1. p. 834. — LARREY l. c.

81) *De pedibus strumosis*, in India solitis, observation

su

riis [82]), aliisque forte Europae locis *), domicilium habet. Manus, inprimis autem pedes, afficit. " In plurimis sub morbi principio, febris manifesta, cum rigore, calore, deliriis, inguinisque dolore, tumore glanduloso, occurrit. Mox cruris in parte, aut utriusque inflatio, rubedo ac dolor, interdum cum stria rubra, sat lata, tensa, vasorum lymphaticorum decursum indicante, insequuntur: quo tempore et febris et tumor glandularum inguinalium subsidere observantur. Saepius, sed tempore incerto, haec febris revertitur; et in crure post quemvis insultum, incrementum tumoris, oedemati consimilis, sed magis renitentis, conspicitur: donec, sub melioris valetudinis, si

suas cum tabula aenea communicavit Cleyer (Eph. Nat. Cur. Dec. II. an. 3. obs. 13. p. 52). Vide et Town (*on the changes of the air and the concomitant epidemical diseases, in the island of Barbadoes* p. 304). Hendy (*a treatise on the glandular desease of Barbadoes*), Rollo (*Remarks on the disease lately described by Dr.* Hendy), Hillary (*observations on the changes of the air and concomitant epidemical diseases in the island of Barbadoes*), Alard (op. c. Tab. I.). In peninsula Coromandel et Malabar idem morbus *pérical* dicitur. (Kaempfer amoenitat. exot. p. 561. fasc. 3. obs. 8).

82) Townsend *Voyage en Espagne fait dans les années* 1786. 1787. — Thierry *observations de physique et de médecine faites en differents lieux d'Espagne.* Vol. 2. p. 130.

*) Alard op. c. p. 169. 198.

si modo sitim in quibusdam intensam excipiamus, adspectu. pedis elephantini figura, nunc aequalis, nunc per sulcos plicasque divisa, emergat et sub pelle crassiori, squamosa, humor tenax, glutinosus cellulosa dilatata, tenaciori ac varicibus depicta circumseptus, in substantiam lardaceam concrescat, vel ex cute disrupta per fissiones, per ulcera impura, fungosa destillet; aut pars ipsa, sine sensu, post longos modo annos, a vicinis separetur. Interdum localis hic tumor nunc manus, nunc brachium, nunc aures, nunc nucham, nunc dorsum, vel lumbos, nunc ipsa pudenda *), occupasse est visus 83)" — Verisimiliter et *malum*, quod vocant *mortuum* 84) huc pertinet: consistit enim in pustulis crustosis, magnis, foedis, sine sanie, cum quadam insensibilitate et turpi adspectu in coxis et tibiis frequentius obvenientibus, subinde cum glandularum inguinalium tumore. Immo, ipse forte *cancer*, quocunque demum in loco

*) Sic in peninsula COROMANDEL et MALABAR, ad scrotum et ad testes contingit, qui morbus ab incolis *andrum* vocatur. (KAEMPFER amoenit. exot. p. 557. fasc. 3. obs. 8. — ALARD op. c. p. 114). In *Japonia* idem malum dicitur SENKI (ALARD. l. c. p. 117), quo nomine et in *Aegypto* occurrit (DESGENETTES *histoire médicale de l'armée d'Orient*).

83) FRANK Epit. l. c.

84) SAUVAGESII spec. 6. — GALLICE: *Le mal mort*. Vide LORRY (l. c. art. 10. p. 395) et ASTRUC (de tumoribus Lib. II. p. 40).

oco contingat, speciem leprae partialis refert, qua le re plura infra.

7. *Cadaverum sectiones* docent, sedem praecipuam leprae in textu celluloso cutis esse, hacque corrupto, sensim carnes substratae et tandem ossa ipsa ad medullam usque vitiari et in massam nformem mutari [85]). Praeterea glandulae mesenterii infarctae, hepatis substantia durior, viscerisque volumen auctum, observata sunt [86]). Ita, n lepra partiali, et dimensor vasorum lymphaticorum augetur *). Autopsia cadaverum

§. CXXXIV.

C a u s s a e.

1. Lepra procul dubio saepe morbum haereditarium constituit [87]). Hoc autem non impedit, quominus hinc inde leprosi sanam prolem generent [88]), aut leprosi ex sanissima stirpe originem ducant [89]). Infantes et mulieres rarius quam viri a lepra C. praedisponentes.

85) SWEDIAUER l. c. p. 198. in nota.

86) LARREY l. c. p. 72.

*) HENDY op. c. — ALARD op. c. p. 74.

87) MERCURIALIS op. c. lib. II. cap. 5. — VIDAL l. c. p. 164. — ALIBERT l. c.

88) FRANK Epit. l. c. p. 230.

89) Parentes mercatoris Graeci, quem cum elephantiasi curavimus, perfecte sani erant.

a lepra afficiuntur [90]). Nunquam aut mitissime ea laborant eunuchi [91]).

C. excitantes. 2. Excitari videtur lepra in praedispositis ab esu piscium corruptorum [92]) et carnis porcinae [93]), ab usu aquarum corruptarum [94]), liquorumque fermentatorum [95]), ab animi pathematibus [96]), a venere nimia, a frigore humido partibus denudatis admoto [97]), et ab immunditie [98]). De contagio specifico, lente insidias struente, quamvis a multis

90) GORDONIUS l. c. cap. 22. p. 95.

91) HENSLER l. c.

92) WILLIS l. c. — ALIBERT l. c. §. 22. Dari autem populos ichthyophagos leprae nequaquam subjectos, compertum habemus (*Voyage à la recherche de la Perouse*. T. 2. p. 72. et BIKARDIERE *Reise nach dem Südmeer*. 2. B. p. 49).

93) Sic leges MOISIS et MUHAMMEDI docere videntur, quamvis FISCHER aliter sentiat (Programmata de antiquissimo carnis esu, simul porcinam ab insimulata malitia ista vindicat, quod nempe anceps hoc cibarii genus ad lepram corpora praecipitet. Erfurt. 1721). Et LARREY carnem porcinam, saltem in Aegypto, pro caussa leprae habet (l. c. p. 75).

94) ALPINUS l. c. p. 25.

95) VIDAL in *second mémoire*. p. 171. 175.

96) Ex terrore lepram evolutam vidit VIDAL l. c. p. 168. Mater terrefacta prolem leprosam generavit, uti videre est apud ALIBERT l. c. p. 144. §. 444.

97) WILLAN l. c. p. 97. — FALCONER l. c. p. 372.

98) WILLAN l. c.

multis in dubium vocato [99]), tum leges Mosaicae, tum modus, quo lepra Europam invasit et adhuc per negotiationem veneliciariam propagatur, tum recentissimae observationes *) testantur. Contagium leprae admittunt et THOMAS [100]), et LARREY [1]). Tandem caussa lepram excitans in vermibus [2]), in tractatione Gymnoti electrici [3]), in insectis [4]) et in ipso demum cum elephantis commercio [5]) quaesita est.

5. Populi antiquitatis, praecipue Graeci, lepram ultioni deorum tribuebant [6]). Medici veteres eam a vitiis quatuor humorum [7]) et praecipue ab atra bile [8]) repetierunt. Nostram hac in re igno- C. proxima.

99) ALEXAND. TRALLIANUS 2. problem. medicinal. probl. 42. — ARISTOTELES 7. probl. sect. ultima. — VIDAL l. c. p. 169.

*) GOURLAY l. c.

100) *Medical advise to the inhabitans of warm climates.* p. 119.

1) Op. c. p. 71.

2) LINNAEUS de lepra in amoenitat. academ. — MURRAY Diss. de vermibus in lepra obviis. Goett. 1779.

3) *Nouveaux mémoires de Berlin.* 1. Vol. p. 68.

4) JÖRDENS op. c. p. 5.

5) Sic suspicatur vir ingenio praeclarus MALFATTI.

6) *Les Choephores tragédie d'Eschyle.* Act. 2. Sc. 2.

7) CONSTANTINUS AFRIÇANUS de morborum cognitione et curatione. Lib. 7. — GORDONIUS l. c. p. 196.

8) GALENUS, EBN SINA. v. HENSLER in excerptis. p. 5. 6. 7.

ignorantiam plane fatemur, caussam proximam leprae in ignotam corporis et praecipue systematis lymphatici conditionem, quam *diathesin leprosam* vocamus, rejiciendo.

§. CXXXV.

Diagnosis.

Signa gentilitia.

1. Ex descriptione variarum specierum leprae apparet, symptomata maxime constantia et gentilitia hujus morbi esse: pulsum interdum febrilem, sed constanter debilem saepeque lentum, — urinam jumentosam, turbidam, sedimento instructam, aliquando limpidam, alvum ab initio morbi tardam, — flatus ructusque copiosos, transpirationem foetore peculiari quasi hircino stipatam; — vocem raucam nasalem, halitumque olentem, — morositatem, lasciviam, anaesthesiam, formicationis sensum, — varices, potissime haemorrhoides, tumores glandularum lymphaticarum, — vitia pilorum et unguium, — impetiginem maculosam, pustulosam, squamosam, nodosam, ulcerosam, — tabem inprimis musculorum praecipue pollicis, — nec non cariem.

Species variae.

2. Varias expositas leprae formas, re ipsa unum eundemque morbum constituere, tum ex similitudine symptomatum gentilitiorum, tum ex idenditate caussarum apparet. Nec aliter sentit Alibert *). Miramur hinc Willanum, lepram squa-

*) Op. c. *Septième livraison.*

squamosam, ac si ea morbum a lepra nodosa plane distinctum constitueret, describere [9]), cui opinioni et ALARD accedit *). Diversitas enim, quae inter has leprae species intercedit, formae magis, quam intimae naturae morbi inniti videtur, quae ultima potissimum in classificatione morborum pro norma haberi debet. Variae autem leprae formae cum variis vitiis superficiei corporis confundi possent.

L. alba cum albinis.

3. Sic *lepra alba* ab universali candore cutis *albinorum* [10]), quorum plurima vidimus exempla, distinguatur oportet. Albini enim praeter lucis intolerantiam, nil morbosi exhibent, ac peculiarem generis humani constituunt varietatem [11]). Idem de *aethiopibus*, quorum color albus nonnullis a leproso vitio derivatus est [12]), dici debet.

4. *Le-*

9) L. c. p. 91.

*) Op. c.

10) Leuco-Aethiopes. GERM. *Weisse Mohren, Kakerlaken, Dundos.* GALL. *Albinos, nègres blancs, blafards.*

11) BLUMENBACH de generis humani varietate nativa. Goett. 1795. — HALLER element. physiol. T. V. p. 24. — BUZZI *dissertazione storico anatomica sopra una varietà particolare d'uomini eliofobi.* Milano 1784.

12) SMITHS *essay upon the variety of colour and figure in the humane species.* — B. RUSH in *American philosoph. transactions.* Vol. 4.

L. squamos. ab ichthyosi, hystriciasi etc. distinguitur.

4. *Lepra squamosa* ab *ichthyosi* et *hystriciasi* utpote a vitiis conformationis, illaesa caeterum sanitate perstantibus, distinguenda est. *Porrigo* quidem interdum ex diathesi leprosa originem trahit, at in genere facile a lepra squamosa, ob defectum signorum gentilitiorum leprae, distinguitur. Idem de herpete dicendum est. *Tinea capitis* in parte capillata cranii incipit, quae in lepra plerumque versus finem solummodo afficitur [13]).

L. elephant. a syphilide.

5. *Lepra elephantiasis* cum *impetiginibus syphiliticis*, praecipue sub forma tuberum obvenientibus, ab iis, qui signa horum morborum probe haud noscunt, facile confunditur; alias enim confusioni hujusmodi vix locus est.

Extensio leprae.

6. Praeter allatas species leprae, aliae adhuc aegritudines praesto sunt, quae ex eadem ac lepra diathesi pullulare videntur. De *pellagra*, de *plica*, aliisque malis infra describendis [14]), loquimur. Immo lepram affinitatem cum *diathesi carcinomatica* habere, cum Alardo [15]) et Savaresy [16]) existimamus, quam opinionem, ab ipso nomine *cancri universalis*, leprae impertito, confirmatam debito loco [17]) dilucidabimus.

§. CXXXVI.

13) Willan l. c. p. 87.

14) Cap. XXXVII.

15) L. c.

16) *Sur la fièvre jaune* p. 95.

17) P. III, Vol. II. Cap. de carcinomate.

§. CXXXVI.

Prognosis.

1. 1. Lepra squamosa aliquando sanatur, nunquam autem L. elephantiasis. Sed et primo in casu, quo antiquior morbus, quo annosior aeger, eo difficilior evadit cura. Nec quae partialis est lepra, facilius quam universalis debellatur, immo patente FALCONER difficultas sanationis major sub minori cutis affectione, quam sub late expansa lepra, observari solet [18]). Haud pauci, qui sanati videntur, tardius iterum in eundem morbum incidunt [19]). An sanabilis?

2. Lepra partialis sive squamosa, sive elephantia, interdum in malum universale transit, nullum autem habetur certum testimonium, lepram squamosam in lepram elephantiasin transivisse. Mutatio unius speciei in alteram.

3. Maculae leprosae nonnunquam in infantia jam comparent, quin morbus unquam invalescat [20]), Quo primum vero macula leprosa alicubi crescere incipit, malum et in aliis partibus in conspectum venit [21]). Impetigo haud raro malorum internorum sistit veluti crisin, saltem pro tempore. Hoc vel de partiali malo valet. In genere, miser- Longitudo morbi.

18) L. c. p. 374.

19) HILLARY l. c. p. 325.

20) VIDAL l. c. p. 163.

21) SCHILLING l. c. §. 12.

miserrima mors ex tabe, ex hydrope, ex ossium carniumque corruptela inevitabilis est. Terribilem aegri desperati morbo conclamato laborantis imaginem, sacrae paginae exhibent [22]).

§. CXXXVIII.

C u r a.

Generatim. 1. Methodus medendi a nobis exponenda praecipue leprae squamosae accommodata fuit. Componitur ea ex remediis internis et externis, variis morbi stadiis adaptandis.

R. interna. 2. Medici Graeciae curam leprae, praeter venae sectionem, a *drasticis* incipiebant. Inter haec praecipue *radix hellebori nigri* adhibebatur [23]). Nostris veró temporibus nemo amplius hoc remedium ad purgandum subministrat, cum certiora extent. At, aliorum *narcoticorum* instar id contra lepram sub forma extracti adhiberi meretur [24]). Evoluto morbo, nunc laudem, nunc vituperium promeruerunt: *antimonium, sulphur, petroleum* [25]), mer-

22) Lib. Hiob c. VII. v. 5. 13. 14. 15. — C. IX. v. 22. 30. 31. — Cap. X. v. 15. — Cap. XIII. v. 27. 28. — Cap. XVI. v. 16. — Cap. XVII. v. 7. — Cap. XIX. v. 17. 19. 20. 26. — Cap. XXX. v. 17. 19 26. 28. 30.

23) Oribasius medicin. collectan. Lib. 7. et Lib. 8. cap. 5. 6. — Dosis pulveris a granis decem ad grana quindecim.

24) Diss. de lepra in Halleri Collect. disp. pract. T. 6. p. 83. — Dos. a granis quinque ad viginti.

25) Pierre in *New medical Journal.* Vol. I. Part. 2. — Ra-

mercurius [26]), *arsenicum* [27]), *acidum nitricum* [28]), *conium maculatum* [29]), *letum palustre* [30]), *solanum dulcamara* [31]), *quajacum officinale* [32]), *cortex ulmi* [33]), *plan-*

MAZZINI opp. p. 336. Exhibebat interne quotidie a duobus cochleariis ad sex.

26) Praecipue *solutio mercurii sublimati corrosivi* laudatur a FALCONER (l. c. p. 375), a PEARS (*London medical review and magazin.* Vol 6. p. 64). At illi non favet HILLARY (l. c. p. 329) ac pessime egit in aegro nostro elephantiasi affecto. Econtra profuit *calomel* Dr. GOURLAY l. c.

27) USTERI *Repertorium der medicin. Litteratur.* 1791. p. 149. — MATIUS de elephantiasi arsenico curata. Regiom. 1803. Et apud *Indos* medici sacerdotes arsenicum, sex partibus piperis remistum, exhibent. (FRANK Epit. l. c. p. 237).

28) SCOTT in BEDDOES *communications.* — CHISHOLM in DUNCANS *Annals of medecine for the year* 1800. Vol. V. Sect. 2. — In lepra squamosa partiali et ego cum fructu acidum nitricum adhibui.

29) QUARIN tentamen de cicuta. Cap. 9. 10.

30) ODEHLIUS in Actis Suecicis. T. 34. 39. — *Neue Abhandlungen der Schwedischen Academie.* 4. B. — LINNAEUS Diss. de ledo palustri. Upsal. 1775. — Amoen. Academ. Vol. 8. p. 285.

31) CRICHTON apud WILLAN l. c. p. 110.

32) SENNERT Lib. V. P. I. p. 28.

33) LETTSOM Lond. Dispens. p. 137. — LYSONS *in medical transactions.* Vol. II. No. 13.

plantago latifolia [34]), *cinchona officinalis* [35]) *cochlearia officinalis* [36]), *cucumis sativus* [37]), *potassa pura* [38]), *meloes cantharides* [39]), *caro viperina* vel *viperarum pulvis* [40]), *lacerta agilis* *), *serum lactis* [41]) etc. In genere remedia amara, antiscorbuticis nupta, ac pro re nata narcotica et diuretica, commendari queunt.

A. externa. 3. Sanguinis evacuatio, inprimis per *hirudines* ano admotas, in recenti malo ac urgentibus haemorrhoidibus, levamen affert. Nec *cucurbitulas cruentas* incipienti morbo opponere nocet. Immo

34) Celsus Lib. III. cap. 26.

35) Hillary l. c. (In elephantia pedum).

36) Marcellus de medicamentis. cap. 19. — Willan l. c. p. 109.

37) Heurnius Comment. in Hippoc. Aphor. 20. Lib. 3. — Willis l. c. Sect. 3. cap. 7.— Willan l. c. p. 108 (Adhibetur sive succus fructuum, sive fructus in aceto macerati, sive in aqua cum foliis decocti).

38) Willan l. c. p. 107.

39) Falconer nullum effectum ab hoc remedio a Mead commendato obtinuit (l. c. p. 377).

40) Galen Lib. XI. de simpl. med. facult. — Oribasius de virtute simplicium. Lib. 2. — Fernelius (method. med. general.) et Palmarius (de morbis contagiosis. Lib. de elephantias. cap. 9.) viperarum virtutem negant.

*) Gourlay l. c. Sudorem et urinam promovet, et aliquando diarrhoeam et vertiginem excitat.

41) Rhazes l. c.

mo, veteres varices incidebant, extrahebant, eradicabant. Ad reliqua remedia externa quod spectat, commendata fuere: *sulphas aluminis et potassae*, *helleborus albus* [42]), *calx viva*, *mercurius* etc., potissime autem *balnea sulphurea* aliaque *calida* [43]), sive *simplicia*, sive cum *herbis* [44]), ita *balnea marina* [45]). Praeterea Alibert et Hallé *unguentum oxygenatum* squamis illinitum laudant [46]). Aliud a Sculteto suadetur unguentum [47]), aliudque a Willan [48]).

4. *Regiminis diaetetici* in lepra curanda necessitas ex ipsis sacris paginis elucet. Victus facilis digestionis ac antiscorbuticus inprimis commenda-

Regimen diaeteticum.

42) Reece *medical and chirurgical pharmacop.* — R. Radicis hellebori albi contusae uncias duas. Coque c. aquae libris tribus; ad remanentiam librarum duarum, cui adde salis ammoniaci drachmas duas. D. Sr. pro lavatione.

43) Falconer l. c. — Willan l. c. p. 104.

44) Scultetus balnea cum fumaria, malva, veronica, enula paravit.

45) Russel de aquae marinae usu. p. 37.

46) *Rapport général de la société philomatique de Paris.* Vol. 2. p. 83.

47) R. Unguenti pomatini uncias duas. Balsami peruviani drachmas duas. Florum sulphuris uncias duas et semis. Olei tartari uncias duas. M. f. unguentum.

48) L. c. p. 105. (Unguentum picis).

mendari meretur. Aretaeus virtutem radicis *dauci carotae* extollit [49].

Cap. XXXV.

De Pellagra.

§. CXXXVIII.

Definitio. Historia.

Definitio. 1. *Pellagra* [50] morbum sistit inter rusticos Insubriae endemicum, periodice omni vere recrudescentem, erythemate et porrigine ad dorsum manuum insignitum, ac curriculo nonnullorum annorum, supervenientibus imbecillitate, melancholia, marasmo et diarrhoea colliquativa, lethalem.

Historia. 2. Pellagra jam medio seculo decimo sexto in Insubria extitisse videtur [51]. Certa autem illius historia solummodo initium seculi octavi attingit.

49) Curat. diuturn. cap. 2.

50) Pelagra. An a Πέλας, ut erysipelas? — An a cutis desquamatione, italice *spellarsi?* Scorbutus alpinus.

51) Invenitur ordinatio Capituli nosocomii majoris mediolanensis a. 1578. die 6 Martii edita, quae sic statuit: „*Quinto; quelli che saranno infermi di pellarella,*

ungit [52]. Praeclari de hoc morbo, millesies et ultra nobis viso, auctores sunt: ODOARDI [53], FRAPOLLI [54], ZANETTI [55], ALBERA [56], STRAMBIO [57], JANSEN [58], FANZAGO [59], WIDEMAR [60], GHERAR-

rella, croste o piaghe, siano accettati, avendo però il mandato sottoscritto ut supra."

52) Medicus, praxin in *Sesto calende* exercens, ANTONIUS TERZAGHI, J. P. FRANKIO die 10 Novembris a. 1794. scripserat: „*Sino dall' anno* 1750, *in cui cominciò mio padre ad esercitare la medicina in Sesto calende di lui patria, osservò dei pellagrosi. Il di lui padre, che era egualmente medico, ne aveva veduti molto prima.*"

53) *D'una specie particolare di scorbuto.* Venezia 1776.

54) Animadversiones in morbum vulgo pelagram. Mediol. 1777.

55) Acta physico-medica. a. 1778.

56) *Trattato delle malattie dell' insolato di prima vera, detta pellagra.* Varese 1784.

57) De Pellagra observationes. Mediol. 1785.

58) De Pellagra, morbo in mediolanensi ducatu endemico. Lug. Bat. 1788.

59) *Memoria sopra la Pellagra del territorio Padovano.* Pad. 1789. — *Paralleli fra la pellagra ed alcune malattie che le somigliano.* 1792.

60) De quadam impetiginis specie, morbo apud nos in rusticis nunc frequentiori, vulgo pellagra nuncupatur. Mediol. 1790.

GHERARDINI [61]), DELLABONA [62]), SOLER [63]), TITIUS [64]), ALLIONI [65]), CERRI aliique [66]).

§. CXXXIX.

Symptomata. Autopsia cadaverum.

Symptomata. 1. Pellagra versus aequinoctium vernale cum taedio, tristitia, gravitate capitis, susurru aurium, vertigine, dolore dorsi, crurum imbecillitate et urina turbida, ingruit. Apud feminas menstruatio difficilis pauca evadit vel supprimitur, subsequente saepissime fluore albo copioso. In genere, pulsus debilis, parvus et apyrecticus est. Mense aprilis praeviis tensione, pruritu et ardore plantarum pedum, cutis ad dorsum manuum, pedumque prius rubet ac splendet, dein vero colore sublivescente obducitur. Sunt qui similem cutis conditionem ad dorsum [67]), quin immo, ut vidimus, ad faciem,

61) *Della pellagra.* Milano.

62) *Discorso comparativo sopra la pellagra, l'elefantiasi de' Greci o lepra degl' arabi e lo scorbuto.* Venezia 1791.

63) *Osservazioni medico pratiche che formano la storia esatta della pellagra.* Ven. 1791.

64) Pellagrae morbi inter Insubriae austriacae agricolas grassantis pathologia. Lips. 1792.

65) *Ruggionamento sopra la pellagra.* Torino 1795.

66) *Briefe einiger Aerzte in Italien über das Pellagra. A. d. Ital. übers. von* SCHLEGEL. Jena 1807.

67) Sic contingere solet apud rusticos, qui indusium ad dorsum apertum habent.

faciem, praesertim ad genas, exhibeant. Versus finem maii vel initium junii, epidermis corrugatur, separaturque sub forma squamarum minutarum. Cutis sic denudata, donec nova brevi post cooperiatur epidermide, attactui levigata, splendens et mollis est. Redit simul prospera valetudo, ad proximum usque ver duratura. Hoc autem ineunte eadem scena renovatur, atque ita periodice usque ad tertium sive quartum annum, aucta sub quovis insultu morbi vi, praesertim accedentibus borborygmis, flatuum eructatione, alvo obstructa. Tunc crura jam vacillant, nebulae ante oculos versantur, visus obfuscatur ac objecta sive duplicia, sive dimidiata cernuntur. Interdum tumor gingivarum, raro sanguinem fundentium, aphthae, in foeda ulcera desinentes, ptyalismus, et lingua fissa in conspectum veniunt. Multorum sudor foetidissimus, ei ex pane mucore correpto similis, observatur [68]. En delirium melancholicum, furiosum, cum peculiari sese vel in aquam conjiciendi, vel alio pacto sibi injuriam inferendi [69] cupiditate. Gravissimis convulsionibus, praesertim brachiorum, nonnullos correptos observavimus. Singuli somnum interruptum, turbidum, non reficientem experiuntur. Ciborum desiderium nunc perstat, nunc evanescit. Interea cutis indicatis

68) Jansen l. c. p. 12.

69) Pellagrosum mense Augusti 1792 vidi, qui sibi cultro pudenda abscidit.

indicatis in locis magis magisque laeditur ac dura, sicca, pergamena, aspera, sulcosa, parumque insensilis fit et squamas quidem crassas, nunquam autem crustas exhibet. Saepe ungues deformantur ac crines, quos pluries instar setarum porci rigere conspeximus, decidunt, nunquam vero intricantur. Vulva hinc inde excoriationes, sive exulcerationes refert. Jam morbus vix remittit, ita ut aeger reliqua aestate et sequenti autumno hyemeque laboribus perficiendis impar reddatur. Quarto, quinto, sexto, interdum septimo vere ingruente, auctis singulis symptomatibus, diarrhoea colliquativa, meteorismo stipata, quid virium adhuc supererat, prosternit, donec miser in verum marasmum conjectus, nunc convulsus, nunc symptomatibus febris typhodis prehensus, extremum subeat fatum.

Autopsia cadaverum. 2. *Cadaverum autopsia* lucem nullam hucusque super pellagrae naturam sparsit. Saepius intestina inflammationem ac maculas gangraenosas exhibent. Specus vertebralis, quod sciamus, adapertus hucusque non fuit.

§. CXL.

Caussae.

C. praedisponentes. 1. Pellagra mares aeque ac feminas, rarissime infantes infra sextum annum et exclusive rusticos afficit. Duo enim solum nobis nota sunt pellagrae in incolis urbium exempla, unum scilicet

cet in hospite, alterum in bajulo. Morbus in regionibus clivosis ac siccis, nonnullis annis plus, aliis minus grassatur. Homines e stirpe pellagrosa orti, si mature solum natale derelinquant ac regionem huic aegritudini haud faventem adeant, immunes vivunt; alias prae ceteris ab eadem corripiuntur. Extranei diuturna mora inter pellagrosos infici queunt.

2. Quamvis pellagra nequaquam psorae vel luis venereae instar contagiosa sit, attamen illius progressus quotidiani ac introductio in pagos, ubi primum incognita erat, advenientibus novis incolis iisque infectis, magnam de contagio quodam lento nobis movet suspicionem. Vita egena, quam rustici Insubriae ducunt [70]), nec non graves, quibus incumbunt, labores ad evolutionem pellagrae evidenter conferunt; at sub simili rerum positione rustici aliarum regionum ab hoc morbo tamen immunes vivunt! Neque ab aestu radiorum solarium pellagra repeti potest, cum ea tempore vernali in conspectum veniat et vigente adhuc aetate evanescat. Interea, homines solis actioni minime expositos a pellagra haud affici, fateri oportet. C. excitantes.

3. *Caussa proxima* pellagrae tum in scorbuto [71]), tum in peculiari systematis nervosi affectione C. proxima.

70) Jos. Frank ratio institut. clinici Ticinensis. Vindob. 1797. in Praefat.

71) Odoardi l. c.

ne hypochondriasi affini [72]), quaesita est. Verum excepta virium prostratione fauciumque affectione, ne constanti quidem, nullum hic scorbuti indicum invenimus. Minor adhuc affinias cum hypochondriasi (forte major cum *raphania*) occurrit. Ex sequentibus vero observationibus pellagram ex *diathesi leprosa* pullulare, elucebit.

§. CXLI.

Diagnosis.

Est species leprae.

1. Pulsus debilis et parvus, urina turbida, alvus obstructa, flatus, transpiratio foetens, morositas, melancholia, imminuta cutis sensibilitas, vitia unguium et pilorum, impetigo squamosa et tabes, quae singula curriculum pellagrae comitantur, abunde illius *indolem leprosam* confirmant [73]). Adde, lepram olim communissimam inter Longobardos fuisse [74]).

Uni insubriae propria.

2. Fertur quidem pellagram hinc inde in aliis regionibus inveniri, e. c. ad Wolgam [75]), Viennae

72) Widemar l. c.

73) Cap. XXXIV. §. CXXXV. 1.

74) Longobardi jam seculo octavo pro populo adeo leproso agnoscebantur, ut summus Pontifex Sylvester Regi Galliae consilium dederit, ne filiam Regis Longobardi in uxorem duceret, ob dispositionem leprosam (Hensler l. c. p. 210).

75) Gmelin *Reise durch Russland*. 1. Th. p. 156. (morbum inter infantes epidemicum, ulceribus foedis stipatum,

nae [76]), in Westphalia [77]), in Saxonia [78]) etc., at, quamvis id haud impossibile existimemus, tamen nullibi, nisi in Insubria, hujus morbi vestigia detegere potuimus. Ipsam *Rosam Asturicam* a pellagra differre, infra demonstrabimus.

3. Pellagra facile societatem cum hydrope, asthmate, ophthalmia, ictero, obstructionibus viscerum et febribus intermittentibus inire solet. Complicationes.

§. CXLII.

Prognosis. Cura.

1. Pellagra plurima hominum millia singulis annis e medio tollit. Mutato quidem vitae regimine haud arduum evadit morbi curriculum, primis saltem annis, interrumpere, — at, quot non difficultates huic obstant mutationi! Desperandum est, si diarrhoea profusa vires multopere dejiciat, si nervorum systema praeter modum afficiatur, si oris cavum multum patiatur, sique cutis non Prognosis.

tum, curriculo nonnullorum annorum sanabilem, describit).

76) CARENO tentamen de morbo pellagrae observatae Viennae. 1794. (Per octo annos in magno nosocomio Vindobonensi praxin inter millenos aegros exercens, nec umbram pellagrae detegere potui).

77) BRANDIS *Erfahrung über die Wirkung der Eisenmittel.* p. 254.

78) STARK *Handbuch zur Kenntniss und Heilung innerer Krankheiten.* p. 617.

non omnino desquametur. Quamvis enim desquamationem neque pro signo pathognomonico pellagrae, neque pro absoluta crisi habere possimus, attamen eo majus levamen esse, quo major epidermidis secessus, constanter observatur. Ne vero quis se pellagram sanasse credat, priusquam convalescens domum redux, nonnullos annos exploratorios sustinuerit.

Cura. 2. Non aliter pellagrae occurrere possibile erit, nisi in melius mutata rusticorum conditione, non neglecta separatione aegrorum a sanis. Ad curam morbi quod spectat, *balnea tepida* (sub quorum usu cavendum est, ne aegri in aquis pereant), primum constituunt auxilium. Accedit *diaeta nutriens*, ex jusculis carneis, gelatinis, ovis, lacte et vino. Nec spernenda est, primis saltem annis, virtus *seri lactis* cum *herbis antiscorbuticis*, praecipue cum *portulaca oleracea*. Ultimis vitae temporibus *radix valerianae officinalis*, *aether sulphuricus*, *succinas ammoniae liquidus*, *cortex cinchonae*, vires quodammodo sustinent ac nervosis obstant symptomatibus. Praeterea transpirationis ratio habenda est. Diarrhoeam radix *quassiae simarubae*, *columbo*, et pulvis *caephelidis ipecacuanhae cum opio*, pro tempore compescere solent. Cuti affectae lac cum herbis emollientibus cum fructu imponitur. Neque frictiones cum *alcohol*, vel cum *succo recenter expresso sempervivi tectorum* nocent. Singula adhuc in pellagra tentanda

forent

forent pharmaca, quae in lepra aliisque morbis leprosis quandam promeruerunt laudem.

Cap. XXXVI.
De Plica.

§. CXLIII.
Definitio. Historia.

1. *Plica* 79) morbum constituit in Polonia, Tartaria, aliisque finitimis regionibus endemium, praeviis plerumque diuturnis ac universalibus incommodis nervoso-arthriticis, ad partes pilosas, potissimum capitis, erumpentem, crinesque conglutinantem ac inextricabiliter implicantem. **Denitio.**

2. Plicam per tertiam Tartarorum incursionem, ex oriente ad Poloniam, sub regno Leski *Nigri* advectam fuisse, ibique a. 1285 inter incolas innotuisse, **Historia.**

79) *Synonyma.* Trichoma, capillitium intricatum, tricae inculeorum, morbus cirrhorum, helotides, lues Pokutiensis. Germ. *Der Weichselzopf, der Judenzopf.* Polon. *Gózdziec, Gwózdziec, Koltun, Wieszczyca gosplotła.* (Teste Linde; *Gozdziec* morbum totius systematis et *Koltun* effectum illius, vitium scilicet capillorum, significat). Ross. Колтунъ.

tuisse, historia testatur [80]). Fertur porro idem morbus seculo decimo sexto, quo tempore imperantibus JAGELLONE et CASIMIRO IV. Polonia magnum cum Germania alebat commercium, ad Austriam et Bohemiam pervenisse [81]). Sunt contra, qui plicam, antequam ad Poloniam venerat, jam in Alsatia, Friburgi in Brisgovia et in Helvetia variis sub nominibus [82]) notam fuisse, contendant. Interea certa de plica in Germania obveniente notitia ante annum 1564 non habetur [83]). Immo in ipsa Polonia primum certum, amplum, ac scientificum plicae documentum annum tantummodo 1599 attingit, quo scilicet tempore LAURENTIUS STARINGIELIUS, Rector Academiae Zamosciensis, consilium facultatis medicae Patavinae [84]), utpote pro morbo novo [85]), expetierat. Scriptum hujusmodi HERCULI SAXONIAE [86]) et

80) DUGLOSSI Histor. Polon. Lips. 1711. T. VII. p. 849. 850. — CROMER de origine et rebus gestis Polon. Basil. 1558. p. 263. — SOLIGNAC *Geschichte von Polen, fortgesetzt von* PAULI. Halle 1763. p. 289.

81) SPRENGEL *pragmat. Geschichte.* 2. Th. §. 86. testimonio SOMMERSBERGI innixus. (Scriptor. rer. Silesicar. Vol. 1. p. 320).

82) *Marenflecht, Marenwirkung, Schrottlinszopf.*

83) STADLER apud H. SAXON. in op. citando.

84) Non *Ticinensis*, uti ALIBERTUS narrat (l. citando).

85) Id est, a 40 ad 50 annos noto.

86) De Plica, quam Poloni Godziec, Roxolani Koltun vocant. Patav. 1650.

et THOMAE MINADOO [87]) de plica disserendi opportunitatem dedit. At, eos nil nisi indigestas GALENI hypotheses in lucem edidisse, dolendum est. Idem de scriptoribus seculi decimi septimi, excepto quodammodo ABR. A GEHEMA [88]), valet. Ad eos pertinent: LUC. CAEL. FULGINATUS [89]), ANDREAS A GRAFFENBERG [90]), RODER. A FONSECA [91]), ne de plurimis dissertationum auctoribus loquamur e. c. de ANDR. POSTHUMIO [92]), GEHLERO [93]), COUSINOTO [94]), AGRICOLA [95]), ZEIDLERO [96]), BREN-

87) Op. c. cui adjunctus est consultus, Paduae XV. Kal. Jan. 1599 de morbo cirrhorum sive helotide habitus. (HALLER Biblioth. med. pract. Vol. II. p. 255).

88) De morbo vulgo dicto plica polonica. Hamb. 1683. Idem in Act. erudit. Lips. 1683.

89) Consultatio de lue Sarmatica. Ferrar. 1600.

90) Dialog. VII. ad Sarmatas de novae Pokutiensis luis, quam cirrorum morbum vocant, natura. Vincent. 1600. (HALLER l. c. p. 339. 683).

91) Consultatio de plica Polonica. App. ad Consult. med. Venet. 1618.

92) Diss. in qua novae Pokutiensis luis, quam cirrhorum vocant, natura et essentia examinatur. Vincent. 1600.

93) Diss. de plica. Basil. 1601.

94) Ergo plica epidemica Polonis. Paris. 1606.

95) Diss. de helotide seu plica polonica. Basil. 1615.

96) Diss. de plica polonica seu novorum cirrorum symptomate. Lips. 1623.

BRENDELIO [97]), SCHULZIO [98]), ROLFINKIO [99]), CRESSIO [100]), WINKLERO [1]), BOESIO [2]) etc. — Seculo decimo octavo, scripta de plica jam minus hypothesium et plus observationum exhibent, uti videre est apud BONFIGLIUM [3]), MICHALOWSKIUM *), ERNDTELIUM [4]), SCHULZEUM [5]), VICATUM [6]), BISIUM [7]), HOFFMANNUM [8]), MUSTALLIER [9]), BRERA [10]), praecipue autem apud GILIBER-

97) Diss. de plica polonica. Jen. 1630.

98) Diss. de plica polonica. Lugd. Batav. 1648.

99) Diss. de plica polonica. Jen. 1658.

100) Diss. de plica. Heidelb. 1682.

1) Diss. de plica, GERM. *Weichselzopf.* Heidelb. 1682.

2) Diss. de plica polonica. Jen. 1687.

3) Tract. med. phys. de plica polonica. Wratislaw. 1712. Cracov. 1720.

*) *Kalendasz Polsti i Ruski.* Krakow. 1721. p. 30. (Hypothesibus abundat).

4) Varsawia illustrata. Dresd. 1730. p. 153.

5) *Krankheiten in Polen und Litthauen.* Dresd. 1754.

6) *Mémoire sur la plique polonoise.* Lausanne 1775.

7) *De melancholià, mania et plica polonica.*

8) *Beschreibung des Weichselzopfs nebst einer Anweisung, wie man sich in dieser Krankheit verhalten müsse, um davon zu genesen.* Königsb. 1792.

9) *Praktische Abhandlung über den Weichselzopf.* Wien 1790.

10) Sylloge opusculorum. Vol. I. Pav. 1798.

BERTUM [11]), et DE LA FONTAINE [12]). Nec plurimae de eodem argumento dissertationes spernendae sunt, e. c. illae STABELII [13]), LUDOLFFI [14]), LANGGUTHI [15]), FRANC. A FRANKENAU [16]), JUCHII [17]), KORDALYI [18]), ORLOFFII [19]), GABRIELI [20]), SYDOWI [21]), aliorumque. Seculo currente optime plicae doctrinam dilucidarunt SCHLEGEL[22]),

ALIBERT

11) Adversar. med. pract. prima. Lyon. 1791.

12) *Chirurg. med. Abhandl. verschiedenen Inhalts, Polen betreffend.* Breslau 1792.

13) Diss. singulares observationes de plica polon. Hal. 1724. in HALLERI collect. diss. pract. I. No. 17.

14) De plica, s. *Judenzopf.* Erf. 1724.

15) Progr. de plica quatuordecim pedum. Witt. 1776.

16) Diss. de plica polonica, Lithuaniae Koltun, Poloniae Godziak. Hafn. 1723.

17) Diss. de trichomate seu plica polonica, Sarmatiae endemica. Erf. 1734.

18) Diss. de plica polonica. Hal. 1776.

19) Diss. de plica polonica. Regiom. 1766.

20) Diss. de plica polonica. Budae 1780.

21) Diss. de trichomate. Francf. 1798.

22) *Ueber die Ursachen des Weichselzopfs der Menschen und Thiere, die Mittel denselben zu heilen, in kurzem auszurotten und dem dadurch entvölkerten Polen seinen ehemaligen blühenden Wohlstand wieder zu verschaffen.* Jena 1806.

Alibert [23]), Hecker [24]) et Chromy *). Obiter idem argumentum Wolffram [25]), Chamseru [26]), Larrey [27]) et Boyer [28]) absolverunt, uti alio loco monuimus [29]).

§. CXLIV.

Symptomata. Autopsia cadaverum. Analysis chemica.

Generatim 1. Curriculum plicae diversum animadvertitur, prout germen morbi, vel jam diu in corpore delitescit, vel recenter acquisitum est. Primo enim in casu, vitio capillitii symptomata labem universi

23) Op. c.

24) *Gedanken über die Natur und die Ursachen des Weichselzopfes.* Berlin 1810.

*) *Neueste Ansicht des Weichselzopfes in seiner Grundursache.* Freiberg 1813.

25) *Versuch über die höchst wahrscheinliche Ursache und Entstehung des Weichelzopfs, nebst einer sichern Heilung desselben.* Breslau 1804.

26) *Recueil périodique de la société de médecine* 1807. *Septbr.*

27) *Bulletin des sciences médicales, par la société médicale à Paris.* 1808. *Février.*

28) *Journal de médecine continué.* Vol. 15. p. 352.

29) Acta mea clinica. an. 3. 4. 5. 6. Lips. 1812. p. 39. — *Mémoire sur l'origine et la nature de la plique polonoise.* Vilna 1814.

universi corporis indicantia praecedunt, in altero contrarium contingit.

2. *Labes universalis plicosa*, sicuti per centenas observationes edocti sumus, unum alterumve ex sequentibus signis, per menses aut annos plures perseverantibus, exhibet, nempe: cephalalgiam [30]), hemicraniam [31]), dolores decursum nervorum faciei sequentes [32]), vertiginem [33]), sensum vacui cujusdam interni [34]), pavores [35]), taedium [36]), melancholiam, maniam [37]), intoleran- Labes universalis.

 tiam

30) Virginem plicosam, diu noctuque per octo annos intolerabili capitis dolore laborantem, novi.

31) Hemicraniae longe saepius quam cephalalgiae in plica obveniunt, verum non periodice, uti solent, recurrentes, sed continuo saevientes.

32) Dolores hujusmodi magnam interdum cum prosopalgia similitudinem offerunt, quod affinitatem prosopalgiae cum cancro et originem cancri e leprosa diathesi confirmare videtur.

33) Cephalalgias et hemicranias plicosas pluries in vertiginem transivisse aut alternatim cum iis aegros invasisse, observavi. Aliquando vertigo hic est caduca.

34) Nunc regio cordis, nunc illa lienis aut ventriculi eodem pacto, acsi *vacua* esset, ab aegro indicatur.

35) Praecipue hoc symptoma inter Judaeos plicosos obvenit, ita ut solitudinem aeque ac consortium hominum respuant.

36) De taedio quidem multi plicosi conqueruntur, at nunquam usque ad vitam sibi eripiendam.

37) Tum melancholia, tum mania saepius ex plicosa dia-

tiam lucis [38]), lacrymationem [39]), sensum luci repentinae ante oculos [40]), hemeralopiam [41]), di plopiam [42]), amaurosin [43]), cataractam [44]), gra vedinem, stricturam immobilitatemque oculo rum [45]), strabismum, ophthalmitidem, psoroph tha

diathesi apud nos oritur, praecipue si aegri potu alco hol indulgeant. Plurimi ita hallucinantur, ut lienem aut uterum per abdomen vagantem, latrantem, lo quentem accusent.

38) Citra omnia inflammationis indicia ea obvenir solet.

39) Oculi nonnullorum continuo lacrymis innatant sunt, qui ob id aegre viam, quam pergunt, observen

40) Judaeus plicosus, in cubiculo obscuro degens, illu aliquando inopinate sibi inclarescere retulit. Idem uni cus porro est plicosus, qui de *nimia ad venerem pro clivitate* mihi querelas faceret.

41) Hemeralopia saepius fortuito plicam comitatur, prae cipue in nonnullis provinciis, ubi ea endemice regnat e. c. in quibusdam Volhyniae et Ukrainiae locis, in terdum vero uti proprium plicosum symptoma ob venit.

42) Bina exempla diplopiae in plicosis conspexi, ac ae gri eadem prorsus ratione ac pellagrosi de hoc incom modo rationem reddebant.

43) Plurima hujusmodi exempla observavi.

44) Morbi oculorum ex plicosa diathesi optime a La- fontaine descripti sunt.

45) Tantam interdum hic oculorum immobilitatem ob- servavi, ut aeger varia eum circumdantia objecta non aliter, quam totum caput circumvertendo, cernere po- tuerit.

thalmiam, sociis trichiasi et distichiasi [46]), hypopyon, aurium continuum susurrum, tinnitum, bombum sensumque sive insecti in aure reptantis *), sive venti ex meatu auditorio prodeuntis, auditum duplicem **), surditatem, olfactum gustumque deletum, dentes cariosos [47]), cum gingivis caeterum saepe optime constitutis, halitum foetentem, siccitatem linguae, ac oris cavitatis glandulas sublinguales tumidas, a venis varicosis circumdatas, tumorem glandularum submaxillarium, colli, sensum tensionis ab occipite descendentem collumque complectentem, gravedinem pectoris, catarrhum chronicum, phthisin simulantem ac sputis candidis aliquando insignitum [48]), frequentem cordis palpitationem [49]), pulsum admodum de-

46) Distichiasis existentiam Cl. Scarpa in Lithuania non negaret.

*) Tali pacto puella in clinico nostro laborabat.

**) Rarissimum hoc symptoma semel tantum mihi obvenit. In utraque aure id locum obtinuit, ac aegra asserebat, se verba ab *uno* prolata, ac si a *duobus* simul proferrentur, percipere.

47) Dentes bene constituti ac formosi in genere raro in Lithuania occurrunt, quod neglectu munditiei vix adscribi potest, cum certe vulgus in Italia, pulcherrimis dentibus instructus, majorem eorum curam non habeat.

48) Acta mea clinica. Vol. III. p. 83. — Alibert l. c. §. 85.

49) Cordis palpitatio frequentissime apud feminas plico-

sas

debilem, extremitates subfrigidas, dolores sub un-guibus, formicationis sensum inter cutem, cibo-rum desiderium deletum, picam, insuperabile li-quorum fermentatorum desiderium, oppressionem epigastrii [50]), vomitum *), tensionem hypochon-driorum [51]), praecipue regionis hepaticae [52]), sin-gultum **), borborygmos, ructus, sensum glob-sese in abdomine rotantis [53]), alvum tardam [54]) haemorrhoides [55]), varices extremitatum inferio-rum

sas obvenit, ac interdum vanam morbi cordis, sive va-sorum majorum, suspicionem movet.

50) De hoc familiari symptomate aegri plerumque pri-mum conqueri solent.

*) Vomitum rebellem, spatium duorum mensium perdu-rantem, et solummodo ab eruptione plicae sedatum nu-perrime vidi.

51) Aegri interdum ob hypochondriorum dolorem corp-flectere nequeunt.

52) Hepatis morbi chronici inter nos communes sunt saepe cum plicosa diathesi cohaerent.

**) Singultum per mensem protractum, et evoluta pli-profligatum, observavi.

53) Citra taeniae latae, apud nos familiaris, praesentia-sensus globi in abdomine rotantis a plicosis nonnul-percipi solet.

54) Constantissimum symptoma, drasticis et clysterib-vix debellandum, sistit. Vidi alvi obstructionem ult-mensem protractam, et enemata absorpta.

55) Haemorrhoides in regionibus septentrionalibus, etiam si plicae non faventibus, saepe occurrunt et ni fallim-ul

rum [56]), fluorem album [57]), menstrua irregularia, serosa, foetentia, urinam turbidam, sedimento copioso, nunc lateritio, nunc puriformi praeditam, aliquando veluti in diabete copiosam [58]), aliàs suppressam *), transpirationem specifice olentem [59]), anaesthesiam tactus [60]), dolores, stupores artuum, tumorem ultimarum digitorum phalangum, lumbaginem, erysipelas habituale potissimum crurum, spasmos, motus convulsivos et paralysin variarum partium, ungues deformes, carie sicca laborantes, impetigines varias, praecipue guttam roseam, porriginem, vitiliginem, herpetem ro-

den-

ubique locorum de die in diem frequentiores redduntur, at nullibi evidentiores, et constantiores, quam in plicosis, observari solent. Saepe haemorrhoides hic in juventute jam omnes limites excedunt.

56) Ulcera crurum antiqua ex varicibus et erysipelate communem nostratum constituunt morbum.

57) Et citra plicosam diathesin fluor albus apud nos feminis adeo familiaris est, ut plurimae eum nequidem pro morbo habere soleant. Longe autem gravius plicosas afficit.

58) Non solum diabetem in plicosis observavi (Acta mea clinica. Vol. III. p. 92). Sed saepius non sine stupore enormem copiam urinae ab iis redditae consideravi.

*) Per triduum urinam primum suppressam, ac dein involuntarie fluentem, conspexi.

59) Gilibert *Sammlung prakt. Beobacht.* Leipz. 1792. p. 313.

60) Acta mea clinica Vol. III. p. 33.

dentem et similia. Stadium, sub quo plura ex hisce symptomatibus animadvertuntur, interdum ad decem, quindecim annos protrahitur, plerumque autem inter primum et tertium annum absolvi solet.

Evolutio plicae.

3. Plica nunc sensim sensimque, nunc uno oculi ictu, inprimis praevio somno diuturniori *) evolvitur. In genere, evolutionem hujusmodi febris comitatur, instar nunc intermittentis, nunc continuae rheumaticae decurrens ac crudeli cephalalgia cum multis sudoribus *iisque foetidis* stipata. Hinc inde febris, nequaquam ad plicam spectans atque omnino accidentalis, e. c. typhus, evolutioni plicae ansam porrigit, quod et de puerperio [61]), de variolis [62]), de scarlatina [63]) etc. valet.

Formatio plicae.

4. Ipsa sequenti modo formari solet plica. Plerumque sudor viscidus e parte capillata capitis manans, capillos ad basin conglutinat ac obducit. Nisus hic capillorum ad conglutinationem tantus est, ut Judaeus nobis obvenerit, cujus mitra ita cum crinibus cohaeserit, ut eam removere amplius haud

*) Per hebdomadem, vix trium horarum spatio in nychthemero, vigilabat aegra quaedam ante plicae eruptionem.

61) Multa plicae sub puerperio evolutae numero exempla.

62) De la Fontaine l. c.

63) Unicum solummodo casum plicae post scarlatinam evolutae observavi.

haud potuerit. Interdum vero *vel absente sudore* crines ad apicem intricantur, ac procul dubio haec *plica sicca* haud raro occurrere solet. Quocunque in casu capilli adeo ad implicationem tendunt, ut, si etiam liceat eos, incipiente morbo, ad vesperam separare, altera mane iterum intricati inveniantur. Plicâ autem formatâ, crinium implicatio nullo pacto solvi potest. Est vero plicae figura varia: consistit enim nunc in fune solitario [64]), alterutrum vel alterutrinque capitis latus occupante [65]), apice vel acuminato [66]), vel recurvo [67]), vel crasso [68]), instructo, nunc in funibus plurimis [69]) aut laceratis [70]), aut spiralibus [71]), nuncque placentis, nido avium vel tiarae similibus [72]). Funes veluti capilli sani, integumentis cranii adhaerent. Nonnunquam inter eos areae observantur. Plica tiarae formam referens, incipiente morbo fere immobilis capiti affixa est; eo autem senescente, subcrescentibus capillis sanis, magis magisque a capite distare ac mobilis reddi

inci-

64) Plica longicauda Aliberti. l. c. Tab. IX.

65) P. longicauda lateralis A.

66) P. longicauda fusiformis A.

67) P. longicauda falciformis A.

68) P. longicauda clavaeformis A.

69) P. caput-medusae A. Tab. VI. VII.

70) P. caput-medusae laciniata A.

71) P. caput-medusae cirrhata A.

72) P. cespitosa.

incipit. Pondus illius ab unciis quatuor ad libras duas, tresve ascendit. Universa superficies cranii in plica recenti a rudiori attactu dolore afficitur, at nunquam crines ipsi sensu instruuntur. Fabula quoque est, crines sanguinem fundere. Bulbi aliquando intumescunt ac inflammationis fere vestigia exhibent, capillorum vero diameter normalis manet. Superficies integumentorum capitis hinc inde achores offert. Pediculi sat raro in plicosis occurrunt. Haud commune est, plicam ad barbam, ad crines subaxillares, vel pubis oriri. Formam autem tunc constanter funium induit. Plica recens foetorem specificum spirat, antiqua odore destituitur.

Reliquiae. 5. Evoluta plica, symptomata universalia remittere, quin immo evanescere solent. Verum haud raro continuant, aut et majori vi saeviunt. Tale inprimis accidit infortunium, si evolutio imperfecte contigerit, aut quocunque demum modo impedita fuerit. Hoc in casu morbus unguibus longe magis infensus est. In generè, levamen a plica evoluta, pro tempore solum locum habet. Post annum enim unum vel alterum saepe cuncta recrudescunt symptomata, donec secunda sequatur crinium affectio. Sunt qui quatuor, sex, decem, morbi accessus patiantur. Interea corpus magis magisque labefactatur, habitusque aegrorum luridus et fere specificus evadit. Apud multos ulcera foeda, adspectu cancrosa, sed lentius serpentia,

tia, ad extremitates potissimum, in conspectum veniunt. Nec rarum est, genuinum cancrum labia, nasum, frontem, genas, mammas, devastare. Ossa facile cariosa fiunt. Musculorum vis evanescit, ac illi extremitatum marcescunt, rigescunt. Tandem sive hydrops, sive scirrhus viscerum, sive phthisis pulmonalis, sive scorbutus, miserrimae vitae finem imponunt.

6. Plica recenter acquisita, cujus nullum in propria praxi numeramus exemplum, cum symptomatibus evolutionis trichomatis incipit, ac dein sensim sensimque universum corpus aggreditur, quo facto morbus, veluti plica jam diu in corpore delitescens, decurrit. P. recenter acquisita.

7. Plurima cadavera hominum *cum* plica demortuorum, nullum vero *ex* plica secuimus. In illis fere semper hepar morbosi quid offerebat, nunc enim volumine auctum, nunc scirrhosum, nunc friabile et acinosum, conspiciebatur. Autopsia cadaverum

8. Non laudandum, sed nostrae non adscribendum culpae, quod in Lithuania degentes analysin crinium plicosorum ex Gallia usque depromere coacti sumus. Enim vero praeter analysin a Cl. Alibert publici juris redditam [73]), secunda adhuc desideratur. Docet autem illa, crines plicosos eadem ac sanos circiter exhibere principia, sed minori quantitate, praecipue minus sulphuris, minus Analysis chemica.

73) L. c. §. 143.

nus phosphatis et carbonatis calcis, minus ferri, et nullum sulphatem calcis, nullumque oleum. Praeterea longe facilius in aqua solvitur substantia crinium plicosorum, quam sanorum. Optandum foret, ut chemia non solum crines, sed et alios humores, praecipue urinam plicosorum examini subjiceret, et quidem non in morbo jam provecto, sed in recenti, tempore evolutionis trichomatis.

§. CXLV.

Caussae.

Praedisponentes.

1. Plica nulli aetati parcet, vidimusque infantes primum necdum annum attingentes et senes decrepitos, hoc morbo detentos. At, haec rara sunt exempla et in genere plica inter pubertatem et senium obvenire solet. Plicae connatae, a Lafontaine observatae, nullum propria praxis nobis casum suppeditat. Feminae aeque ac mares a plica afficiuntur. Nulla corporis constitutio ab ea immunis est, vidimusque homines robustos, floridos, obesos, plicam, saltem recentem, summo in gradu exhibentes. Capillorum color nequaquam in plicam influit. Maxime rustici trichomati subjiciuntur; accedunt mendicantes, sequunturque Judaei, longe minus, saltem in Lithuania, huic morbo obnoxii, quam vulgo creditur. Eum vel in splendidissimis occurrere familiis nemo medicorum in earum mysteriis initiatus ignorat; probrosus enim morbus illis est. Quocunque autem in

in civium ordine plica appareat, saepissime ea vitium haereditarium, et haud raro ab avis ad nepotes transiliens, sistit. Corrupti autem nonnullorum mores investigationem originis interdum arduam reddunt; immo, hac ipsa ex caussa, plica nonnunquam in alienis regionibus a viatoribus polonis disseminari videtur *).

2. Latens plicae germen, a caussis permultis ocyus serius evolvitur, in quibus, si primam hujus morbi rationem quaeris, maxime erras. Pertinent huc praecipue frigus, calor, humiditas, victus acris, animi pathemata et neglecta mundities. Quamvis enim Schlegelio caussam plicae in Polonorum caput radendi more quaerenti [74]) assentiri non possimus, cum trichoma et in partibus tectis et apud Judaeas crines continuo cooperientes obveniat; attamen frigus, inprimis capiti incaute admotum, multum in plicae generationem influere, haud dubitamus. Certe non sine peculiari ratione Poloni utriusque sexus, caput plus, quam reliquae gentes, hyemali tempore velamentis Excitantes.

varii

*) Cum exercitus Polonorum a. 1813 et 1814 per Germaniam et Galliam, et antea per Hispaniam, vagatus sit, atque multae feminarum cum militibus omnium ordinum procul dubio commercium habuerint, nisi plicae ipsius, saltem labis plicosae apparitionem in alienis regionibus, praedicimus, ac medicorum ad hoc attentionem mature excitamus.

74) L. c.

varii generis custodire solent. Qui id negligunt extranei, facile habituali cephalaeae obnoxii fiunt. Interea sicuti extrema saepe se tangunt, ita et hic, abusus velamentorum capitis ad plicam excitandam valet, Revera plica frequentius aestivo quam hyemali tempore evolvi observatur. Evolvitur autem praecipue in regionibus humidis et uliginosis, in locis scilicet, in quibus vel Vistula, vel alia flumina ob frequentes inundationes paludes producunt, aut ubi aquae ex nivis liquefactione aut ex pluviis stagnant et a solo non arenaceo aegre absorbentur[75]). Et victum ad generationem plicae apud praedispositos contribuere credimus, inprimis carnem porcinam, quam nostrates omnibus fere in morbis pro suspecta habent [76]), aut halices aliique pisces, quibus potissime Judaei vescuntur. Peculiare vegetabilium acidorum desiderium, quo non solum Poloni, sed et extranei inter eos viventes, incitantur, attentione hic plane dignum est. Nil autem magis ad plicam producendam valet, quam animi pathemata, inprimis terror [77]). Immundities hic non aliter, quam in reli-

75) In Lithuania plica communissima est in districtibus Luck et Sinsk.

76) Rarissime vulgus Lithuanorum apud medicum quaestionem, *utrum liceat carnem porcinam comedere?* silentio praetereunt.

77) Vir robustus a cane terrefactus illico in plicam incidit. Plura quoque exempla trichomatum ex terrore ob incendia mortesque parentum vel amicorum numero.

reliquis morbis cutaneis agere videtur. Extra autem dubium est, plicam, saltem recenter evolutam ac humidam, contagiosam habere indolem. Communicatur inprimis per lactationem, per lectos, vestes et mitras. Plicae per coitum acquisitae nullum habemus exemplum. Ab equis contagium plicae in homines transivisse [78]), haud veri simile videtur, quamvis trichoma tum inter illos, tum inter vaccas, canes, capras, vulpes, lupos observetur.

3. Plicae *caussam proximam* quaevis schola per proprias hypotheses explicare satagit; — at incassum. Immo, singulae hac in re disquisitiones non sine taedio perleguntur ac doctrinae incremento evidenter obstant. Nec ignoratio circa plicae naturam intimam iis mira videri potest, qui caussam proximam febrium intermittentium, inflammationum aliorumque morborum vulgarium profundius latere, quam quod oculo humano cerni possit, candide fatentur. Merum impuritatis plicam effectum sistere, ex dictis sponte refutatur. Neque de *indole venerea* plicae [79]) suspicio moveri amplius potest, si consideremus: eam longe ante luem veneream in Europa innotuisse, vix aut ne vix quidem per coitum communicari, lentissime evolvi, ac mercurii virtutem non solum eludere, Proxima.

78) Bibliotheque Britannique. Sciences et arts. Vol. 26. No. 2. a. 12. Juin 1804. p. 197.

79) Hanc opinionem Wolffram et Larrey defendunt.

re, sed ab eo potius exasperari. Caeterum plicam cum lue venerea saepe complicari haud negabimus. Nec *arthritis* utpote in universa Europa plus minus obvia, de morbo, *unius* tantum regionis endemio, rationem reddit. Non ita, uti ex sequentibus apparebit, *diathesis leprosa*.

§. CXLVI.

Diagnosis.

Est species leprae.

1. Si enim consideremus: in plica pulsum esse constanter debilem, urinam jumentosam, turbidam, sedimento instructam, alvum tardam, cum flatibus et ructibus; transpirationem foetorem peculiarem prae se ferre; morositatem, melancholiam, formicationis sensum, varices, potissime haemorrhoides, tumores glandularum lymphaticarum obvenire; pilos et ungues praecipue laedi; cutim ulceribus defoedari ac tabem tot malis finem imponere; — quid ad *morbum leprósum* constituendum deficiat, plane non videmus. Addite plicam ex oriente, leprae scilicet patria, originem trahere, eam seculo decimo tertio, tempore igitur, ob lepram per universam Europam vagantem, praecipue infenso, divulgatam fuisse, eamque teste pellagra aliisque morbis infra recensendis, — non unicas leprae in Europa sistere reliquias, regionibus septentrionalibus minime exceptis 80). Si quis

80) „Regio hujus mali (leprae) inductrix est, tum quae

quis objiciat, intelligi haud posse, cur lepra in Polonia tantum formam plicae induerit; — id libenter concedimus, at nequaquam pro objectione habemus. Quot etenim res non sunt, quae explicari nequeunt?

2. Plica, utpote quae communem cum *pellagra* habet stirpem, nonnullas etiam hoc cum morbo offert affinitates; sunt enim utrique morbi endemii, lento contagio instructi, haereditarii, rusticis inprimis familiares, symptomatibus nervosis stipati, quae apparente vitio ad superficiem externam corporis sublevantur quidem, ac re ipsa tractu temporis quotidie invalescunt, donec, laesis unguibus, vires frangantur, ac tabes vel hydrops vitam, certe citius in pellagra quam in plica, terminet. Pellagra magis cum lepra squamosa, ac plica magis cum elephantiasi convenire videntur. Affinitas cum pellagra.

3. Plica, *sporadice* et in aliis regionibus, praeter Tartariam et Poloniam visa est, nempe in Silesia 81), Bohemia 82), Suevia 83), Borussia 84), Saxo- An plica et in aliis regionibus obveniat.

quae valde calida est, tum quae *vehementer frigida* est." Aetius tetrab. IV. serm. I. cap. 120.

81) Stachelbroth in *Archiv der prakt. Heilkunde für Sehlesien.* 2. B. 3s St. No. 4.

82) Judaeam ex urbe *Collin*, prope Pragam, vera plica laborantem, Viennae vidi.

83) Gockelius, Gallicin. Cent. II. No. 16.

84) Hennings *Genius der Zeit* 1799. *April.*

Saxonia [85]) aliisque Germaniae locis [86]), ne de insula Ceylon [87]), sermonem instituamus.

Plica spuria.

4. Interea non omnis capillorum implicatio illico pro *plica genuina* declaranda est. Datur enim trichomatis species, cui neglectus pectinis usus ansam porrigit, quodque ubicunque post diuturnos morbos obvenit. Plica haec *spuria* dicta, inter ipsos Polonos communis observatur, utpote qui dum morbis obscuris laborant, saepe consulto pectinis usum et capitis munditiem negligunt, spe, non semper inani, freti, depositionem materiae plicosae ad capillitium ita utiliter promoveri posse. Capillorum ista artificialis implicatio, integrum capillitium detinet, figuram irregularem exhibet, capiti minus adhaeret, mobilior est, patientia extricari potest, defluvium crinium socium habet, pediculorum saepe nidum constituit, ac potissime signis universalibus morbi plicosi destituitur.

Recondita plica.

5. Nisi progenies aegrorum aut probabilitas contagii suscepti indicio sint, recondita adhuc plica difficulter cognoscitur. Nec illius evolutio omnino ad diagnosin morbi plicosi requiri videtur. Sicuti enim febris variolosa aut scarlatinosa *sine variolis*

85) Vogler in Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde.* 11. B. p. 40.

86) Holst ibid. 7. B. 4. St.

87) Mezelane in *Verhandlingen van Haarlem.* T. 24. No. 3.

variolis aut *scarlatina* obvenire potest, ita et morbus plicosus *sine plica*. Interim nisi in crinibus, saltem in unguibus ocyus serius plicae indicia comparere solent. Antequam hoc contingat, de plica potissime inter nostrates suspecti sunto morbi nervosi praecipue affectionem medullae spinalis indicantes *), et morbi arthritici rebelles, praecipue si urinam jumentosam, dolorem epigastrii et affectionem auditus (certissima nempe plicae reconditae symptomata) socia habeant.

6. Plicam, quam *spuriam* vocant, nequaquam genuinae plicae speciem, sed vitium accidentale et locale capillitii sistere, quis non concederet? Sequitur inde, divisionem plicae in *veram* et *spuriam* omni fundamento destitui. Idem de divisionibus plicae ab Aliberto excogitatis [88]) contendimus, cum forma varia plicae caussas plane accessorias ac nullo pacto ad variam morbi indolem spectantes agnoscat. Sic, qui capite raso, excepto vertice, incedunt, *plicam* solummodo *solitariam* exhibere queunt; sic feminae, crines circumvolvere solitae, *plicam caput medusae*, viri autem quorum capilli libere pendent, *plicam longicaudam* offerre solent. Summi econtra momenti est plicae divisio in eam, quae ex vitio totius systematis pullulat (*plica secundaria*), ac in eam, Variae species.

 quae

*) Multa sane phaenomena ostendunt, quod haec systematis nervosi pars maxime in plica patitur.

88) L. c.

quae recenter acquisita est et solummodo periculum universalis infectionis minatur (*plica primaria*). Praeterea non inanis plicae divisio a *periodis* suis desumitur, quo sub respectu plicam, in *reconditam*, *recenter evolutam* et *senescentem* dividimus.

Complicationes. 7. Maxime tandem refert *complicationes* plicae cum aliis morbis rite eruere. Nulla inter eas *venereâ* frequentius occurrit, inprimis in Lithuania, ubi syphilis inter rusticos non solum per coitum sed et convivendo (*sibbens* et *scherlievi* instar) propagari solet. Affectio faucium characterem venereum exhibens, vel condylomata circa anum et genitalia, utpote symptomata soli syphilidi propria, praecipue complicationem hujusmodi indicant. Postremo et *scorbutica diathesis* haud raro cum plica societatem init, quod ex gingivarum potissime conditione, nec non ex haemorrhagiis, utpote plicae simplici non familiaribus, palam fit.

§. CXLVII.

Prognosis.

Periculum. 1. Plica morbum rebellem, vix unquam radicitus evellendum sistit. Homines eo detenti, rarissime provectam aetatem attingunt. Evidens hinc in plica defectus incolarum in solo polonico *una* invenitur ratio; reliquas álio loco enumeravimus [89]).

2. Debita

89) Acta mea clinica. Vol. III. p. 37.

2. Debita evolutio trichomatis, magnum quidem levamen reliquorum malorum, vel eorum pro tempore absolutam cessationem sperare, at nunquam promittere sinit. Vidimus enim aliquoties morbum irrita plicae evolutione continuasse, immo hinc inde auctum fuisse. Cum emolumento contingere solent sudores habituales, urina crassa, haemorrhoides modice fluentes et erysipelas periodicum; e contra de gravi morbo testantur sensuum vitia, diuturna cerebri et nervorum mala et inprimis affectiones systematis lymphatici. Semiotica.

§. CXLVIII.

Cura.

1. Plica publici regiminis attentione quammaxime digna est, nec eam *Borussia* sprevit [90]. Prophylactica publica. Dolemus tantum in regionibus plicosis plurima adhuc rerum adjuncta legum medicinalium executioni obstare. Interea sequentes proponimus: 1. Ineatur, quantum fieri potest, *calculus* incolarum plica laborantium, saltem rusticorum et pauperum, quavis in provincia sive urbe. 2. Constituatur *medicus* unice negotiis de plica, in toto imperio moderantis intentus. 3. Erigatur *nosocomium*, vel dicetur pars nosocomii pro quodam plicosorum numero, ut morbus accuratissime examinari utque nova in eo curando pericula institui possint. 4. Esto ad latus hujus nosocomii *bibliotheca*,

90) Formey med. Ephem. 1. B. 4. St. p. 71.

theca, libros et dissertationes omnes continens, quae hucusque de plica publici facta fuere juris; item *museum pathologicum*. 5. Stabiliatur ab initio *praemium* medicum et annuum optimis circa plicam observationibus et promittatur elapso decennio *remuneratio* insignis quaedam meliori de hoc morbo operi. 6. Conscribatur *liber popularis*, quo vulgi attentio ad plicam dirigatur, praeconceptae opiniones deleantur et legibus medicinalibus promulgandis via quodammodo paretur. 7. Excitentur, quicunque circa plicae curam sive peculiare auxilium, sive aliquod secretum possident, ad illud aut humanitatis aut remunerationis gratia patefaciendum. 8. Revocetur praecipue attentio parentum, ut in filiis matrimonio jungendis stirpis plicosae rationem habeant. 9. Vetentur rusticis plicosis matrimonia tum inter se, tum cum sanis. 10. Emendetur quousque possibile servorum conditio. 11. Remuneretur herus, qui ex proprio praedio plicam extirpaverit. 12. Subjiciantur severo examini praedia, ceteris paribus maxime plicae obnoxia. 13. Recludantur mendicantes plica affecti. 14. Vetetur plicosis introitus ad balnea publica, erigaturque ipsis proprium balneum. 15. Occupent plicosi loca segregata in scholis. 16. Necentur aut separentur ab aliis animalia domestica plica laborantia. 17. Moneantur medici et chirurgi, ne *vaccinam* ab infantibus de plica suspectis desumant, utque in *nutricibus* eligendis semper

plicam

plicam coram oculis habeant. 18. Adficiantur gravi poena homines plicam consulto et dolose aliis communicantes [91]). Tandem venditio vestium et pileorum obsoletorum prohibenda, vel saltem severae inspectioni subjicienda.

2. Aeger de recondita plica suspectus, tueatur se a refrigerio, evitet esum carnis suillae, piscium sale conditorum; abstineat a capillorum et unguium abscissione, immo a pectinis usu necnon ab itineribus in regiones plicae evolutioni non faventes [92]). Conducunt balnea, tum vaporis, tum alia tepida, inprimis sulphurea. Item remedia excretionem alvinam sollicitantia et quidem potissime *radix rhei palmati, supertartras potassae, electuarium lenitivum* etc. Aegre prodeuntibus haemorrhoidibus *aloe* succurrit [93]). Econtra iis tumidis molestisque, *hirudines* ano applicitae, conspicuum levamen afferunt. Simul, ut urinae secretionis et transpirationis summa ratio habeatur, oportet. Primo scopo *baccae juniperi communis*, al- C. p. reconditae.

91) Lex Borussica a. 1802.

92) Sunt Poloni, qui per universam fere Europam, ut a celebrioribus medicis adversus rebelles morbos chronicos auxilium quaererent, iter instituerunt, verum continuo in pejus ruebant, donec ad patriam reduces salutarem experirentur plicae evolutionem.

93) Pilulas sequentes saepe utiliter praescripsimus: R. Extracti rhei drachmas duas. Extracti aloes succotrinae aquosi drachmam unam. M. f. pilulae granorum trium. Cap. ad vesperam sex.

alteri *sulphur* optime inserviunt. Jungimus sulphur *extracto* vel *hellebori nigri* [94]), vel *conii maculati* [95]), quae remedia reliqua narcotica virtute longe superant. *Opium* vix unquam prodest. *Mercurio* hic locum non esse multiplici experientia edocti sumus, enim vero, excepta complicatione luis venereae, aperte nocet. Evidenter quoque sub illius usu externo ulcera plicosa exacerbantur. *Antimonium* nisi levamen afferat, saltem innocens remedium sistit. Nullum vero ex allatis pharmacis virtutem *herbae vincae pervincae* antecellit [96]). Vulgus *herbam lycopodii*, non quidem *clavati*, ut fertur, sed *selaginis* vincae aequiparare solet, at remedium hujusmodi facile drasticam exerit virtutem ac emesin excitat. Utimur tamen eo in decocto, sed extus ad partem capillatam capitis fovendam [97]), cui scopo et *vincae per-*

vincae

94) R. Extracti hellebori nigri drachmam unam. Sulphuris puri drachmas duas. M. f. pilulae granorum trium. Cap. ter de die tres.

95) R. Extracti conii maculati drachmam unam. Sulphuris puri drachmas duas. M. f. pilulae granorum trium. Cap. ter de die quinque.

96) R. Herbae vincae pervincae uncias tres. Aquae fortis fervidae libras tres. Stent in digestione per noctem. Mane ebulliant per quartam horae partem. Colatura D. S. decoctum nychthemeri spatio hauriendum.

97) R. Herbae lycopodii selaginis uncias duas. Coque

c. s. q.

vincae et *arbuti uvae ursi* *) decocta inserviunt. Res acriores, quas nonnulli ad trichoma eliciendum in usum ducunt, e. c. *decoctum farinae sinapis nigrae, tinctura meloes cantharidum*, plerumque nocent. In genere, quae nimium jam humorum affluxum ad caput promovent, evitanda. Extra hujusmodi periculum, *sinapismus* vel *vesicatorium* nuchae admotum pro tempore symptomata lenit. *Ulcera artificialia*, qnamvis multam ac foedam largiri soleant evacuationem, raro conducunt. Multum levaminis *emplastrum* sive *de pice Burgundica*, sive de *galbano crocatum*, sive aliud simile **) secundum longitudinem totius columnae vertebralis appositum affert.

3. Tempore, quo plica evolvitur, aut quo ea vix evoluta est, pharmaca haud saepe locum inveniunt. Optime enim sola natura evolutionis opus absolvit aut firmat. Interim urgente nimio humorum ad caput affluxu, ac febre vigente, hirudines ad tempora, balnea pedum, et lenia alvum purgantia adhiberi possunt. Econtra, deficientibus ad

C. p. recenter evolutae.

c. s. q. aquae per dimidiam horam. Colatura librae unius d. s. usui externo.

*) R. Herbae uvae ursi uncias. Coque per dimidiam horam c. s. q. aquae. Col. librarum D. Sr. pro usu externo.

**) R. Emplastri vesicatorii drachmas sex. E. conii maculati. E. assae foetid. aa. uncias duas. Malaxetur.

ad plicam perfecte expellendam viribus, *vesicatorium* vel *sinapismus* ad nucham, lotio capitis cum *vino calido* et usus internus remediorum *antimonialium* cum *camphora* aut *moscho* prosunt.

C. P. senescentis.

4. Plane absoluta plicae evolutione, symptomata universalia plus minusve aut evanescunt, aut perstant. Hoc in casu methodus adversus plicam reconditam iterum in usum ducitur; alias, ut aeger vel a reliquiis morbi liberetur, quaestio est: *an trichoma abscindere liceat, nec ne?* — Licet abscindere, si plica fuerit omnino evoluta, antiqua, sicca, inodora, a capite distans et si sani capilli succrescant; — alias summo periculo stipatur illius resectio, vidimusque inde strabismum, amaurosin, contractionem musculorum, suppressionem urinae, convulsiones, et maniam. Interea haud raro mala, quae abscissioni plicae adscribuntur, morbo plicoso per se adscribenda forent. Sicuti enim plurimae tum febrium intermittentium, tum luis venereae reliquiae, cinchonae et mercurio, etiamsi debito modo administratis, tribuuntur; ita saepe relate ad abscissionem plicae contingit. Caeterum, re dubia, plicam potius relinquimus, quam abscindimus. Indicata rescissio forficum ope absolvitur, prudensque consilium est, non una vice totam plicam, sed repetitis vicibus varias illius partes abscindere, neglecta enim hac cautela, caput facile refrigeratur. Periculum hujus-

hujusmodi optime evitatur, si gossypii quantitas, illi resectorum capillorum pondere aequalis, capiti, donec usque crines sani succrescant, imponatur. Quocunque in casu caput, comâ adscititiâ, qua et latens optime absconditur plica, obtegi debet. Nec ungues, priusquam crescere desinant ac desquamentur, abscindendi sunt. Ulceribus plicosis cum successu sive *emplastrum*, sive *infusum*, sive *unguentum*[98]) *conii maculati* applicatur. Ad incommoda a plica praepostere resecta fuganda, *insitio plicae* pluries a LAFONTAINE utiliter adhibita est, propria autem hac in re destituimur experientia, Idem de cura plicae primariae fateri adigimur, immo ignoramus, an unquam infectionem universalem impedire licuerit.

98) R. Axungiae porcinae unciam unam. Pulveris herbae conii maculati drachmam unam. Olei hyoscyami drachmas duas. M.

CAP. XXXVII.

Cap. XXXVII.

De morbo rubro Cayennae, morbo Crimensi, Radesyge Norvegiae, Herpete Aleppi, Rosa Asturica, Yaws et Pian.

§. CXLIX.

Morbus ruber Cayennae.

Definitio. 1. *Morbus ruber Cayennae* [99]) malum sistit in Cayenna endemium, maculis rubris ac ulceribus cutem et ossa depascentibus, insignitum.

Scriptores. 2. Bajon [100]), Forster [1]) et Sprengel [2]) optime hunc morbum descripsere.

Symptomata. 3. Malum cum maculis rubris, flavis, diffluentibus, sensuque orbatis, faciem, aures, collum et universum demum corpus defoetantibus, adoritur. Maculae hae cito diffunduntur ac facta epidermidis

99) *Mal rouge de Cayenne.*

100) *Histoire de Cayenne.*

1) *Observations made during a voyage round the World.* p. 485.

2) *Handbuch der Pathologie.* 3. Th. p. 520.

lis desquamatione pulvere farinaceo cooperiuntur. Urina est turbida, fere oleosa. Ad faciem cutis crassa fit atque ad aures et labia tubera in conspectum veniunt. Sociae fiunt eruptiones pustulosae, in ulcera sordida, foetida, obscure rubentia, fungosaque transiturae. In summo morbi gradu, caries, citissime serpens, ossa emolliens et in carneam quasi substantiam commutans, superaccedit. Europaei hoc malo lenius, scilicet sine ulceribus et carie, affligi solent.

4. Morbus hic pro specie leprae, scorbuto iunctae, habetur. Diagnosis.

§. CL.

Morbus Crimensis.

1. *Morbus Crimensis* [3]) malum endemium est, in Crimea et Astracania prope flumen JAIK subveniens, facie sublivida, maculis rubris et crustis universum corpus defoedantibus stipatum. Definitio.

2. De hoc morbo GMELIN [4]), PALLAS [5]), FALK [6]) et RICHTER [7]) rationem reddiderunt. Scriptores.

3. In-

3) Кримская болѣзнь. — Incolae morbum vocant: серная Немощь.

4) *Reise durch Russland.* 2. B. p. 169.

5) *Reisen.* 1. B. p. 302.

6) *Beyträge zur topographischen Kenntniss des Russischen Reiches.* St. Petersburg. 1785. 1. Th. S. 176.

7) Op. c. p. 248.

Symptomata. 3. Incipit morbus in facie cum maculis subobscure rubris, sensu orbatis et crustis prurientibu obductis. Aeger de magna debilitate, gravitat artuum, et frequenti horripilatione conqueritu. Facies tumefit et maculae rubrae super universun sparguntur corpus. Post plurimos sive menses sive annos tubera dura apparent, quibus apertis ulcera rodentia, crustis bruneis obtecta sequuntu. Ulcera haec interdum exsiccantur, at, tractu temporis non sine erosione partium contiguarum, re crudescunt. Immunia manent pars capillata capitis, superficies interna manuum et pedum, fovea subaxillaris, podex, et poples.

Caussae. 4. Caussa potius in principio leproso quar scorbutico, quod GMELIN et PALLAS accusant quaerenda videtur.

Diagnosis. 5. Morbus Crimeae magnam cum eo Cayenna similitudinem habet, praeter quam quod hic plurima loca, ipsaque ossa afficit.

Prognosis. 6. Laesis post nonnullos annos visceribus, aegri tabe pereunt.

Cura. 7. Herba *anabasis aphyllae* pro unico habetu remedio. Sic et *balneum in lacte equino*.

§. CLI.

Radesyge.

Definitio. 1. Morbus endemius Norwegiae, Islandiae, Grönlandiae, Lapponiae, ulceribus faucium, ma

culi

culis rubris nasi, eruptione universali instar herpetis, stipatur, *Radesyge* vocatur [8]).

2. De hoc morbo scripsere: BÜCHNER [9]), Scriptores. HEMPEL [10]), MUNK [11]), MOELLER [12]), CALLISEN [13]), ARBO [14]), MANGOR [15]), MÜHLERT [16]), PFEFFERKORN [17]), HENSLER [18]) et VOUGT *).

3. In-

8) Lepra Norwegica. SWEDIAUER. — NORWEG. *Radesyge, Spedalskhed.* ISLAND. *Liktrae.* GERM. *Der nordische Aussatz.*

9) *Nachricht von der Spedalskhed in Bergenstift.* Bergen 1786. Vide HENSLER *vom abendländischen Aussatze.* Excerpt. p. 110.

10) *Nachricht von der Spedalkshed in Bergenstifte.* Rendsburg. HENSLER l. c. p. 117.

11) TODE *medic. chirurg. Journal.* 5. B. 1. St. p. 62.

12) Ibid. p. 45. et HENSLER l. c. p. 119.

13) *Chirurgie* 1. B. p. 368.

14) *Afhandling om Radesygen.* Kopenh. 1792.

15) *Undevretning om Radesygens Kiendetege.* Kopenh. 1792.

16) *Bidrag til oplysning om Radesygen natur.* Kopenh. 1799.

17) *Ueber die Norwegische Radesyge und Spedalskhied.*

18) *Vorrede zu* ARBOS *und* MANGORS *Abhandl.* Altona 1797.

*) Observationes in exanthema arcticum, vulgo Radesyge dictum. Gryphiae 1811. Et: HECKERS *Annalen der gesammten Medicin.* 3. B. 3. Heft.

Symptomata. 3. Ingruit morbus symptomatibus catarrhalibus. Accedunt gravitas et dolores, veluti rheumatici, articulorum, cum anorexia, debilitate, dolore capitis, coryza, sensu compressionis oculorum, lacrymatione, deglutiendi difficultate, tumoribus tonsillarum, palati orisque cavitatis. Sequuntur rubor violaceus faciei tumidulae et praesertim maculae obscure rubrae ad nasum. Praeviis per menses et annos hisce symptomatibus, tandem impetigines adspectu herpeticae, crustosae, cum desquamatione furfuracea epidermidis in conspectum veniunt. Ad faciem potissime, sed et ad reliquum corpus, maculae griseae, sensu orbatae, in ulcera transiturae, occurrunt. Idem cum tuberibus cupreis, serum cruentum primum fundentibus, variisque in locis, praecipue autem in facie prorumpentibus, contingere solet. Ulcera tum fauces, tum oris cavum, tum nasum occupant ac lente hasce partes destruunt. In genere fundus eorum obscure fuscus, violaceus, impurus, margines veluti erosi, tuberibus duris, squamis venisque varicosis circumdati cernuntur. Nunc dolent, nunc doloris expertia sunt, vixque unquam foetent.

Caussae. 4. *Radesyge* per immediatum salivae, sudoris, et ichoris ex ulceribus pullulantis contactum communicatur. Morbi germen a nebulis frigidis, a prava vivendi vestiendique ratione evolvi videtur.

5. *Rade-*

5. *Radesyge* pro morbo nunc scorbutico, nunc venereo habita est, donec HENSLER illius indolem leprosam demonstraverit [19]). Diagnosis.

6. Morbus provectus nullam sanationem admittit. Prognosis.

7. Methodus antiscorbutica levamen afferre solet. Cura.

§. CLII.

Herpes Aleppicus.

1. Vesica rubra, pruriens, in crustam desinens, relicta foeda cicatrice, deciduam, potissimum in facie obvia, et in urbe Aleppo endemia, *herpes* nuncupatur *Aleppicus* [20]). Definitio.

2. Quicunque urbem *Aleppo* per aliquod temporis spatium inhabitat, neque canibus exceptis [21]), huic morbo, ab HASELQUISTIO [22]) et SCHULTZIO *) optime descripto, obnoxius fit. Caussa in aquarum conditionem rejicitur; — jure nec ne? Potius de indole leprosa suspicio adesse videtur. Observatio.

19) L. c. in praefat.

20) Signum aleppicum. GERM. *Die Flechte von Aleppo. Das Aleppische Zeichen.*

21) FERRIERES. SAUVEBOEUFS *Reisen in die Türkey.* p. 511.

22) *Schwedische Abhandlungen.* 12. B. p. 140.

*) *Leitungen des Höchsten.* 5. Th. p. 230.

§. CLIII.

Rosa Asturica.

Definitio. 1. Morbus in vallibus Oveti endemius, pellágrae sat similis, *Rosa* dicitur *Asturica* [23]).

Scriptores. 2. Notitiam hujus morbi potissime THIÉRY [24]) et TOWNSEND [25]) debemus.

Symptomata. 3. Rosa asturica inter homines vulgares, vernali tempore, sub forma maculae rubrae, superficie aspera instructae, ad dorsum manuum et pedum comparet. Locus affectus vehementer dolet, superficies sensim sensimque crassior evadit ac in crustas cum fissuris transit. Crustae hae, quamvis plerumque siccae sint, attamen foetorem spargunt. Media aestate eae decidunt, relicta cute glabra et depressa. Vitiligo ista crustam quoque anno pejorem largitur. Temporis tractu altera impetigo ad collum supervenit, quae a regione claviculae ad sternum, latitudine duorum digitorum, descendit. Interea partes superiores corporis tumefiunt ac vires ita decrescunt, ut aeger toto corpore contremiscat et in pedibus stare impar sit. Sensus caloris interni nocturnum fugat somnum. Et sese in aquas praecipitandi desiderium animadvertitur. Tandem deleto sensuum officio, miser, prae-

23) Lepra asturica SWEDIAUERI. HISPANICE. *Mal de la rosa.*

24) *Réceuil périodique d'observations de médecine.* Vol. 2. p. 337.

25) *Voyage en Europe fait dans les années* 1786 et 87.

praeviis amentia, delirio, sopore, aut tabe, aut hydrope perit.

4. Aquarum conditio, defectus panis fermentati, abusus fructuum, pro caussis rosae asturicae haberi solent. **Caussae.**

5. Characteres leprae adeo evidentes hoc in morbo sunt, ut eum eo magis pro morbo *leproso* declarare possimus, quo lepra in Asturia adhuc ita communis sit, ut viginti illi dicata inveniantur nosocomia [26]. *Rosa asturica* solum a *pellagra* differt, quod in illa *crustae*, in hac solummodo *squamae* obveniant. **Diagnosis.**

6. Frequentiae incolarum ita rosa asturica, uti pellagra, plica, radesyge etc. obstat. **Prognosis.**

7. Nitratem potassae et lenia purgantia ab initio porrecta, morbum sublevare feruntur. **Cura.**

§. CLIV.

Y a w s.

1. Morbus variolis similis, sed chronicus, in Africa, in insulis Indiae occidentalis, nec non in India orientali endemius, *Yaws* vocatur. **Definitio**

2. *Yaws* *) Arabibus sub nomine SAFATH notum fuisse contenditur [27]. De hoc morbo non **Historia.**

Mm 2 minus

26) *Annalen der Reisen, Geographie und Geschichte von* A. KUHN *Jahrgang* 1809. p. 83.

*) Aethiopes Guineae GATTOO vocant.

27) *Beyträge zur Geschichte der Medicin.* 3s St. p. 92.

minus quam de PIANS, inter alios *) scripserunt SCHILLING [28]), MACPHERSON [29]), TODE [30]), LUDFORD [31]), SPRENGEL [32]), ADAMS [33]) et ALIBERT **).

Symptomata. 3. Evolutionem morbi dolores osteocopi nocturni praecedunt. Aeger insomniis terrificis et saepe febre cum pulsu debili ac virium decremento, excruciatur. Praeterea ipse malacia ita laborare solet, ut cretam, terram, carbones etc. appetat. Supervenit melancholia, desperationi affinis. Interea caput ad deformitatem usque intumescit, quo facto pustulae variolis simillimae, polline furfuraceo circumdatae, primum ad collum, circa laryngem, in conspectum veniunt. Pustulae hae et alia dein loca, potissime inguina et axillas occupant. Eruptio autem lente perficitur. Tandem elapsis plurimis interdum mensibus, symptomata supra allata, exceptis doloribus osteocopis, facile

in cariem

*) LOEFFLER, VALENTIN, PEYRILHE, uti videre est apud ALIBERT. l. c.

28) Diatribe de morbo in Europa penitus ignoto. Ultraj. 1769.

29) Diss. de Frambaesia. Glasgow. 1785.

30) Diss. de Frambaesia. Hafn. 1789.

31) Diss. de Frambaesia. Edinb. 1791.

32) Diss. de morbo *Yaws* dicto et de vena medinensi. Halae 1797.

33) *Memoirs of the medical society of London.* 6. Vol. No. 10.

**) Op. c. 8. livraison. p. 153. Tab. 35.

cariem abeuntibus, cessant. Perstantibus diu pustulis, pili in viciniis canescunt, ac ipsae pure albo, tenaci, spisso, rodente, replentur. Pus hujusmodi venas erodendo vicinas, gravibus haemorrhagiis, ansam porrigit. Caeterum pustulae neque dolent, neque sensu omnino destitutae sunt. Ulcera *yaws*, nec faucibus parcentia, margines furfuraceas exhibent ac pus tenax, album largiuntur. Ad articulos ex eorum plurimis unum permagnum ulcus [34]) nasci solet. Sequitur inde facile rigiditas et curvatura articuli [35]). Ad plantas pedum ulcera comparent callosa excrescentiis carneis juncta [36]), venis varicosis circumdata, gressumque impedientia. Varices, impedita *yaws* evolutione, copiosius occurrunt. Quo citius ulcera proserpunt, eo citius febris, symptomatibus nervosis et saepe hydrophobia juncta, in diarrhoeam, choleram aut hydropem transitura, sequitur. Non raro morbus in lepram squamosam transit, alias sponte sanatur.

4. Schilling viscerum hic detexit suppurationes [37]). Autopsia cadaverum

5. Contagium, contactu et coitu communicatum, potissimam *yaws* sistit caussam. Et muscarum Caussae.

34) Vulgo: *Mama-Yaws.*

35) Allamand in Nov. act. nat. cur. Vol. IV. p. 88.

36) Vulgo: *crabbe-yaws.*

37) Schlegel thesaurus pathol. Vol. II. p. 230.

rum quarundam *) culpa, quae prius ulceribus insedendo pure imbuuntur et dein sanos inficiunt, morbus propagatur. Sunt qui climatis aestum et alimenta accusent **). Aetas infantilis praecipue ad hunc morbum proclivis est.

Diagnosis. 6. Sicuti transitus *yaws* in lepram, satis de origine leprosa hujus morbi testatur, ita illius spontanea sanatio, omnem *syphilidis* suspicionem excludit. Patet inde etiam *yaws* nequaquam cum *sibbens*, vel *scherlievo*, utpote affectionibus evidenter venereis, confundi debere.

Prognosis. 7. Prognosis ex descriptione symptomatum elucet. Addendum tantum est, hominem eundem semel in vita *yaws* subjici.

Cura. 8. *Mercurium* hic nocere PEYRILHE autumat***). BAJON illius usum commendat, dummodo eruptio jam contigerit [38]). Laudatur *arsenicum* [39]), et usus topicus *sulphatis zinci* [40]). Ita balnea, victus facilis digestionis, et decocta lignorum. Infantes curantur, mercurium nutricibus exhibendo.

*) Mouches - framboesia.

**) ALIBERT l. c. p. 163.

***) ALIBERT l. c. p. 165.

38) *Mémoire* 2.

39) ADAIR in *med. Comment. v. Edinburgh.* 9. B. p. 36.

40) KEUTSCH in *Nord. Archiv.* 4. B. 2. St. p. 88.

§. CLV.

§. CLV.

P i a n s.

1. Morbus in oris maritimis Guineae oriundus, aethiopibus inprimis proprius, *Yaws* similis, *Pians* audit. **Definitio.**

2. Praeviis pruritu summo cutis, febre, virium prostratione et macie, species eruptionis herpeticaé furfuraceae, dolore rodente stipatae, ad partes genitales sese prodit, ac interdum vel ad inguina et axillas propagatur. E medio hujus impetiginis, efflorescentia rubra, magnitudine acus, exsurgit, quae dein albescit ac serum flavum acre largitur. Ulcera haec saepe ad magnitudinem palmae manus extenduntur ac superficiem partium genitalium destruunt. Cooperiuntur excrescentiis fungosis, fructus mori, vel rubi idaei figuram referentibus *). Crines nunquam albescunt. Ex confluxu plurimorum ulcerum magnum oritur [41]). Peracta eruptione cutanea, symptomata praegressa evanescunt; ea vero impedita, dolores sequuntur osteocopi, nocturni, qui tandem in exostoses ac ossium mollitiem abeunt. Progrediente morbo cutis quoque ad plantas pedum et interdum ad manus crassa redditur, sociis dolore, rigiditate et impetigine herpetica ad digitos. In Cayenna hoc malum Sauauas dicitur. Transit plerumque in ulcera **Symptomata.**

*) Alibert op. c. Tab. 36.

41) Vulgo: *mama-pians.*

cera indolis cancrosae 42). Saepe ad ungues ulcuscula comparent, coloris cerasorum rubrorum, admodum dolentia 43), quae, nisi ungues rescindantur, destructionem ossium post se trahunt. Inter ulcera pedum etiam rhagades, marginibus siccis stipatae, saniemque fundentes oriuntur. Nunquam *pians* a natura sanatur, cui si relinquatur, hydrops, colica, paralysis, mala varia nervorum et tabes sequi solent. Saepissime *pians* in morbum rubrum 44) transit. Haud infrequenter vel cum syphilide societatem inire solet.

Caussae. 3. Eadem ratione *pians* propagatur ac *yaws.*

Diagnosis. 4. *Pians* a *syphilide* differre, docere videtur morbi origo, symptomatibus *universalibus* stipata, cui solummodo serius vitium partiale superaccedit. Dein vel exitus morbi, sibimet ipsi relicti, multum, ni fallimur, ab eo luis venereae differt. Nihilominus utpote omni experientia hac in re destituti, proprium judicium libenter suspendimus. Cl. Sprengelium 45) secuti sumus, sequentem inter *yaws* et *pians* statuentem differentiam.

Yaws.

42) Vulgo: *Crabben.*

43) Vulgo: *Guignes.*

44) *Mal rouge.*

45) L. c. p. 541.

Yaws.	*Pians.*
1. Orditur a *doloribus* ossium.	1. Orditur a *pruritu* cutis.
2. Eruptio sub forma *variolarum* ad collum contingit.	2. Eruptio sub forma *herpetis.*
3. Pustulae *pus* largiuntur.	3. Efflorescentia *serum* exudat.
4. Crines circa pustulas canescunt.	4. Crines non mutantur.
5. Sanatur unius naturae auxilio.	5. Sponte haud sanatur.

Caeterum non ignorandum, medicos anglos et gallos, in regionibus tropicis et India orientali praxin exercentes, quot quot sunt, *yaws* et *pians* pro uno eodemque morbo habere ac nomine *Frambaesiae* comprehendere, cui, utpote barbarae voci, nomen *Thymiosis* substituit Cl. SWEDIAUER[46]). Et ALIBERT *yaws* et *pians* pro speciebus unius ejusdemque morbi habet *).

46) A θύμια, tubera carnosa et verrucosa. op. c. Vol. II. p. 79.

*) L. c.

CAP. XXXVIII.

CAP. XXXVIII.

De Vitiis Transpirationis.

§. CLVI.

De Argumento in Genere.

Transpiratio et sudor. 1. Cutim universam vaporem exhalare, nunc sensus nostros fugientem (*transpiratio insensilis*), nunc sub forma liquidi obvium (*sudor*), constat.

Transpiratio insensilis. 2. *Transpirationis insensilis* doctrina potissime SANCTORIO [47]) debetur. Eam multis experimentis PETRUS MOSCATI locupletavit [48]). Legatur de hoc argumento SPRENGEL *) et Cl. MARCUS [49]). Dum autem omnes circa *copiam* materiei transpirationis conveniunt scriptores, magna inter eos circa illius *qualitatem* occurrit opinionum diversitas [50]). Sic gaz acidi carbonici e cute exhalationem, quam

47) Stadica medica.

48) Dolemus experimenta haec necdum publici juris facta esse.

*) L. c. p. 60.

49) L. c. p. 6.

50) Pulchre auctorum opiniones JURINE exposuit (*Encyclopédie méthodique.* 38. Livraison. Vol. I. Part. 2. *Air. Hygiene.* Chap. 1. art. 2. §. 1.)

quam admittunt W. CRUIKSHANK [51]) et ABERNETHY [52]), hanc FOURCROY [53]) aliique [54]) negant.

Sudor. 3. *Sudoris* indoles opera FORDYCE [55]) et FOURCROY [56]) longe magis innotuit.

Aberrationes. 4. Potest autem transpiratio peccare, tum *defectu*, tum *copia*, tum *qualitate*.

§. CLVII.

Transpirationis defectus.

Varia origo. 1. *Transpiratio deficiens* sive *suppressa* plerumque *symptoma* aliorum morborum sistit; at, constituit interdum vel *morbum per se*.

Observat. 2. Si enim ex siccitate cutis ad transpirationis defectum concludere licet, vitium hujusmodi obvenit apud individua quarundam familiarum haereditario jure, apud feminas steriles [57]), apud senes, maniacos, opifices calcem pertractantes, apud homines impuros et eos, qui vitam sedentariam ducunt. Nullibi vero major cutis siccitas animadver-

51) *Experiments on the insensible perspiration of the human body, shewing its affinity to respiration.* Lond. 1795.

52) PEDELLII Diss. de diaphoretica methodo. Hal. 1797.

53) *Eléments d'histoire naturelle et de chimie.* T. IV.

54) PRIESTLEY. VOLTA.

55) Vid. SWEDIAUER op. c. Vol. I. p. 218.

56) L. c.

57) MORGAGNI Epistol. XLVI. 3.

vertitur, quam in hydrope et in diabete. In defectu transpirationis ad tempus, plerumque praeter cutis siccitatem etiam illius temperatura augetur. Medemur defectui transpirationis, per balnea tepida et vaporis, per frictiones cum oleo, per motum corporis, potum calidum leniter aromaticum, et per remedia specifico modo in cutis secretionem agentia (*Diapnoica, Sudorifera*). Interea *caussam* transpirationis suppressae semper coram oculis habere ac nunquam oblivisci debemus, dari homines nullo pacto ad sudorem dispositos et casus, in quibus res, in genere transpirationem supprimentes, e. c. affusio ope aquae frigidae, sudorem eliciunt, quod HALLERUM non latuit [58].

§. CLVIII.

Transpiratio copia et qualitate peccans.

In genere. 1. *De transpiratione copia peccante*, de sudore scilicet, multorum morborum adventitio symptomate nonnullorumque malorum caussa occasionali, pluries disseruimus [59].

Hyperhidrosis. 2. Hic autem agitur de sudoris excretione profusa, nisi morbum specificum, saltem essentiale symptoma constituente, scilicet de *Hyperhidrosi* [60].

3. Sudor

58) Elem. Physiologiae T. V. p. 70.

59) P. I. Vol. I. §. XII. 4. §. XXIV. 2. §. XLI. §. XLIX. 9. Libro praesente Cap. III. Cap. XXVIII.

60) Ab Ὑπὲρ, quae praepositio in compositione vim vocis, quacum copulata est, auget, ac Ἱδρώς, sudor.

3. Sudor nimius nunc est *universalis* (*Hyperhidrosis* proprie dicta), nunc partialis (Ephidrosis [61])). Sudor unius lateris a SCHMIDIO [62]), a G. FRANCO [63]) describitur. Sudoris ad volam manus per octo annos durantis GILIBERT meminit [64]). Judaeum noscimus, cui saepe sudor ad spatium triangulare inter pollicem et digitum indicem manus sinistrae prorumpit. Sub gravi dolore arthritico brachii, totum hoc membrum sudore coopertum vidimus. Forte hydrops saepe nil aliud est nisi effectus *sudoris interni*. Quocunque in casu sudor differre solet, tum quoad *consistentiam*, tum quoad *odorem*, tum quoad *saporem*. Nunc enim *sudor tenuis* vaporis instar manat, nunc *limpidus* per membra decurrit, nunc *lacteus* [65]), aut *oleosus* [66]) cutem obducit. Nec exempla *sudoris*

Varia phaenomena.

61) Ἐφίδρωσις. HIPP. Profusio sudoris in parte.

62) Eph. N. Cur. Dec. I. an. VI. obs. 126. p. 287. Vid. et aliorum observationes Dec. II. an. X. obs. 194. — Dec. III. an. II. obs. 52.

63) Ibid. Dec. I. an. IV. obs. 100.

64) Adversaria medico practica prima. p. 238.

65) PAULLINI obs. phys. med. in appendice. Misc. Nat. Cur. Dec. II. an. V. obs. 18.

66) SCHULZ in Misc. Nat. Cur. Dec. I. an. VI. obs. 170.

ris arenosi 67), *salini* 68) desiderantur. *Odore* specifico ingrato sudor sive transpiratio aethiopum 69), laponum 70), lithuanarum 71), menstruantium, hominumque capillis rufis instructorum, insignitur. Allium et cepas judaeorum polonorum sudor olet. Ipsius sudoris acidi, a cibis, meminit BONNET 72). Acidum spirat et sudor puerperarum, lactantium, infantum ubera sugentium, et, ut diximus, aegrorum, quibus miliaria imminent. Nec de odore specifico sudoris in lepra, pellagra, variolis, iterum loqui opus est. Plurima exempla *sudoris urinosi* fasti medici exhibent 73), plurimaque nobis obvenerunt. Vel *cadaverosi odoris* observatus

67) BARTHOLINUS histor. anat. rara. Cent. I. obs. 34. T. II. p. 55. HORSTIUS mon. ad med. Part. I. p. 123. — Eph. N. C. Dec. II. an. IX. obs. 84.

68) WEIKARD *Entwurf einer einfachern Arzneykunde.* p. 106.

69) THIBAUT DE CHAVALORI *Voyage à la Martinique.* p. 44. FORSTERS *Reisen um die Welt.* 3. Th. p. 170. — HALLER in praelect. acad. T. III. §. 425. p. 297.

70) Odorem olei balaenarum spirant.

71) GILIBERT l. c.

72) Theatr. tabidor. exerc. 29.

73) HALLER *Grundriss der Physiologie mit Anmerkungen von* WRISBERG, SOEMMERRING *und* MECKEL. Berlin 1788. p. 160. — BOERHAAVE Praelect. T. 3. p. 316.— SALMUTH lib. II. obs. 82. RAULIN *observations de médecine* p. 200. — ZEVIANI *del flato ipocondriaco.* p. 157. — CAROL. PISO obs. 126.

ervatus est sudor [74]). Ita sudor odorem canthari-
dum habens *). Ad *colorem* et *saporem* quod attinet, sudor observatur nunc pallide flavescens, croceus [75]), viridis [76]), coeruleus [77]), ruber [78]), ater

74) Act. Hafn. III. obs. 19.

*) Brera *Giornale di medicina pratica*. 1812.

75) Sudor croceus, qui febrem acutam terminavit, describitur ab Acoluthio (Eph. N. C. dec. II. an. IV. obs. 169). Pinguedinosum et croceum sudorem unde lintea tingebantur, descripsit Schulzius (Eph. N. C. Dec. I. an. III. obs. 170). Item Hildanus (c. VI. 77).

76) Paullini Cent. I. obs. 38.

77) Fourcroy l. c. p. 363. — De sudore coeruleo dextri hypochondrii refert Dolaeus (Eph. N. C. Dec. I. an. VI. obs. 67). Wincler (Collect. acad. T. III. p. 263.), Conradi (*Handbuch der pathologischen Anat.* p. 292).

78) Jam Aristoteles sanguinei sudoris mentionem fecit (IV. a. 9. Lib. III). Vide praeterea: Langelott Collect. acad. T. 3. p. 255. — Schwenk haematologia 130. — Maldonatus T. I. in Evang. Matth. c. 26. — Fernelius lib. 6. path. 4. — Tulpius II. 31. — Horstius P. II. obs. 15. — Bartholinus hypomn. 4. de cruce Christi. — Libavius Diss de lacrymis cruentis §. 4. — Becker med. mir. c. 5. — Johnston thaumat. nat. c. X. c. 3. — G. Fabricius Lib. III. annat. Mis. theatr. Europ. T. II. p. 115. — Mercurialis lib. IV. — Lanzoni Eph. N. C. Dec. III. an. I. obs. 109. et cent. I. et II. obs. 20. — Eberhardus Diss. de sudore nimio. p. 28. — In juvene sudoris sanguinei exemplum habetur in Eph. N. C. Dec.

ater [79]), phosphoricus [80]), nunc insipidus, salsus [81]), subdulcis ac mellitus [82]). Hinc in-
de

Dec. II. an. X. obs. 179; atque simile infantis recenter nati l. c. obs. 65. — Lege porro: SCHILLING de sudore sanguineo, post graves convulsiones et spasmodicos affectus erumpente, feliciter tandem sublato, in act. phys. med. Vol. VIII. obs. 116. p. 425. LEDELIUS Eph. N. C. Dec. VI. an. II. obs. 34. p. 63. — Sudor rubicundus sub coitu viri, ita ut proprium et uxoris indusium tingeret, describitur in Eph. N. C. Dec. II. an. VI. obs. 47. — A motu sub axillis sudorem coloris minii observavit MAURIT. HOFFMANN ibid. an. III. obs. 27. — Aliud exemplum habetur in eodem opere Dec. I. an. III. obs. 46. — Vide postremo operis praesentis P. I. Vol. I. §. XLIX. 3.

79) Talem describit HODGESIUS de nupera peste Londinensi; alium adduxit OLAUS BORRICHIUS in Act. Hafn; alium LANGELOTTUS de sudore atro et sanguineo in Eph. Nat. Cur. Dec. I. an. VI. obs. 10. — Praeterea sudoris nigri exempla habentur apud ZACUTUM LUSITANUM (P. III. obs. 73.) et GALEATIUM (Comment. Bonon. Vol. VI. p. 6). De sudore pedum nigro, sub usu malatis ferri observato, sed seposito etiam remedio continuato, Dr. CORTI Placentinus, et J. P. FRANK rationem reddidit.

80) HENKELIUS in Act. physic. med. Vol. V. obs. 94. p. 332.

81) Sudor vel in sano homine salsus est, atque principia urinae similia largitur (HALLER praelect. acad. in Boerhaav. Institut. T. III. §. 425. not. 1).

82) Huc spectat ephidrosis mellea RHODII (c. 3. obs. 68), et oleaginosa pinguis MOLLENBRUCKII (Miscell. curios. germ.

de liquida epota *immutata* per sudorem secedunt [83]).

4. Sudorem vel post mortem erupisse ferunt [84]). In genere post hyperhidrosin, cadavera, suppurationes conspicuas viscerum, inprimis pulmonum, morbos renum, potissime calculos urethrae orificium obstruentes [85]), cancrum uteri [86]) et liquorem extravasatum, cerebrum comprimentem, exhibere solent. Autopsia cadaverum.

5. Dispositio ad sudorem interdum haereditaria est [87]). Sudorem autem ipsum excitant calor [88]), potus tepidus copiosus, aromaticus, remedia, quid quid dicat CULLENIUS [89]), specifice in cutem agentia, e. c. salia volatilia, opium, camphora, Caussae.

germ. an. II. obs. 19), quas SAUVAGES citat (Nosol. Vol. II. p. 37). Et sudor colliquativus phthisicorum, quem muscae tam avide prosequuntur, dulcis videtur.

83) *Fertur* per cutim exivisse epota cerevisia (SALMUTH c. 2. 28), vinum rubrum (BARTHOLINUS c. 4. h. 61) aliaque liquida (MARCELLUS DONATUS de medic. histor. mirab. Lib. IV. c. 27. p. 261).

84) Eph. Nat. Cur. Dec. I. an. III. obs. 83.

85) SALMUTH Lib. II. obs. 82.

86) BICHAT *Anat. générale.* T. II. p. 562.

87) TULPIUS obs. med. lib. III. obs. 42. p. 253.

88) De sudore regionibus tropicis endemio legatur HALLER (l. c.).

89) Mat. med. Vol. I. p. 573.

camphora, acetum etc., saburrae [90]), suppurationes [91]), contagium febris sudatoriae [92]), variolarum, motus corporis animique, praesertim subsequente jam quiete [93]), pudor [94]), terror, somnus [95]), cessatio menstruorum *), coitus etc. — Res sudoris *qualitatem* immutantes ex dictis [96]) elucent. Pertinent huc et pharmaca nonnulla e. c. ruta graveolens [97]).

Diagnosis. 5. Sententiae HIPPOCRATIS: „in qua parte sudor est, in ea morbus est [98])" — et HALLERI: „sudor a sanissimo homine alienus et semper violentus

90) Ephidrosis a saburra SAUVAG. vide et BIANCHI (histor. hepat. Ep. 137) et MARTEAU DE GRAND VILLIERS (*Journal de médecine* 1762. p. 29).

91) 4.

92) P. I. Vol. I. §. XLI.

93) Hinc ARISTOTELES: „Non in currendo, agitandoque corpus, sed postea quum cessatum est, plus sudoris evadit" (Problemat. Sect. III. probl. 24). — „Neque intento, neque contento spiritu, sed potius relaxato, sudor provenit" (l. c. probl. 1).

94) ALEX. APHRODISIAEUS. Probl. Lib. I. prob. 10.

95) „Qui dormiunt, magis sudant" (ARISTOTELES l. c. probl. 15).

*) TISSOT *Oeuvres*. T. II. *Prém. Partie* p. 118.

96) 3.

97) Rutam sudores olentes reddere, ARISTOTELIS est observatio (l. c. probl. 13).

98) Aphor. lib. IV. No. 38.

lentus est[99]" — restricte intelligi debent: sunt enim sudores saepe indicium absolutae sanitatis[100]. Nec mirum est, *sudorem habitualem* salutarem esse, cum de sudore critico nullum extet dubium. *Morbosum* dicimus sudorem, qui ex labe sive diathesi aliqua originem ducit ac corpori detrimentum affert. Hujusmodi sunt: sudor *diatheseos inflammatoriae* aut *rheumaticae* effectus[1]) summam morbi vim indicans; — sudor *febris intermittentis perniciosae diaphoreticae* symptoma[2]), sub medio paroxysmo oriens, ac ita saeviens, ut aeger tandem exhaustus, extremitatibus frigidis, facieque cadaverosa decumbens, nisi succurratur, intereat; — *sudor gastricus* nonnullis febribus praesertim biliosis proprius[3]). *Sudorem atonicum* communissimum esse, sudores in regionibus tropicis, in convalescentia, in typho, in phthisi, in

 agone

99) L. c.

100) „Quemadmodum plurimis hominibus certis temporibus diarrhoea utilis esse solet; ita etiam sudores nonnullis familiares sunt et proficui (SCHULZIUS in Eph. Nat. Cur. Dec. I. an. VI. obs. 167)." Revera plures aetatis provectae homines, summa cum virium recreatione sudantes, novi, ac feminam nosco Vilnensem, quae, nisi profuse sudet aut fluore albo laboret, plurimis malis nervosis vexatur.

1) P. I. Vol. I. §. LXIII. 3. §. LXIX. 2.

2) Ibid. §. XXIV. 2.

3) Adde, quaeso, hanc observationem §. LX. P. I. V. I. p. 231. lineae primae.

agone et in paralysi 4) docent. Sudor *qualitate* peccans, plerumque suppressioni aliarum evacuationum, inprimis urinae, tribuendus est. Praeterea *diathesis arthritica* maxime in sudoris conditionem influit. Sudor viridis, coeruleus et coccineus, originis nunc *scorbuticae* 5), nunc *spasmodicae* 6), nunc *plethoricae* 7) videtur. Morpiones in superciliis et axillis interdum sanguinem instar sudoris elicere, diximus 8).

Prognosis. 6. „In genere sudores, quo profusius per cutem stillant, ac quo magis a naturali tenuitate, colore, odore, sapore recedunt; eo majus vel de solidorum fluidorumque turbis, vel de secretionis cutaneae vitio, atque de humorum utilium jactura, testimonium largiuntur. Qui interim ad pedes, axillas, in multis sudor prorumpit, hic, licet foetidus ac ingratus, sanitatem non ita, ut incaute suppressus, offendit 9).“

Cura. 7. Sudor sive aliarum excretionum vicarius, sive habitualis, sive cum virium recreatione contingens,

4) Kirkland *a commentary on apoplectic and paralytic affection.* Lond. 1792. p. 4.

5) Ab ecchymomate ad sudorem cruentum gressus modo requiritur.

6) E. c. ab animi pathemate.

7) De sudore sanguineo a menstruorum aberratione alio loco (P. IV. Vol. I. art. de Menischesi) sermo erit.

8) Cap. XXX. cap. CXVII. 4.

9) J. P. Frank Epitom. Lib. V. P. I. p. 35.

tingens, nunquam cohiberi debet. Sudor ex *diathesi inflammatoria*, venae sectione, temperatura modica, quiete corporis animique, acidis vegetabilibus et alvi purgatione curatur. *Febris perniciosa diaphoretica*, sub paroxysmo *opium* cum *aethere*, dein *corticem cinchonae* exposcit. *Sudor gastricae indolis* alvum evacuantibus subacidis moderatur. *Sudoris atonici* fere certum auxilium *opii* cum *tinctura aromatica sulphurica* connubium sistit [10]. Interea et *opium* nec non reliqua diaphoretica e. c. *salvia officinalis* [11]), *camphora* hic prodesse solent. Hanc praecipue in sudore, cancrum sive uteri, sive mammae comitante, utilem invenimus. Caeterum et tonica sive adstringentia, praecipue *vinum* [12]), *alcohol* [13]), *corticis cinchonae infusum frigidum*, *acidum sulphuricum alcoholisatum*, *serum lactis aluminosum*, *aquae gaz acido carbonico saturatae*, inprimis simul *ferruginosae*, haud negligi debent. Nec *balnea* sive *marina*, sive *martialia*, nec *frictiones cutis*, nec *unctio* cum *oleo* et *rebus aromaticis* [14]), spernenda sunt. *Adstringentia*, consilio *Aeginetae*

10) P. I. Vol. I. §. LVI. 4. not. 95.

11) Swieten Commentar. T. II. p. 370.

12) Sydenham Sect. V. cap. 2. p. 291. (Vinum malacense).

13) Rustici et milites, aestivos sudores sub laboribus et itineribus, cremato aqua nupto compescere solent.

14) Celsus lib. III. cap. 6.

tae[15]), extus adhibere, nunquam ausi sumus. Potius absorbentia e. c. *semina lini*, quo lecti aegrorum sudore madescentium sperguntur [16]), aut *furfures* [17]) suademus. Tandem non inane consilium erit, reliquas evacuationes, inprimis urinae secretionem, promovere.

Cap. XXXIX.

De Vitiis Tactus.

---

§. CLIX.

Generatim.

Argumenti dignitas.

1. Nullus extat sensus adeo diffusus ac *tactus*, cujus doctrina praeterea elementa doctrinae reliquorum sensuum amplectitur. Mirum hinc est, quod adeo sint pauci, qui de tactus vitiis scripserint, cum librorum circa morbos olfactus, auditus et praecipue visus tanta jam adsit copia, ut bibliotheca effici possit.

2. Dividi

15) Lib. II. cap. 46. p. 22.

16) Sic apud *Bengalos* mos est (*Lettres curieuses et édifiantes des missions étrangères*. T. XV. p. 414).

17) Sudorem habitualem pedum, admodum molestum, furfuribus, quibus tibialia respergebantur, sine detrimento sensim sensimque fugatum vidimus.

2. Dividi potest tactus in *externum* et *internum*. *Tactu externo* impressiones ad externam corporis superficiem contingentes recipiuntur ac sensorio communi traduntur. *Tactu interno* idem relate ad impressiones ex internis partibus proficiscentes, contingit. Hic duntaxat de externo tactu, utpote in systemate cutaneo locato, sermo fit. Divisio.

3. Tactus nunc morbose *augetur*, nunc *deletur*, nunc alio modo *pervertitur*, quo fit, ut objecta externam superficiem tunc afficientia, impressionem vel majorem, vel minorem, quam par est, vel erroneam excitent, quae impressio, sensorio communi tradita, sensationem producit nimiam, deficientem, vel perversam. Vitia.

§. CLX.

Tactus auctus et perversus.

1. Tactus, sive potius cutis sentiendi facultas augetur a frigoris tum externi [18]), tum interni [19]) modico gradu, a vehemente distensione [20]), ab inflammatione, ab exanthematibus [21]) et impetiginibus T. auctus.

18) Levis contusio, leve vulnusculum maximum sub aura frigida excitat dolorem.

19) Aegri sub stadio frigoris febrium intermittentium aliquando etiam mitem cutis attactum respuunt.

20) Homines quaestioni submissi, distensa jam cute, a minimo attactu crudeles experiuntur cruciatus.

21) Cap. XI. §. LI. 4.

nibus nonnullis, ab hysteria [22]) et, quod mirum est, ab ipsa interdum paralysi [23]).

Tactus perversus.

2. De tactu perverso aut abnormiter affecto testantur, — ne de dolore, quem aegri in membris amputatis hinc inde percipere credunt [24]), loquamur, — tactus duplex interdum in hypochondriasi observatus [25]), sensus ardoris aut frigoris, sine ulla temperiei cutis mutatione tum apud hypochondriacos, tum apud hystericas in variis cutis partibus obveniens, formicatio iisdem familiaris ac in raphania gentilitia et tandem *pruritus* sive *prurigo*, de qua speciatim.

22) Judaea Vilnensis hysterica, cutis attactum tam aegre fert, ut sub ipsa pulsuum exploratione, primum anxia, pallida fiat, ac diutius continuata brachii pressione, in lipothymiam incidat.

23) A. 1813 in nobilissimo doctissimoque viro, Viennae hemiplegia decumbente, tantam lateris affecti sensibilitatem observavi, ut neque attactum neque frictiones perferre potuerit.

24) Lamorier de doloribus artuum imaginariis post amputationes reliquis. Vide *Mémoires de l'Acad. de Montpellier* 1757. — Act. med. Berolin. Dec. II. Vol. VIII. p. 59. — Fabric. Hildanus Cent. III. obs. 14. 15. — Loders *chirurg. Bemerkungen.* 1. B.

25) Nova acta nat. cur. Vol. III. obs. 86. — Sturm de sensu unius geminato. Alt. 1686.

§. CLXI.

§. CLXI.

P r u r i g o.

1. Pruritus molestus, nullius alterius morbi comes, sed malum per se constituens, *pruriginis* nomen obtinet [26]). Definitio.

2. Prima hujus morbi recta descriptio PLINIO debetur [27]). Secuti sunt AVICENNA [28]), MERCURIALIS [29]), HAFENREFFER [30]), SENNERT [31]), SOMMER [32]), LOESCHER [33]), LORRY [34]) et WILLAN [35]). Scriptores.

3. Prurigo nunc *universam* corporis superficiem, nunc *unam* tantum illius partem detinet. In *prurigine universali* aegri interdum tantos experiuntur cruciatus, ut cutim unguibus dilacerent aut strigilem pro scalptu adhibeant. Malum versus Symptomata.

26) CNESMUS a GRAEC. Κνάειν, fricare. — SCABIES proprie dicta. — GERM. *Jucken.* — GALL. *Démangaison.* ANGL. *Itshing, scalding.* ROSS. Свербежъ. POLON. *Swierżbiączka.*

27) Nat. histor. lib. XX. Cap. 17. lib. XIII. Cap. I. et lib. XXVII. cap. 4.

28) Lib. IV. Fen. 7. tract. 3.

29) L. c. lib. II. cap. 3.

30) L. c. lib. I. cap. 4.

31) Prax. med. lib. V. p. 3. sect. I.

32) De affectibus pruriginosis senum. Altdorf. 1727.

33) De pruritu senili. Wittenberg. 1728.

34) L. c.

35) L. c. p. 44.

sus noctem, prope ignem et post lautum pastum, inprimis saevire solet. Saepe pruritus sensum nunc insectorum super cutem reptantium, nunc puncturae a formicis, nunc ustionis socium habet. Examinatis locis prurientibus non nisi vestigia, quod aeger scalpserit, percipiuntur. *Prurigo partialis* inprimis ad anum, praeputium, urethram, scrotum et pudenda muliebria occurrit, quibus ultimis in locis torminibus magnis, a LORRY egregie descriptis [36]), ansam dat.

Caussae. 4. Aetas juvenilis et senilis ad pruriginem universalem disponit; item tempus vernale. Excitatur ea, ne de pediculis morbum peculiarem producentibus [37]) loquamur, a plethora [38]), a cibis nocuis [39]), dulcibus [40]), a liquoribus fermentatis [41]), ab hepatis affectione [42]), a transpiratione suppressa, ab immunditie, a mala consuetudine [43]), ac

36) L. c. p. 450.

37) Cap. XXX. §. CXVII.

38) Ex omissa habituali venae sectione et ex suppressis haemorrhoidibus pluries universalem molestissimumque pruritum observavi.

39) E. c. mytilis (P. I. Vol. I. §. LIX. 3), GALEN. de sympt. caussis. 3. 6.

40) AVICENNA 4. 7. 3. 6.

41) LORRY l. c. p. 27. — TISSOT *Oeuvres* T. XII. p. 72.

42) Hinc inde prurigo futurum indicat icterum.

43) Infantes, potissime qui scalpendi consuetudinem contraxerunt,

ac imaginatione 44), a vitio arthritico, scorbutico etc. — *Prurigini partiali* ansam porrigunt, — *ad anum* ascaris vermicularis, sodomia, corpora peregrina deglutita et ad intestinum rectum perducta 45) vel eo intrusa 46), haemorrhoides, menstrua suppressa 47), vitium arthriticum, — *ad praeputium* neglectus munditiei, secretio materiae acris circa glandem, coitus cum feminis fluore albo acri laborantibus, pili praeputium inter et glandem haerentes, veneris protractum desiderium, — *ad urethram* in maribus angustia canalis, pili intrusi 48), calculus vesicae, in feminis abscessus 49), vitium cancrosum, fluor albus, [illegible] in

traxerunt, quo primum ei vel tantillum indulgent, mox sine fine scalpere coguntur.

44) A solo pediculi *adspectu* saepe pruritus nascitur universalis.

45) Acum deglutitam post quindecim dies summum ani pruritum excitasse observavi.

46) Sic sutor prope Viennam habitans, vitio sodomiae deditus, mense Julii 1813 tenaculam sex pollices cum dimidio longam, tres pollices latam, ponderis unciarum quinque et drachmarum sex in intestinum rectum sibi introduxit. Quamvis ea jam in regione iliaca perciperetur, et symptomata enteritidis praesto fuerint, attamen summa dexteritate tenacula a cl. Kern feliciter extracta est.

47) Pruritus tunc plerumque ad perinaeum extendi solet.

48) Tulpius obs. lib. II. 42. — A. Vogel de cognoscendis c. h. affectibus §. 409.

49) Nobilis femina Vilnensis a. 1811. de insigni circa urethrae

in utroque sexu blennorrhoea imminens, lues venerea, — *ad scrotum* equitatio tempore aestivo, sudor copiosus, syphilis, — *ad muliebria* evolutio partium genitalium sub pubertate [50]), ascaris vermicularis, graviditas, varices, aphthae, cessatio menstruorum et vitium venereum, praecipue sub forma condylomatum [51]). Quacunque tandem in parte prurigo ex imminente sanatione ulcerum, ex fonticulis [52]), ex latente insecto [53]), ex applicatione fasciarum oriri potest.

Diagnosis. 5. *Prurigo* a *pruritu symptomatico* ex absentia alterius morbi cutanei distinguitur. WILLAN vocabulum *pruriginis* latiori sensu accipit, ad pruritum scilicet designandum, qui morborum cutis

urethrae orificium conquerebatur pruritu, non sine repetito urinam deponendi dolorifico nisu. Examinata parte affecta, abscessus detectus est, qui ad maturitatem perductus et sponte ruptus, pruritui terminum statuit.

50) PECHLINI obs. 24.

51) Cantatrix a. 1812 intolerabilem ac continuum vaginae accusabat pruritum, omnibus localibus remediis rebellem. Locus affectus minima atque copiosa condylomata exhibuit; quae simul cum pruritu, ope curae universalis antisyphiliticae fugata fuere.

52) Pluries ex fonticulis vehementem partium contiguarum, quin immo semel universi corporis pruritum observavi, ita ut eorum sanationem, etiamsi nolens, suscipere coactus fuerim.

53) A cimice sub cutis epidermide diu haerente pruritum describit HAEN (Opusc. inedita. P. I. p. 3).

tis vix definiendorum praecipuum constituit symptoma. At clare tamen idem auctor *psydracium*, *urticariam* et *phthiriasin* sub pruriginis nomine describit, quod magnae rerum confusioni ansam porrigere debet. Cavendum autem est, ne vestigia unguium aut instrumentorum, scalpendi gratia admotorum, pro morbo cutaneo habeantur. In genere *accurata partis prurientis autopsia requiritur.*

6. *Prurigo universalis* in aetate juvenili, malum facile debellandum, at, saepe periodice rediturum, sistit. Non ita in senio; nam pruritus, quem dicunt senilem, nisi a diarrhoea aut ab urinae profluvio, ut vidimus, pro tempore saltem, mitigetur, aut evanescat, morbum terribilem et rebellem constituit. Quosdam econtra inter limites prurigo haec salutaris esse solet. Idem de *prurigine partiali* dicendum est, quae caeterum pro varia caussae indole, varios quoque agnoscit exitus. Prognosis.

7. In juvenibus plethoricis robustisque hominibus nil certius pruriginem profligat, quam *cucurbitulae scarificantes*, *balneum fluviatile*, et abstinentia a cibis aromatibus conditis nec non a liquoribus fermentatis. Eundem effectum quacunque in aetate *hirudines* ad anum, sive ad perinaeum praestant, si pruritus ex haemorrhoidibus vel menstruis suppressis originem duxerit. In prurigine ex *imo ventre* ortum habente, *victus* Cura.

modicus,

modicus; blandus; *lacteus* [54]), *lac* ipsum, sive asininum, sive caprinum, item *serum lactis* [55]), *lenia purgantia*, *aquae minerales saponaceae et salinae* potiora praebent auxilia. Pruriginem *ex transpiratione suppressa*, corporis debitum exercitium, *cucurbitulae siccae*, *decocta lignorum* [56]), *sulphur* et *balnea tepida* debellant. Haec et prurigini *ab immunditie*, praecipue adhibito simul sapone, medentur. Saepe balnea tepida ab initio pruriginem augere ac dein tandem extinguere, non ignorandum est. *Pruritus senilis* victum, quousque leges consuetudinis id ferunt, blandum, nutrientem, gelatinosum, praecipue ex jusculis ranarum, viperarum ac remedia alvi et urinae excretionem excitantia exposcit. Latente vitio scorbutico, *juscula antiscorbutica* [57]), et *decoctum turionum juniperi communis* prosunt. Si aeger fuerit arthriticus inter remedia generalia, inprimis *extractum stipitum solani dulcamarae*, cum *sapone* vel *soda* aut *potassa* [58]), aut *acidum* sive *sulphu-*

ricum

54) Avicenna T. I. p. 347. a.

55) Galen. de simpl. medic. fac. p. 10.

56) §. VI. 28. not. (20).

57) Ibid. 31. not. (25).

58) Willan l. c. p. 50. *Natrum depuratum* dispensatorii Londinensis, vel oleum *tartari per deliquium* adhibet; e. c. ter de die a guttis decem ad guttas viginti, in vasculo decocti cujusdam lignorum.

icum 59), sive *nitricum* 60) praescribenda forent. *Externa remedia*, si excipiamus *balnea sulphurica*, pruritum potius adaugent et non nisi caute adhiberi queunt. Veteres quidem ea potissime commendant, at potius adversus morbos *cum* pruritu quam contra legitimam pruriginem. Sunt autem hujusmodi remedia, vel *lotiones* cum *decocto foliorum nicotianae tabaci*, *radicis veratri albi*, *arctiilappae*, *seminum delphinii staphidis agriae*, *aceto*, *urina* 61), et lacte, — vel *unctiones* ope *olei*, *cerae*, *mellis* addito sive *sulphure*, sive *opio*. Et applicatio *pellis recentis ovis* 62) tentari meretur. Ita fotus animalis recenter mactati. Nec *ulcera artificialia* praetermitti debent. *Prurigo ani*, nisi ea ab ascaridibus vermicularibus vel ab haemorrhoidibus oriatur, quo in casu ibi *clysteres cum lacte et aloe* 63), hic applicatio *hirudinum* conducunt, caute et nonnisi *emollientibus remediis* vel *aceti lotionibus* 64) curanda est: aliàs enim gravissima mala, nec excepta morte improvisa 65), sequi possunt.

59) Willan l. c.

60) Optimos ab hoc remedio in pruritu senili expertus sum effectus.

61) Avicenna T. I. p. 330.

62) Idem l. c. p. 373.

63) R. Lactis vaccini libram semis. Aloes hepaticae scrupulum unum. D. S. pro clystere.

64) Willan l. c. p. 58.

65) *Memoirs of the medical society.* Vol. 3. p. 348.

sunt. Si lues venerea subesset, cura universalis indicatur. *Prurigo praeputii* munditiem ac lotionem cum *solutione acetatis plumbi* exposcit. – *Prurigo urethrae*, ex angustia hujus canalis, per *candelas* (Bougies) — ex abscessu, per *cataplasmata* — ex materia irritante, per *balnea* — ex vitio cancroso, per *lotiones* cum *decocto herbae malvae*, *hyoscyami nigri* vel *conii maculati*, — ex syphilide, per *curam mercurialem* abigitur. Cura *pruriginis scroti* illi pruriginis ani similis est. Praeterea, nisi epidermidis adsit excoriatio, lotiones cum *aqua phagedaenica* laudantur 66). *Pruriginem muliebrium* pro re nata cum *balneis tepidis*, *hirudinibus*, *mercurio* curamus.

§. CLXII.

Tactus deletus.

Generatim 1. Sensus tactus saepius in paralysi, in gangraena, in vesaniis deletur. Quoniam autem hic abolitio hujus sensus *secundaria* est, *primaria tactus anaesthesia* 67) pro abolitione sensus tactus, superstitibus motu, nutritione et animi facultatibus, definienda est.

Caussae. 2. Summum frigus tum externum 68), tum inter-

66) R. Mercurii sublimati corrosivi scrupulum semis. Solve in aquae calcis unciis octo. D. usui externo.

67) Ab α privativo, et αἴσθησις, sensus.

68) Et ante gangraenae formationem membra congelata tactu orbari solent.

internum [69]) absolutam interdum tactus anaesthesiam producit. Idem malum nonnunquam cutim paralyticorum et in locis *non* paralyticis detinet [70]). Pluries abolitionem tactus a caussa rheumatica conspeximus [71]). Ita a compressione mechanica [72]), sive ab extensione [73]), potissime a pinguedine, a sero [74]). De anaesthesia tactus in morbis leprosis saepius mentio injecta est. Anaesthesia tactus adversus stimulos nunc mechanicos, nunc chemicos major animadvertitur. Hinc inde ea simulatur [75]).

3. Anaesthesiae tactus *cura*, pro varia morbi indole, varia est. Praesente vitio rheumatico acuto, methodum antiphlogisticam, nec *venae sectione* Cura.

69) P. I. Vol. I. §. XXII. 2.

70) Aeger (L. B.) paralysi extremitatum inferiorum laborans, utrum temperies cubiculi calida sit sive frigida, non percipit, nec percepit incisionem cutis ad lumbos, fonticulorum gratia factam. Vide REIL's *Fieberlehre* 4. B. p. 56.

71) Observationes nostras huc spectantes publici juris reddidit auditor quondam noster, M. ZUKOWSKI, in Diss. de anaesthesia tactus. Vilnae 1812.

72) Vir ebrius cum per integrum noctis curriculum brachio suo superincumberet, superstite motu, tactum ibi omnino amisit.

73) Sensus pluries in oedemate pedum deletur.

74) BOERHAAVE Comment. Sect. 416. Instit. med.

75) E. c. homo incombustibilis; ii, qui epilepsiam simulant.

ne excepta, praesertim vero *cucurbitulas scarificantes* ad partem affectam utilissimam invenimus. Valde hic nocent unguenta irritantia. Provecto in morbo *vesicatorium* conducit. In malo chronico, *balnea calida*, tum simplicia, tum composita, *frictiones* ac praecipue *electricitas*, forte et *magnetismus* sic dictus *animalis*, commendari merentur.

Cap. XL.

De Polypionia.

---

§. CLXIII.

Textus cellulosi momentum. Definitio. Scriptores.

Textus cellulosi momentum. 1. Textus cellulosus subcutaneus ob extensionem suam, ob nexum [76]) et ob consensum [77]) cum reliquis corporis humani partibus magni est momenti,

76) *Corpora extranea* per universum textum cellulosum sine difficultate migrantia (Voigtel op. c. 1. B. p. 78) et *metastases* cellulosae cum singulis partibus, visceribus non exceptis, nexum abunde patefaciunt.

77) Bichat *anatomie générale appliquée à la physiologie et à la médecine.* Paris 1801. T. I. p. 54.

menti, quod jam ex morbis nonnullis hucusque recensitis [78]) elucet, et magis adhuc ex recensendis apparebit. Huc pertinent, utpote proprii textus cellulosi subcutanei morbi, *Polypionia*, *Anasarca*, *Emphysema*, et *textus* ipsius *cellulosi induratio*.

2. Collectio abnormis adipis, potissime in textu celluloso cutis et interstitiis musculorum subjacentium, motum corporis aliasque functiones impediens, *polypioniam* [79]) efficit. **Definitio.**

3. De hoc morbo legi merentur THIERY [80]), BORDEU [81]), LORRY [82]), JANSEN [83]), BICHAT [84]), EVERARD HOME *). **Scriptores.**

78) Ex doctrina scilicet furunculi, anthracis, erysipelatis.

79) A πολὺ, multum, et πιων, pinguis *Synonyma*: Polypiotes, Steatites, Pachytes, Pachysmus, Polysarcia (a GRAEC. πολὺ. multum et σαρξ caro. Significat igitur torositatem seu crassitiem musculorum. Vide SWEDIAUER op. c. Vol. II. p. 121), obesitas nimia corpulentia morbosa. GERM. *Zu grosse Fettigkeit, Vollleibigkeit.* GALL. *Corpulence, Obésité.* ANGL. *Corpulence.* ROSS. Тучность. POL. *Otyłość.*

80) An in textu celluloso frequentius morbi et morborum mutationes. Paris. 1757.

81) *Von dem schleimigen Gewebe.* Wien 1772.

82) *Mémoir. de l'Acad. R. de méd.* a. 1779. p. 97. Et: *Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 9. B. p. 222.

83) *Physiologische und pathologische Abhandl. von dem thierischen Fette.* Hal. 1786.

84) L. c.

*) *Philosophical Transactions of the Royal Society of London.* 1812.

§. CLXIV.

Symptomata. Autopsia cadaverum. Analysis chemica.

Symptomata generalia. 1. Symptomata polypioniae varia sunt, prout adeps *universum* textum cellulosum adimplet, aut *unam* solummodo illius partem occupat.

S. polyp. universalis 2. In *polypionia universali* corpus enorme saepe pondus acquirit [85]), flaccidum et pastosum fit, nulla musculorum vestigia exhibet, libero et firmo motui impar evadit. Sub ascensu scalarum, montium, dyspnoea percipitur. In genere magnum, inprimis post cibum assumtum, tum quiescendi, tum dormiendi desiderium occurrit. Sub minimo corporis motu en sudor, ingratum, saepe acidulum, spirans odorem. Haud raro vestes caeruleo sive rubro inde tinguntur colore. Loca sudantia, potissime mammae, hydroam sudamen, et ad plicas cutis erythema intertriginem, exhibent. Urina, inprimis post corporis exercitium, cum ardore, turbida, instar solutionis saponis, excernitur, sedimentum lateritium deponit ac ad superficiem a substantia oleosa, iridis colores exhibente [86]), cooperitur. Polypionia laborantes famem et frigus facilius, quam macilenti ferunt, ac tactu, ut diximus,

85) Tulpius obs. med. lib. III. cap. LV. p. 269. — Bartholinus histor. anatom. Cent. III. hist. 88. T. II. p. 180. — *Philosophical Transact.* Vol. 47. p. 188. — Voigtel l. c. p. 80.

86) Lorry l. c. p. 266.

mus, imminuto instruuntur. Debilis tum coeundi 87), tum generandi facultas observatur.

P. partialis.

3. *Polypionia partialis* communis apud feminas ad mammas, podicem et crura est. Apud mares ea saepe ad abdomen observatur. Hinc inde massae adiposae ad cartilaginem ensiformem 88), ad pedem 89), aliasque partes *) occurrunt, ne dicamus de steatomate, chirurgiae objecto.

Autopsia cadaverum

4. Adeps non solum in textu celluloso subcutaneo, sed et circa viscera aliasque partes e. c. cor, omentum morbose colligitur. Variam is conditionem pro varia aetate et sexu 90) exhibet. Polypionia saepe hepatis volumen auctum et serum in cavitatibus extravasatum socia agnoscit. Et in intestino colo massae sebaceae, vulgo *scybala*, inveniuntur **).

Analysis chemica.

5. Adipis optima apud FOURCROY habetur analysis chemica 91). Plurima de hoc argumento memoratu

87) De coitu dolorifico ex polypionia lege Eph. Nat. Cur. Dec. III. an. I. app. p. 128.

88) MORGAGNI op. c. epist. XIX. 58.

89) LORRY l. c. p. 237.

*) *Ueber die angeborne Fetthaut-Geschwülste und andere Bildungsfehler. Von* PH. FR. WALTHER. Landshut 1814.

90) LORRY l. c. p. 241.

**) HOME l. c.

91) *Elémens d'histoire naturelle et de chimie.* T. 4. p. 341.

moratu digna jam apud LORRYUM inveniuntur, sapienter praeterea monentem, experimenta, cum adipe in laboratoriis chemicis instituta, vix de illius in homine vivo mutationibus rationem reddere [92].

§. CLXV.

Caussae.

C. praedisponentes. 1. Polypionia quibusdam familiis propria est. Infantes, feminae, praecipue vero evirati, maximo ad eam dispositi sunt. Et temperamentum, quod phlegmaticum sanguineum vocant, et temperies humida calidaque, et diathesis scrophulosa abnormi pinguedinis collectioni favere solent.

C. excitans. 2. Excitatur, saltem in praedispositis, polypionia, a victu copioso, nutriente, tam animali [93], quam vegetabili [94], a potu cerevisiae meracioris, e. c. *porter*, ab animi quiete, inprimis absentibus ira, invidia, amore effraeno, zelotypia [95], a somno diu protracto, a defectu motus, a veneris

92) L. c. p. 253.

93) Laniones fere omnes obesi sunt.

94) Ex esu fructuum dactylorum recentium arboris Phoenicis dactyliferi pro solo nutrimento cum potu mellito, feminas Maurorum in Africa circa Senegal intra paucos menses obesitatem acquirere, autoptes asserit (SWEDIAUER l. c. Vol. I. p. 123).

95) Tantam animi pathematibus adversus obesitatem vim

veneris abusu, ab haemorrhagiis aliisque morbis, praesertim febribus, ab usu mercurii, a denegata lactatione, nec non a cohibitis secretionibus habitualibus.

3. Caussa proxima polypioniae in nimia adipis secretione et in imbecillitate tum vasorum lymphaticorum, tum textus cellulosi quaerenda videtur. Quid vero secretioni, aut forte potius productioni *) illi morbosae ansam porrigat, utrum status inflammatorius, an atonia? arduum est determinare. Processus secretionis morbosae, victus lautus, potius ad statum inflammatorium, — econtra, aetas, sexus, temperies, haemorrhagiae, abusus veneris, labes scrophulosa polypioniae faventes, potius ad conditionem atonicam concludi jubent. Forte pro re nata nunc ille, nunc haec polypioniae fundamentum constituit. In utroque casu hepar **) et testiculi evidenter in hunc morbum influere videntur. Ita et diathesis arthritica, teste inprimis urinarum conditione. Polypioniae partialis caussam in laxitate variarum partium C.proxima

quaeri-

vim tribuit Lorry, ut in iis caussam quaerat, cur homines, animalium domesticorum instar, haud pinguefieri possint.

*) Home l. c.

**) „Hinc etiam cum bilis secretione adipis generatio ita cohaeret, ut obesi fiant, quorum hepar turgescit, utque in saginatis anseribus enormem plerumque jecinoris molem animadvertamus.“ (Sprengel l. c. p. 49).

quaerimus. De origine autem steatomatis peculiarem infra exponendam [96]) habemus opinionem.

§. CLXVI.

Diagnosis. Prognosis. Cura.

Diagnosis. 1. *Polypionia* neque cum simplici *obesitate* [97]), utpote functionum exercitio haud obstante, neque cum *conditione torosa musculorum* [98]) confundi debet. Porro ne collectionem morbosam adipis circa cor, aut in omento pro morbis harum partium habeamus, cavendum est.

Prognosis. 2. Qui polypionia detenti sunt, raro longaevitate fruuntur. Praeterea a quocunque alio morbo, nisi corporis volumen sensim sensimque imminuatur, gravius affligi solent. Repentina macilentia inprimis mali observatur ominis. Morbi polypioniae facile supervenientes sunt vitia organica cordis, scirrhus hepatis, pancreatis, pylori, apoplexia et praecipue hydrops anasarca, qui magnam cum ea affinitatem alit.

Cura. 3. Arduum est vel ingruenti polypioniae obstare, saltim quin alii morbo, uti inter vanas urbium matronas saepe nimis accidit, ansa porrigatur. Abstinentia ciborum plerumque malum auget, quod et de motu corporis, nutrimenti majorem

96) Cap. XLIV. §. CLXXXIX. 7.

97) Gall. Embonpoint.

98) Polysarcia proprie dicta.

rem copiam sollicitante, constat. Victus vegetabilis tenuis, vinum subacidulum, potus cofeae, frictiones corporis [99]), balnea frigida, inprimis martialia, atque remedia *evacuationem alvi* praesertim intestinorum crassorum *) et urinarum promoventia, ne dicamus de aceto et acido nitrico, potissima adversus polypioniam sistunt auxilia.

Cap. XLI.

De Hydrope anasarca et de Oedemate.

---

§. CLXVII.

Definitio. Scriptores.

1. Collectio morbosa fluidi seroso — lymphatici in textu celluloso subcutaneo, tumorem efficiens mollem, digito prementi cedentem, fovea per aliquod tempus in cute relicta, cum urina parca, *Hydrops* [100]) nuncupatur *anasarca* [1]). Idem malum Definitio.

99) Antiquissimum hoc in polypionia remedium, adhuc hodiedum in India adhibetur. (*Bibliothèque Britannique. Sciences et arts.* Vol. 44. p. 83).

*) Hinc *aloës* utilitas.

100) A Graec. Ὕδωρ, aqua.

1) A Graec. ἀνὰ, supra et σὰρξ, caro. *Synonyma.* Hydrops

lum in una solummodo corporis humani parte limites habens, *oedema* [2]) dicitur. Minimus hydropis anasarca gradus *Leucophlegmatia* [3]).

Scriptores. 2. Doctrinam hydropis in genere et anasarca in specie, potissime illustrarunt CAROLUS PISO [4]), DONALDUS MONRO [5]), FRANCISCUS MILLMANN [6]), CAMPER [7]), LAWRENCE [8]), MEZLER [9]), J. P. FRANK [10]), HIRZEL [11]), BACHER [12]) etc.

§. CLXVIII.

drops supra carnem, h. subcutaneus, h. hypodermaticus PLOUCQUETI, — hydroderma SWEDIAUER. — GERM. *Hautwassersucht*. GALL. *Anasarca*, *oedème*. ANGL. *Anasarca*, *oedematous swelling*. Ross. подкожная водяная болѣзнь. POLON. *Nabrzmialbść wodna*.

2) A GR. Ὄιδημα, tumor.

3) A GR. Λευκὸς, albus et φλέγμα, phlegma, pituita.

4) De serosa colluvie.

5) *Von der Wassersucht und ihren besondern Gattungen*. Leipz. 1777.

6) *Bemerkungen über die Natur und Heilart der Wassersuchten*. Braunschweig 1782.

7) Diss. de hydrope in collect. opusc. ejusd. Vol. II.

8) Diss. de hydrope. Lond. 1756. *Samml. auserl. Abh. für prakt. Aerzte*. 11. B. 3. St. p. 486.

9) *Von der Wassersucht*. Ulm 1787.

10) Epit. de curand. hom. morbis. Lib. VI. P. I. p. 134.

11) Diss. sistens obs. circa hydrop. maxime anasarca. Tübing. 1808.

12) *Von der Wassersucht und ihrer Heilart*. Berlin 1781.

§. CLXVIII.

Symptomata. Autopsia cadaverum.

1. Tumor sub cute, prius plerumque extremitates, praecipue pedes occupat, gradatim ad tibias, dein ad femora et partes genitales ascendit ac tandem per universam corporis superficiem sese extendit, aut, quod rarissime et in hemiplegia solum contigisse legimus [13]), unum tantum latus detinet. Sunt, quorum facies prima morbi vestigia exhibeat. In nonnullis tumor ab initio mollis cutisque pallida (*Leucophlegmatia* proprie dicta) animadvertuntur; in aliis cutis color haud mutatur. Utroque in casu tumor digito prementi cedit, ac fovea, ocyus serius evanescens, relinquitur. Lente enim fovea incipiente malo sub forma leucophlegmatiae et cito in absoluto hydrope anasarca, multum jam tensa ac elastica reddita cute, evanescit. Progrediente morbo, gravitas membrorum et universi corporis nec non impotentia ad motum percipiuntur, quae singula vespere augeri, mane imminui, quin immo profligari solent. Torpent nervi ac tactus interdum deletur. Haud pauca obstacula sanguinis circulum impediunt, testantibus calore corporis inaequaliter diffuso, et stillicidio cruoris praesertim e naribus. Ad extremum perducto malo, a levissima caussa cutem irritante, S.hydr.anasarca.

e. c. a

13) Ephem. med. phys. nat. cur. in appendice ad annum V. Decad. II. obs. 98. p. 61.

e. c. a decubitu, ab ictu, a linteis rudibus, vel ab ipsa cutis tensione, inflammatio oritur [14]). Non raro serum undique, excepta facie, potissime vero ex pedibus, cruribus et dorso manat [15]), cutisque inflammationem auget. Loca cutis inflammata nunc ecchymomata, nunc phlyctaenas sive vesicas, ad gangraenam pronas, exhibent.

Oedema capitis.

2. *Oedema capitis*, olim incongrue *hydrocephalus externus* nuncupatum, quod Piso [16]), Camper [17]), Callisen [18]), Ludwig [19]) et J. P. Frank [20]) egregie descripsere, tumorem offert ad frontem, palpebras, tempora, verticem et occiput, modo partialem, modo super totum caput, nec excepta, quidquid dicat Callisen, infima faciei parte, extensum, aliquando fluctuantem atque subinde transparentem [21]). *Sedes* fluidi extravasati nunc in ipsa *cellulosa subcutanea*, nunc inter tegumenta *musculosque et galeam aponeuroticam*, nunc *pericra-*

14) *Erysipelas* sive potius *erythema oedematodes*.

15) Serum ita a viro, hydrope anasarca affecto depluisse, vidi, ut mihi in cubiculum intranti rivulorum instar obviam veniret.

16) L. c. p. 37. 38.

17) L. c. p. 396.

18) *Wundarzneykunst*. Th. II. p. 378.

19) De hydrope cerebri puerorum. Lips. 1774. Vide Baldingeri Sylloge opusculor. Vol. V. p. 123.

20) L. c. p. 160.

21) Henrici Regii prax. med. cap. 13. fol. 57.

pericranium et os calvariae detegitur [22]). Hujus ultimi morbi jam AETIUS [23]) et AEGINETA [24]) mentionem injecerunt, docentes: tumorem hic magis tensum magisque circumscriptum esse, digito prementi minus cedere ac plus doloris excitare, quam reliqua capitis oedemata. LUDWIGIUS quidem haec signa a priori desumta esse existimat, at PISONIS [25]) casus nostraque experientia ea confirmat.

3. *Oedema scroti* praecipue apud recens natos, in morbis venereis neglectis aut male curatis et post scarlatinam obvenire solet. Pars affecta saepe ita volumine increscit, ut vix inter crura locum inveniat. In pusionibus membranae scroti interdum pellucidae fiunt. Et oedematis, *dimidiam* tantum scroti partem occupantis, habetur exemplum [26]). Nec *praeputium* ab oedemate immune est, *phymosin* saepe excitante. Oedema scroti.

4. Gravidae octavo et nono gestationis mense *vulvae* interdum exhibent *oedema*, a CAMPERO [27]), LU- Oedema vulvae.

22) Docte de hoc argumento SWIETEN egit (Comment. T. III. §. 1217).

23) Tetrabibl. II. Serm. II. c. 1. p. m. 265.

24) De re medica. lib. VI. c. III. p. m. 235.

25) L. c. p. 39.

26) POTT *Abhandlung von dem Wasserbruche. Uebers. a. d. Engl. von* TODE. p. 48.

27) L. c. p. 518. 519. §. 27.

LUDOWICO [28]), ZACUTO LUSITANO [29]), HÜNER WOLFIO [30]), MELITSCHIO [31]) aliisque [32]) descrip tum, quo in oedemate labia pudenda adeo ali quando tument, ut duas vesicas aqua turgida mentiantur, quibus ostium vaginae ita clauditur ut aegrae urinam vix emittere queant, atque foetu exitus occlusus videatur.

Oedema vagum.

5. Oedema interdum ex una in alteram parten migrasse visum est [33]), unde nomen *oedemati vagi* obtinuit.

Autopsia cadaverum

6. Nullum hucusque cadaver hominis, hydrope anasarca defuncti, secuimus, quin aut phthisin pul monalem, aut suppurationes aliorum viscerum, in primis renum, aut vitia organica cordis vasorumque majorum, aut obstructiones, aut scirrhum visce rum abdominalium, sive uteri, inveniremus. Ac systema cutaneum, quod spectat, serum nunc inter cutem atque carnem, nunc inter musculos musculorumque fasciculos [34]), nunc in textu cel luloso aut viscerum superficiem cooperiente, aut eorum

28) Miscell. nat. cur. Dec. I. an. III. obs. 206. p. 458.

29) De praxi medica mirab. lib. III. obs. 78. p. 113.

30) Misc. nat. cur. Dec. III. an. I. obs. 113. p. 187.

31) STARK's *Archiv für die Geburtshülfe.* 2. B. p. 96. 3. B. p. 427.

32) VOIGTEL op. c. 3. B. p. 421. not. 35.

33) HECKER in *Journal der Erfindungen.* 10. St. p. 99.

34) LA MOTTE *Chirurgie complette.* obs. 126.

orum parenchyma constituente [35]) detegitur. In locis affectis patula ex cellula in cellulam via est, quam latex serosus, interdum gelatinae similis, suo pondere sequitur. Epidermis facile a cute secedit. Musculi pallidi fere macerati cernuntur et vasa lymphatica utplurimum dilatata, liquore extravasato simili repleta [36]).

§. CLXIX.

Caussae.

1. Ad hydropem anasarca et hydropem in genere *praedisponunt:* laxa corporis, praecipue systematis cutanei, interdum haereditaria [37]) structura [38]), atmosphaera humida [39]), loca uliginosa [40]), victus paucus, depravatus [41]), abusus liquorum fermentatorum, morbi praegressi, inprimis febres intermittentes, miliaria, erysipelas, scarlatina, vario- C. praedisponentes.

35) Morgagni op. c. Epistol. XXXVIII. 26.

36) Wrisberg de systemate absorb. in Comment. Soc. R. Goett. Vol. IX. Assalini *Essay medical sur les vaisseaux lymphatiques.* Turin 1787. p. 43.

37) Quasdam familias prae aliis ad hydropem praedispositas vidi.

38) Anasarca frequentius apud infantes et feminas, quam apud mares occurrit.

39) Hippocratis de tumoribus liber. Sect. II. v. 31.

40) *Traité des hydropisies ascite et leucophlegmatie, qui regnent dans les marais de la Vendée.* Paris 1804.

41) Anasarca pauperum, rusticorum, militum communem sistit morbum.

variolae, dysenteria, diarrhoea, cholera, scorbutus.

C. excitantes. 2. *Excitatur* h. anasarca et hydrops in genere a caussis supra allatis, diu aut inconsueta vi agentibus, a transpiratione suppressa, ab impetiginibus intempestive fugatis [42]), ab animi pathematibus, potissime a terrore [43]), a moerore [44]), ab ira [45]), a melancholia [46]), a sanguinis jactura [47]) ejusque retentione, e. c. a suppressione haemorrhoidum [48]), lochiorum [49]), menstruorum [50]), a cohibitis aliis consuetis evacuationibus [51]), ab usu prae

42) Hirzel l. c.

43) Commerc. litter. Noric. 1743. p. 198.

44) Fr. Hoffmann op. c. Vol. III. c. 14.

45) Ludolff miscell. T. VI. p. 12. — De Meza in collect. soc. med. Havn. Vol. I.

46) Haen rat. med. P. VI. p. 60.

47) Quotidiana haec observatio a Foresto (Lib. 19. obs. 35. 42.), Fr. Hoffmanno (l. c. obs. 3), Riverio (obs. commun. 15. p. 556), Schenkio (obs. lib. 3. obs. 9); Listero (Exercitat. med. de hydrope, aegra 2.) etc. confirmatur.

48) Acta Berolin. Dec. III. Vol. 4. — Hufeland *Journal.* 22. B. 2s St. p. 128.

49) *Mémoires de la Soc. R. des Sciences.* 1702. p. 285.

50) Suppressis a frigore menstruis, h. anasarca inde observavi in nosocomio Vindob. an. 1800.

51) Cohibitis sive diarrhoea, sive sudore colliquativo, citissime oedemati crurum ansa porrigitur.

praepostero mercurii [52]), arsenici [53]), a venenis vegetabilibus [54]), a suppurationibus, obstructionibus, scirrhis viscerum, a dilatatione vasorum sanguiferorum aliisque obstaculis in functiones arteriarum, venarum, vasorum lymphaticorum et praecipue renum, influentibus [55]).

3. *Caussam proximam* h. anasarca et hydropis in genere explicare conati sunt: VAN HELMONT [56]), HEWSON [57]), MEZLER [58]); FORD [59]), MONRO [60]), SCHVLZ [61]), HALES [62]) aliique, at constat tantum, morbum hujusmodi originem nunc in perversa atque aucta secretione seri, nunc in imminuta vasorum lymphaticorum absorbendi potestate, nunc in impedita lotii secretione, nunc in plurimis simul quaerendam esse, quibus singulis, docen- C. proxima.

52) Eph. N. C. Dec. I. an. I. obs. 80.

53) BANG in collect. Havn. No. 56.

54) GMELIN *Pflanzengifte.* p. 15.

55) Sic CAMPER oedema scroti recens natorum ex decussatione pedum in utero materno, et oedema vulvae ac crurum in gravidis a compressione venarum saphaenarum et iliacarum derivat.

56) Opp. omn. cap. ignotus hydrops. No. 5.

57) *Experimental inquiries.* part. II.

58) L. c. p. 64 — 66.

59) *Medical communications.* 2. Vol. art. 14. p. 123.

60) L. c. p. 123.

61) Diss. de elasticitatis effectibus. v. HALLERI disp. anat. Vol. III. p. 670.

62) *Haemastatik* exp. 14.

docentibus caussis tum praedisponentibus, tum excitantibus, vel impedimenta mechanica, vel diathesis sive atonica, sive rheumatica, sive inflammatoria, vel ipse forte processus inflammatorius, ansam porrigere solent.

§. CLXX.

Diagnosis.

Facilis confusio. 1. *Hydrops anasarca* similitudinem alit cum *cutis turgore*, tum aetati juvenili, praesertim illico post diuturnum somnum proprio, tum obveniente sub animi pathematibus [63]), tum ante menstruationem et tempore graviditatis [64]), nec non cum *emphysemate*. *Oedema* cum *abscessibus*, cum effusione sive *urinae* [65]), sive *lactis* [66]), sive *lymphae* *) confundi potest.

Divisio. 2. Stabilita *hydropis anasarca*, vel *oedematis* praesentia, inquirendum est: utrum mala haec, *primaria*, an *secundaria* sint? Si fuerint *secunda-*

63) Turget mihi uxor, inquit Plautus (Most. III. 2. 10.).

64) J. P. Frank l. c. p. 136.

65) Ex urina sibi viam ad crus parante hoc, uti in oedemate, tumidum conspexi, quod adstantes in errorem duxerat.

66) Hufeland's *Journal der prakt. Heilkunde.* 25. B. 1. St. p. 101.

*) Hull *Essay on the phlegmatia alba.* 1800.

cundaria, morbi, ex quo pullulant, originem ac indolem determinare restat. Hic solum de hydrope anasarca et oedemate, utpote quae morbum per se constituunt, sermo erit.

3. H. anasarca sive oedema *ex atonia*, post morbos graves, inprimis post cruoris jacturam, apud homines constitutionis debilis, sub temperie humida, sine febre, locum habere solet. Morbus lente et a pedibus incipiens in altum crescit, aegri adspectus cachecticus est, ac urina, pauca quidem, sed caeterum normalis observatur. Haud raro praeter atoniam indicia diatheseos periodicae, scrophulosae, scorbuticae, arthriticae, spasmodicae etc. occurrunt. H. anas. et oed. ex atonia.

4. Communissimus est h. anasarca *ex diathesi rheumatica*. Morbus hic praegressis symptomatibus nunc catarrhalibus, nunc rheumaticis, plerumque derepente oritur, nec facile a pedibus incipit, ac saepe febriculam, inprimis horis vespertinis, sociam agnoscit. Urina non raro rubella, interdum cum grumis sanguineis ad fundum, vel cum sedimento puriformi, observatur. Ad h. anasarca rheumaticum verisimiliter saepe et h. anasarca, erysipelati et scarlatinae succedens, spectat. H. anas. et oed. ex rheumate.

5. *Hydr. inflammatorii* existentiam Stoll [67]), H. a. et oed. ex diath. inflammatoria.

Pp 2 J. P. Frank

67) Ratio medendi Tom. IV. p. 89.

J. P. Frank [68]), aliique [69]), jure statuerunt. In nullo autem hydrope indoles inflammatoria tam saepe quam in hydr. anasarca observatur. Morbus hic homines sexus utriusque, liquoribus fermentatis abutentes, praevia haemorrhoidum sive menstruorum suppressione, aliquando post scarlatinam, aggreditur. Febris quidem raro adest, at pulsus cum plenitudine et vi micat, quae vero pulsuum vis non semper ob tumorem brachii arteriam obducentem, rite percipi potest. Interdum epistaxis aut signa inflammationis chronicae viscerum, inprimis pulmonis, occurrunt.

§. CLXXI.

Prognosis.

Generatim 1. H. anasarca et oedema, prout *morbos per se* aut *aliorum morborum symptomata* constituunt, diversam agnoscunt prognosin.

H. anas. et oed. primarium. 2. Cui *atonia* locum dedit, sive h. anasarca, sive oedemati, illud facillime debellatur, inprimis absente aliarum diathesium complicatione. Neque difficulter curatur h. anasarca, sive oedema, ex *diathesi periodica* pullulans. Contrarium de h. anasarca sive *rheumatico*, sive *inflammatorio*, saltem nisi illico recta adhibeatur medendi ratio, valet.

3. Prog-

68) L. c. p. 524.

69) Hirzel l. c. — Pitt in *Recueil des actes de la Société de santé de Lyon.* T. I, p. 406.

3. Prognosis h. anasarca sive oedematis *symptomatici* ab indole et gradu morbi primarii deducitur. *Gravidarum* oedema plerumque, at non semper, absoluto partu evanescit. Oedema capitis *recens natorum*, dummodo non complicetur cum hydrope cerebri, haud semper periculosum est. Mali ominis oedema sive h. anasarca, quae suppurationibus viscerum aut morbis cordis vasorumque majorum superveniunt, observatur, praecipue si diuretica auxilium recusent, quo scilicet in casu proximum praesagiunt interitum. In morbis arthriticis et in mania [70]) modicum pedum oedema aliquando salutare est. Ne vero *subitanea* aquarum evacuatio sive per urinam, sive per exulcerationes, relicta cute flaccida et membra, ac si aliena esset, circumdante, pro bono habeatur signo, cavendum est. Levamen enim, quod ita affertur pro tempore solum locum obtinet, ac plerumque, imminentem annuntiat mortem. II. anas. et oed. secundarium.

§. CLXXII.

C u r a.

1. Qualiscunque sit hydropis anasarca sive oedematis natura [71]), *duae* sese exhibent *indicationes*, una scilicet fontem morbi destruendi, alte- Indicationes.

ra

70) Hippocr. in Coac. et aphor. V. sect. 8.

71) Haec paragraphus circum circiter *therapiam generalem hydropum* continet.

ra effectus illius abigendi. Occlusa ad illam via, ad hanc conamina restringuntur.

C. morbi atonici. 2. *H. anasarca ex atonia* victum facilis digestionis, nutrientem et diureticum exposcit e. c. carnes succulentas, assatas, earumque juscula, radices apii petroselini, dauci carotae, scorzonerae humilis, brassicae sive napae, sive rapae, herbas cichorei endiviae, turiones asparagi officinalis etc. Praeterea conducunt *vina*, secretioni urinae faventia, e. c. Rheni, Austriae, Chabli etc. vel *medicata* [72]). Potum enim aegrotantibus habita ratione sitis et consuetudinis concedimus, in celeberrima illa quaestione: *utrum hydropicis strenua a potu abstinentia imperanda sit nec ne?* potius Hippocratem [73]), Ballonium [74]), Del Papa [75]), et Milmannum [76]), quam Celsum [77]), Van Helmont [78]), Marcellum Donatum [79]) et Monroum

72) R. Baccarum juniperi communis contusarum uncias tres. Radicis amomi zingiberis unciam unam. Vini albi calidi libras duas cum dimidia stent in digestione per nychthemerum. Colatura detur.

73) Opp. Edit. Charter. Vol. VII. p. 654.

74) Opp. T. III. p. 101.

75) Consultat. medic. T. I. p. 41.

76) L. c.

77) De medicina lib. III. c. 21. No. 33.

78) L. c.

79) De medica historia mirabili. Cap. 21. Lib. IV.

ROUM [80]) sequentes. *Motus corporis*, in aliis hydropis speciebus commendatus [81]), excepta vectione et navigatione [82]), vix in h. anasarca institui potest. Illum supplent *frictiones* cum pannis laneis, fumo aromatico imbutis [83]), leniter tamen, ne tensa inflammetur cutis, institutae. *Oleum* [84]) nunquam pro frictione adhibuimus. *Temperatura* cubiculi sit potius calida, aerque siccus. Nec debitum *animi regimen* [85]) negligendum est. Ad *pharmaca* spectant: *baccae juniperi communis* [86]), *radix*

80) L. c. p. 195.

81) HIPPOCRATES l. c. Vol. X. p. 471. — MARCELLUS DONATUS l. c. cap. XXI.

82) HOLLERUS Scholiograph. ad cap. 39. De morbis internis. — FORESTUS lib. IX. obs. 32. p. 377.

83) E. c. ex pulvere thuris, mastichis, succini aa. drachma una. (SWIETEN Comment. T. IV. §. 1235).

84) FORESTUS Lib. IV. Schol. ad obs. 35.

85) Quantum animi pathemata in hydropem influant, Cl. PROCHASKAE observatio docet, utpote qui, cum hydropicam a cataracta liberasset, aegram ex adspectu filiorum tantum expertam esse gaudium testatur, ut urinae, diureticis rebelles, copiose fluerent.

86) Hoc remedium praecipue a SWIETENIO commendatur (l. c. §. 1243). Sub forma tum infusi, tum roob praescribi potest, e. c. R. Roob Juniperi uncias quatuor. Diluantur in infusi sive in aquae destillatae juniperi libris duabus. Adde (nisi aeger valde sensilis sit) spiritus simplicis juniperi uncias duas. D. S. ter de die vasculum cofeanum semis. — De juniperi in hydrope praestantia lege et Act. Nat. Cur. Dec. I. an. 9 et 10.

radix scillae marinae [87]), quorum remediorum diuretica virtus, absente diarrhoea, ope *salis medii* [88]) augetur. Praeterea *complicationum* ratio habenda est. Si *periodici* quid subsit, *cortex cinchonae* optimum constituit remedium [89]). Sic *mars* in chloraticis [90]). In *scrophulosis*, infarcto inprimis hepate, *mercurio* [91]) locus est. In *scorbuticis* praecipue *radix acori*

9. et 10. obs. 18. p. 63. Dec. II. an. 5. obs. 168. p. 345.

87) R. Radicis scillae, vel extracti ejusdem granum unum; sacchari grana decem. D. S. ter de die pulverem talem cap.

88) E. c. R. Infusi baccarum juniperi libram unam. Nitratis potassae drachmam unam. Oxymellis scillitici unciam unam. M. Vel: R. Supercarbonatis potassae (sal tartari) scrupulum unum. Aceti scillae drachmam unam. Infusi juniperi libram unam. Roob ejusdem unciam unam. — Vel R. Pulveris radicis scillae granum unum. Nitratis potassae, supertartratis potassae aa. grana octo. M. Cap. ter de die pulverem talem, superbibendo infusum baccarum juniperi.

89) P. I. Vol. I. §. XXXI. 8. not. 80.

90) E. c. R. Tincturae malatis ferri drachmas duas. Aquae cinnamomi uncias duas. D. S. ter de die cochleare coclean. cap. superbibendo infusum baccarum juniperi. Vel: R. Tincturae aethereae martialis Klaprothii drachmas duas. D. S. ter de die gutt. quindecim in vasculo semis infusi juniperi.

91) R. Pulveris calomel. grana sex; — radicis scillae grana duodecim. Elaeosacchari cinnamomi drachmas duas. Divide in duodecim partes aequales. S. ter de die pulverem.

acori calami [92]) et *acidum nitricum* [93]) excellere solent. *Arthriticis* praeter vinum medicatum remedia adversus h. anasarca rheumaticum commendanda, et lenia evacuantia, diureticis nupta [94]), conducunt. Maxime vero *spasmorum*, in h. anasarca influentium, ratio habenda est, quorum indicia dum animadvertuntur, ad *opium* [95]), *digitalem purpuream* [96]), *aetherem nitricum alcoholisatum* [97]), *solanum*

92) R. Radicis acori calami uncias duas. Baccarum juniperi uncias quatuor. D. S. species pro infuso parando.

93) P. I. Vol. I. §. LV. 15. not. 83.

94) R. Tincturae rhei aquosae uncias duas. Aquae juniperi uncias quatuor. Syrupi zingiberis unciam semis. D. S. Omni tertia hora cochlearia duo majora. Vel R. Extracti rhei aquosi drachmas duas. Extracti Aloes aquosi, extracti scillae marinae ââ scrupulum unum. M. f. pilulae No. LX. D. S. ter de die pilulam unam cap. superbibendo infusum ex baccis juniperi et radice zingiberis paratum.

95) R. Pulveris radicis scillae scrupulum unum. Opii grana tria. Elaeosacchari macis drachmas tres. D. in XX. pulveres. S. Bis de die cap. pulverem.

96) R. Tincturae digitalis purpureae drachmas duas. D. S. ter de die a gutt. X — XX.

97) R. Aquae juniperi uncias sex. Spiritus nitri dulcis scrupulum unum. Syrupi scillae unciam unam. D. S. Omni tertia hora cochlearia duo majora. Vel: R. Tincturae digitalis purpureae drachmam unam. Spiritus nitri dulcis drachmas duas. M. D. S. ter de die gutt. XXX.

solanum nigrum [98]), *helleborum nigrum* [99]), confugiendum est. Praesente inertia viarum urinariarum praesertim vesicae, sicuti in senibus contingere solet, *herba rubi chamaemori* excellens suppeditat remedium [100]). Ita *therebinthina*.

C. morbi rheumatici. 3. *H. anasarca* sive *oedema rheumaticum* si febrem, notas inflammatorias exhibentem, comitem habeat, instar morbi inflammatorii curandus est. Potissima hic auxilia sunt: *nitras potassae* [1]), *supertartras potassae* [2]), *radix ononidis spinosae*

98) Colaturam ex octo foliis solani nigri in libra una aquae fontis fervidae emergentem, CIRILLO summo cum fructu spatio nychthemeri exhibebat Neapoli.

99) Celeberrimae *pilulae* BACHERI virtutem, qua pollent, potissime extracto hellebori nigri debere videntur. Eas cum MILMANNO simplicius sic praescribimus. R. Extracti hellebori nigri — extracti myrrhae aa. unciam semis. Pulveris cardui benedicti drachmas tres. f. pilul. grani unius. Sr. ter de die decem pil. cap.

100) Egregia quidem haec atque in Rossia vulgata herba, praecipue segnem in paralysi vesicam ad contractionem excitat atque remedium potius ischuriae, quam diureticum proprie dictum sistit; at sub allata rerum positione, quocunque id demum fiat modo, urinam mirifice movet.

1) Nullibi nitrum vires suas diureticas evidentius exercet, quam in hydrope rheumatico.

2) Aeternae gratiae MENGHINIO, qui usum cremoris tartari in medicinam introduxit, (acta Bononiensia T. IV. p. 260) agendae sunt. Plerumque eum nitro jungi-

sae [3]) et *digitalis purpurea* [4]). Serius ad *antimonium* [5]), *liquorem acetatis ammoniae* [6]), *roob sam-*

jungimus; R. Pulveris cremoris tartari, nitri aa scrupulum semis. M. cap. ter de die dosin.

3) Exhibetur uncia una radicis ad colaturam librae unius cum aqua decocta. Et *radices* tum *apii petroselini*, tum *asparagi officinalis* simili pacto praescribi queunt, si praesentia febris vel constitutio irritabilis aegri juniperum excludant.

4) Digitalis purpurea, de cujus usu generali in hydrope legantur Withering (*An account of foxglove.* Birmingham 1785), Simmons (*Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 11. B. 1. St. p. 99), Lettsom *Memoirs of the medical society of Lond.* Vol. 2. art. 3. p. 145. 176), Darwin (*Experiments* etc.) in hydrope anasarca longe minus, quam in aliis hydropis speciebus efficax est, ac morem hodiernum, alia praestantiora remedia digitalis caussa negligendi, vehementer reprobamus. Interea nonnunquam hic pulchre ea agit, praecipue aliis remediis juncta. R. Foliorum digitalis purpureae drachmam unam, infunde per dimidiam horam c. s. q. aquae fontis fervidae. Col. librae unius adde liquoris terrae foliatae tartari drachmas tres. Oxymellis scillae unciam unam. M. S. Omni quarta hora cochl. duo majora.

5) Exhibetur granum unum tartari emetici in libra una decocti ononidis. Nec nocet, si vomitus inde moveatur, quem in hydrope anasarca excitare jubent Schenk (obs. med. rar. libr. VII. lib. III. obs. 5), et Brisbane (*select cases in the practice of medicine.* Lond. 1772. p. 51).

6) Swieten comment. Vol. 4. p. 224.

sambuci nigrae [7]), *sulphur* [8]), *pulverem ipecacuanhae cum opio* [9]) et ad *balnea* tum *vaporis* [10]), tum *tepida* recurrendum est. Haec ultima praesertim conducunt, si morbus ex impetigine praepostere fugata originem ducat [11]). Et *vesicatoriis* caute adhibitis locus est [12]).

C. morbi inflammatorii.

4. In *h. anasarca inflammatorio*, exemplo Hippocratis [13]), Aeginetae [14]), Fr. Hoffmanni [15]), Monroi [16]), Lawrencei [17]), Richardi a Hautesierk [18]), Stollii [19]), Frankii [20]) aliorumque, *venam tundimus*. Praeterea tum in *nitrate*

7) Quarin animad. pract. p. 16.

8) Ad drachmam unam cum melle (*Nouveau dictionaire de médeçine et de chirurgie*. Vol. 6. et Hufeland's *Journal* 4. B. 3. St. p. 202).

9) Mudges in *medical transactions of London*. Vol. 2.

10) Monro l. c. p. 83.

11) Bang (Act. Soc. med. Havn. Vol. I. p. 24). Kaempf (Enchirid. medic. p. 123).

12) Stoll (rat. med. T. 3. p. 306), Hirzel l. c.

13) De victu acutorum. Sect. 62.

14) Lib. III. c. 48.

15) De hydrope. obs. 9.

16) L. c. p. 48.

17) L. c.

18) *Récueil d'observations de médecine*. Vol. 2. p. 418.

19) L. c.

20) L. c. p. 324.

trate potassae, tum in *digitali purpurea*, tum in *diaeta severa* [21]) auxilium quaerimus.

C. h. anas. ex scarlatina.

5. Quamvis *h. anasarca ex scarlatina* plerumque notas rheumaticas offerat, tamen nonnunquam vel inflammatoriam, vel atonicam induit naturam. Non mirum igitur est, pro re nata hoc in morbo nunc *diapnoica*, nunc *venae sectionem* [22]), nunc *juniperum* [23]), nunc *balnea* [24]) profuisse. In genere *decocto radicis ononidis spinosae* cum *nitratae potassae* intus, et exterius illinitione *unguenti oxydi mercurii grisei* cum *pulvere foliorum digitalis purpureae*, et *vesicatoriis* [25]), mirabili cum eventu utimur.

Remedia empirica.

6. Ne interea quis nimis stricta divisioni nostrae h. anasarcae adhaereat, rogamus: in morbo enim rebelli, saepe *empirice* tum indicata, tum alia remedia praescribere libet. Nec usum *urinae animalis* e. c. asinorum, ovium, vaccarum, utpote a gravissimis auctoribus tam in hydrope in genere,

21) Jejunia juvasse Rush testatur. (l. c.).

22) Targioni Tozzetti.

23) Infusum juniperi cum tinctura rhei aquosa et aethere nittrico utiliter adhibuerunt Bang (Act. Hafn. Vol. II. p. 88) et Aaskow (ibid. Vol. III. p. 108).

24) Aascow l. c.

25) E. c. R. Unguenti mercurialis drachmas duas. Pulveris foliorum digitalis purpureae drachmam unam. M. illiniatur ad magnitudinem nucis avellanae semel, sive bis de die regioni epigastricae.

genere, quam in h. anasarca in specie commenda-tum [26]), silentio praetereundum esse censemus.

Auxilia chirurgica. 7. Irrita diureticorum aliorumque remedio-rum virtute, licetne sive ad *scarificationes* sive a *incisionem* confugere? Favebant huic method HIPPOCRATES [27]), AETIUS [28]), PROSPER ALPI-NUS [29]) aliique [30]); at rite MEAD [31]), HEISTER [32]) BOEHMER [33]) et J. P. FRANK [34]) monent, eam, sal tem in h. anasarca, vix aliquid praestare ac saep nimis gangraenae ansam porrigere.

C. oedemat. capitis. 8. Felici autem successu in *oedemate capiti* tum *scarificationes* ope lanceolae institutae, tum *cauterium*

26) AVICENNA Canon. lib. III. fen 14. T. 4. c. 10. — MORGAGNI op. c. epist. XXXIIX. No. 30. — LEMERY *mémoires de l'Academie R. des sciences* a. 1707. — PASTA *Lettera intorno ad alcuni rimedii poco o nulla usitati dai medici, ma di molta virtù ed operazione per la cura di diverse ragguardevoli indisposizioni* (*Raccolta d'opuscoli scientifici e fisiologici.* T. 51. Venez. 1744. p. 312).

27) De locis in homine c. 9.

28) Sermo X. cap. 30.

29) De medicina Aegyptiorum Lib. III. c. 13. p. 102.

30) SWIETEN l. c. §. 1242. — HALLER elem. physiol. T. I. p. 75.

31) Praecepta et monita med. cap. VIII.

32) Chirurg. T. II. Cap. de oedemate.

33) De secura hydropem curandi methodo. Goettingae 1779. p. 4.

34) L. c. p. 419.

cauterium consilio CELSI [35]) postico capiti admotum fuisse legimus [36]). Cavendum autem est, ne cum oedemate *tumores*, qui a partu laborioso ad cranium foetuum oriri solent, confundamus, quique aperti convulsiones letales post se trahunt, et rite docente ZWINGERO [37]), tuto cum sacculis herbis aromaticis repletis foventur [38]).

9. *Oedema scroti recens natorum*, cultrum respuens, sive fotum ex herbis aromaticis siccis, sive subfumigia [39]), consilio SWIETENII [40]), panno laneo suscepta ac scroto applicita, exposcit. In adultis vero tumore ad extremum perducto ac spontaneam gangraenam minitante, docente POTT, aquae potius per *punctionem*, quam per incisionem e scroti cellulosa educi possunt. C. oedemat. scroti.

10. Gravida *oedemate vulvae* affecta varietC. oedemat. vulvae. decumbendi rationem oportet. Ad scarificationes hic

35) Lib. IV. c. 2.

36) LANZWERDII armamentar. chirurg. obs. 33. fol. 253. — CAROLUS PISO op. c. p. 39. — J. P. FRANK l. c. p. 161. 422.

37) Paedojatreia practica. obs. 3. Basil. 1722.

38) *Mémoires de l'Acad. R. de chirurg.* Vol. V. p. 64.

39) R. Benzoeni, olibani, sarcocollae, resinae quajaci aa unciam semis. Camphorae drachmam semis, mastiches unciam unam, salis ammoniaci scrupulos duos. M. f. pulvis, cujus incensi vapor suscipitur.

40) L. c. p. 281.


hic confugere inutile est; nam vulnuscula sic inflicta illico sanantur. A cataplasmate nullum obtinetur levamen. Caeterum, quamvis id plane impossibile videatur, partus irrito tumore locum nihilominus habet.

C. oedemat. pedum.

11. *Oedema pedum* horizontalem crurum positionem, quietem, subfumigia ex baccis juniperi, et, nisi magnum jam acquisiverit volumen, *fascias* exposcit. Interea cauti estote, ne eas in *salutari oedemate* adhibeatis! [41]). *Scarificationibus* tunc tantum locus est, cum oedema ex ulceribus pedum praepostere sanatis originem duxerat.

41) Letales inde secutas esse apoplexias, experientia J. P. Frank docet.

Cap. XLIII.



Cap. XLIII.

De Emphysemate.

§. CLXXIII.

Definitio. Scriptores. Divisio. Autopsia cadaverum.

1. Collectio morbosa sive aëris, sive gaz, in textu celluloso cutis, intumescentiam elasticam, sub pressione crepitantem efformans, *emphysema* dicitur [42]). Definitio.

2. Scriptores de pneumato-pathologia in genere, quorum alibi mentio fiet [43]), et emphysematis doctrinam illustrarunt. Praeterea huc pertinent Oetinger [44]), La Louette [45]) et Timmermann [46]). Scriptores.

3. Emphy-

42) Ἐμφυσάω, inflo. *Synon.* Tympanitis universalis, pneumatosis. Germ. *Luftgeschwulst, Windsucht unter der Haut.* Gall. *Bouffisure.* Angl. *Emphysema.* Ross. Воздушная болѣзнь. Polon. *Nadętość.*

43) P. III. Vol. I. cap. de affectionibus flatulentis.

44) De aëre microcosmi factitio. Tubing. 1737. Vid. Halleri Diss. pract. T. III.

45) *Abhandlungen, welche an die Pariser Academ. d. Wissenschaft. einges. worden. Uebers. v.* Beer. Leipz. 1754.

46) Diss. de emphysemate. Rintel. 1765.

Divisio. 3. Emphysema in *universale* et *partiale* dividitur.

E. universale. 4. In *emphysemate universali*, cujus stupendum vidimus exemplum, cujusque similia descripserunt G. HUNTER [47]), HERBIN [48]), GRIMM [49]), BAILLIE [50]) et SWEDIAUER [51]), corpus ad insigne volumen crescit ac percussum tympani madidi instar resonat. Plerumque simul respirandi difficultas cum periculo suffocationis occurrit.

E. partiale. 5. *Emphysema partiale* ad caput [52]), ad collum [53]), ad pectus [54]), ad abdomen [55]), ad tibias [56]), vel per universum corpus sub forma *tumorum* elasticorum *vagans* [57]) observatur.

6. Observa-

47) *Einige medic. chirurg. Bemerkungen. Aus d. Engl.* 1. Thl.

48) *Journal de médecine.* T. 50. p. 431.

49) Nov. act. phys. med. N. C. T. III. obs. 17.

50) *Transactions of a society of medical and chirurgical knowledge.* Vol. I. No. 11.

51) *London medical Journal.* Dec. 1781. p. 408.

52) ACREL *chirurgische Vorfälle.* 1. B. p. 43.

53) J. P. FRANK Epitome lib. VI. P. I. p. 50.

54) Emphysema ad pectus in aegro, qui abscessu pulmonis, extus comparente, ac carie costarum stipato, laborabat, conspexi.

55) MORGAGNI epist. XXXVIII. No. 25.

56) SYDENHAM Diss. ep. p. 41.

57) MARCELLUS DONATUS de medica historia mirabili lib. I. cap. 6. — FEL. PLATER praxis. T. III. p. 259. — FABR.

6. Observationes MORGAGNII [58]), VERNEYI [59]) et HEISTERI [60]) docent, dissecta cute, cujus cellulosa septem pollicum interdum exhibet ambitum [61]), serum nullum, at aërem, interdum cum foetore, donec totum corporis volumen subsideat, exire. Saepe vestigia vulnerum, praecipue laryngis et pectoris, fractura et caries costarum, nec non inflammationes et gangraenae deteguntur. C. autopsia.

§. CLXXIV.

C a u s s a e.

1. Cellulosa, ubi pauco adipe instructa est, e. gr. ad capitis partem posteriorem, ad latera thoracis, praecipue caussis emphysema excitantibus, aditum concedit. C praedisponentes.

2. Sunt autem hujusmodi caussae nunc mechanicae, nunc aliae. Ad primas spectant, praeter indicata vulnera [62]) et fracturas costarum C. excitantes.

Qq 2

— FABR. HILDANUS cent. V. obs. 70. — RAULINIUS *des maladies vaporeuses*, p. 221. — DANIEL HOFFMANN Commerc. literar. a. 1737. hebd. 11. — MORGAGNI l. c. — J. P. FRANK l. c. p. 52.

58) Op. c. ep. XVIII. art. 23. 25.

59) *Mémoires de l'Academie des sciences* 1704.

60) *Medic. chirurg. Wahrnehmungen.*

61) HERBIN l. c.

62) Leve vulnusculum integumentorum calvariae ad emphysema excitandum sufficit. (BOERHAAVE comment.

rum [63]), earum percussio [64]), pondus magnum capiti impositum [65]), lapsus [66]), luxatio humeri [67]), operationes chirurgicae [68]), labor partus [69]) et tussis effrena [70]). Porro emphysema pro caussa et febres epidemicas [71]), peste non excepta [72]), agnoscit, ita febres suppressas [73]), cynanchen [74]), erysipelas

ment. ad instit. Vol. VI. p. 87). Item vulnera laryngis (VILLARS *cours de chirurgie* Vol. 2. p. 170) et pectoris (BERGER de tympanitide p. 26. — CHESELDEN *anat. of the human body.* Edit. 6. p. 130).

63) LE DRAN obs. 29.

64) TIMMERMANN l. c.

65) ACRELL l. c.

66) BOERHAAVE l. c.

67) BICHAT in DESSAULT's *auserl. chirurg. Wahrnehmung.* N. 253.

68) A castratione emphysema describitur apud MONRO (*Essays of a society of Edinbourgh* Vol. 5).

69) SIMMONS (*Medical communications.* Vol. I. art. 4. p. 176) et BLAGDEN (*Medical facts and experiments.* Vol 2).

70) HOLYCKE *Memoirs of the Academie of Boston.* Vol. 2.

71 MECKELS *Neues Archiv der prakt. Arzneykunde.* 1. Th. p. 230. — J. P. FRANK l. c. p. 46.

72) PUGNET *mémoire sur les fièvres pestilentielles du Levant.*

73) MANNIUS Trip. Heitersbacensis. T. I. Tübing. 1755.

74) SAUVAGES nosol. Vol. II. p. 469.

sipelas [75]), scarlatinam [76]), scorbutum [77]), hysteriam [78]), gangraenam [79]), putredinem foetus [80]) et refrigerationem corporis [81]).

3. Concesso aëris externi aditu in textum cellulosum, emphysematis, ortus facile ex illius, per majorem temperiem expansione intelligitur. Aliàs morbi origo, nisi ea ex secretione morbosa fluidi aëriformis explicari voluerit [82]), profunda caligine circumdatur, ad quam dissipandam gaz emphysema constituens, analysi chemicae submittendum, et cum aëre tum in piscium vesica natatoria [83]), tum in vasis circulo sanguinis dicatis [84]) contento, non neglecto

C.proxima

75) Thomann Ann. Wiceburg. I. p. 176.

76) Wendt Annal. p. 25.

77) *Fränkische Anmerkungen*, 3. B. p. 417.

78) J. P. Frank l. c. p. 50.

79) Hunter *medical obs. and. inquir.* Vol. 2. p. 63.

80) *Cases and remarks in surgery.* Lond. 1779. p. 141.

81) Heister l. c. — Act. Nat. Cur. Vol. V. obs. 52.

82) Hunter *Essay upon digestion.* Lond. 1786. Baillie l. c. p. 202.

83) Fourcroy *Annales de chimie* Vol. I. p. 47. — Gotth. Fischer *Versuche über die Schwimmblase der Fische.* — Biot *mémoires de physique et de chimie de la société d'Arceuil.* Vol. I. — Rudolphi *entozoorum hist. natural.* T. I. p. 242.

84) Lettre in *mémoires de l'Academie des sciences* an. 1714. — Sigismund Richter de tympanitide specimen inaugurale. Argent. 1783. §. 6.

neglecto examine hypothesium circa gaz animale [85]), comparandus foret. Ipsa forsan doctrina *combustionis spontaneae*, de qua infra [86]), lucem inde accipere posset.

§. CLXXV.

Diagnosis.

Facilis confusio.

1. *Emphysema* ab *hydrope anasarca*, ab aliis *tumoribus* et ab *inflatione artificiali cellulosae* distingui debet.

Distinctio ab hydrope anasarca.

2. *Hydrops anasarca.*	*Emphysema.*
a. Pondus specificum corporis *auctum* est.	a. Pondus specificum corporis *imminutum.*
b. Urina pauca.	b. Urina normalis.
c. Tumor mollis a compressione foveam retinens.	c. Tumor elasticus nullam a compressione foveam retinens.
d. Tumor ab attactu neque resonat neque crepitat.	d. Tumor ab attactu plus minusve resonat ac evidenter crepitat.

Aliquando emphysema cum hydrope anasarca complicatur [87]).

3. Sicuti

85) *Essay sur le gaz animal considéré dans les maladies, ou renouvellement de la doctrine de Galien concernant l'esprit flatueux, par* VIDAL. Marseilles 1809.

86) §. CLXXIX.

87) BAILLIE l. c.

3. Sicuti hydrops anasarca ab emphysemate distinguitur, ita et *oedema* a *tumoribus aëreis*. Sciendum enim est, hos ultimos aliquando pro *abscessu* 88) aut *tumore glandularum* 89) habitos fuisse. Distinctio ab aliis tumoribus.

4. Non solum animalia domestica, aëre per cellulosam introducto, tum ut obesiora videantur 90), tum ut revera pinguiora evadant 91), tum ut lactis secretio in iis augeatur 92), inflantur; sed et *mendicantes* hoc artificio *ad morbum simulandum* utuntur 93), ne de Guineensibus illud ad rheumatismum et tabem sanandam usurpantibus 94) dicamus, de quibus singulis legatur TIMMERMANN 95). Distinctio ab inflatione artificiali.

88) LE THULIER obs. med. pract. Paris. 1732.

89) P. III. Vol. I. cap. de struma et bronchocele.

90) HALLER element. physiol. T. I. Sect. 2. p. 12. 13.

91) PLINIUS hist. nat. lib. VIII. c. 64.

92) MAUCHART eph. nat. cur. cent. I. obs. 12.

93) HALLER l. c. — Immensam herniam scrotalem vir vagabundus praetereuntium pietati obtulit, quam inquirens Cl. ECKER, friburgensis chirurgiae professor, per aërem scroto inflatum malitiose simulatam fuisse, agnovit.

94) GALLANDAT *medic. Abhandl. zum Gebrauche prakt. Aerzte.* p. 20. — TACKENBERG in Act. Soc. Harlemensis T. VI. p. 676. — T. VIII. p. 235. — *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 2. B.

95) De emphysemate artificiali. Giesae 1777.

§. CLXXVI.

§. CLXXVI.

Prognosis. Prophylactica. Cura.

Prognosis. 1. Emphysema traumaticum, visceribus nobilibus parcens, haud periculosum est, et aliquando, absorpto, uti videtur, per vasa lymphatica aëre [96]), sponte evanescit, aliàs letale evadit. Emphysema e caussis internis pullulans, prognosin a morbo, cujus symptoma est, desumit, ac nisi partiale sit, funestam plerumque agnoscit significationem.

Prophylactica. 2. Praepeditur emphysema traumaticum, inprimis in capitis, juguli aut pectoris laesionibus, si accessus aëris, quoadusque possibile est, a vulnere avertatur, sique labia vulneris, priusquam ille expressus sit, non coadunentur.

Cura. 3. Aëri incluso sine temporis jactura exitus concedendus est, quod fit, loca tumefacta, crepitantia, incidendo, atque illius expulsionem ope pressionis manuum promovendo. Parti incisae *cucurbitulae siccae* superimponuntur. Quid affusio aquae frigidae hic valere possit, tentandum foret. Urgente suffocationis periculo, consilio Hewsoni [97]), ad *paracentesin thoracis* confugiendum est, quam operationem Gooch [98]) et Ke-

LIE

96) Soemmerring de morbis vasorum absorbentium.

97) *Medical observations.* T. 5. p. 372.

98) *Medicinische und chirurgische Bemerkungen.*

LIE [99]) feliciter instituerunt. In emphysemate ex caussa interna remedia indoli morbi primarii accommodanda sunt.

§. CLXXVII.

De Combustione spontanea.

1. Corpus humanum nonnunquam vel sponte, vel admoto modico calore comburi, observationes DUPONTI [100]), ADOLPHI [1]), MORTIMERI [2]), BIANCHINI [3]), SCHRADERI [4]), MERILLI [5]), BARTHOLINI [6]), WILMERI [7]), SCHERFII *), SWEDIAUERI [8]), AIME-LAIRII [9]), SNIADECKII [10]), aliorumque [11]) docent. Notio.

2. Flamma

99) *Medical and chirurgical observations*. P. 2. p. 425.

100) Diss. de corporis humani incendiis spontaneis. Lugd. Bat. 1736.

1) Diss. de eructatione flammante. Lips. 1746.

2) *Philosophical Transactions* 1745. No. 476.

3) LESKE *auserl. Abhandl.* 3. B. p. 209. 226.

4) Obs. rar. fasc. I. No. 10.

5) *Journal de médecine*. T. 59. p. 140.

6) Act. Hafn. I. obs. 118.

7) *Philosoph. transact.* Vol. 64. No. 35.

*) KOPP *Jahrbücher der Staatsarzneyk.* 5. *Jahrg.*

8) *Bulletin des séances de la société philomatique.*

9) *Essai sur les combustions humaines produites par un long abus des liqueurs spiritueuses.* Paris 1800.

10) *O ogniu wszczyniącym się w ciałach zyiących i o ich pogorzeniu. Dziennik Wilęski.* T. I. No. 2. p. 70.

11) *Philosophical magazin.* No. 53. — Commerc. liter. Norimb. 1731. *Hamburger Magazin.* 1. B. 3. St.

Phaenomena. 2. Flamma vel ex ore assurgit, vel potissime truncum, non exceptis ossibus, sub maximo foetore in massam cineream convertit. Lintea et plumae vicinae ab igne non attinguntur *).

Caussae. 3. Vetulae abusui alcohol deditae huic malo, in Lithuania aliquando obvenienti, praecipue subjiciuntur. Ni fallimur, illius origo in evolutione gaz hydrogenii, forte phosphorati, quaerenda est, cui opinioni, analogia, a nobis combustionem spontaneam inter et oedema stabilita, nititur. Nec desiderantur aliae hypotheses [12].

Cura. 4. Lac et potus mucilaginosus commendantur [13]. In Lithuania vulgus flammam in os mingendo extinguit. Aqua certe incendium potius auget.

*) Contrarium contigisse fertur (*Journ. général de médecine, chir. et pharmcie* 1813. *Mars*), ast casus hic nequaquam ad combustionem spontaneam pertinere videtur.

12) Kopp Diss. de caussis combustionis spontaneae in corpore humano factae. Jenae 1800.

13) Swediauer l. c.

Cap. XLIV.

Cap. XLIV.

De Induratione textus cellulosi.

§. CLXXVIII.

Definitio. Scriptores.

1. *Induratio textus cellulosi* [14]) morbum recens natorum sistit, apyrecticum, rigore et frigore cutis, digiti impressionem respuentis, insignitum. Definitio.

2. Memorabilem hunc, nobis vigesies circiter visum morbum, Andry [15]) et Auvity [16]) primum descripserunt. Secuti sunt Moscati [17]), Redde- Scriptores.

lien

14) Gallice *Endurcissement du tissu cellulaire.* Germ. *Verhärtung des Zellengewebes.* Ross. Отвердѣнїе клетчатой плевы. Polon. *Stwardnienie skòry.*

15) *Histoire de la Soc. R. de médecine de l'an.* 1784-85. p. 207. *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 15. B. p. 604.

16) *Mémoires de la Soc. R. de médecine de l'an.* 1787-88. p. 328.

17) *Giornale fisico.* 1793. Vide Weigel's *Italiänische Bibliothek.*

LIEN [18]), HORN [19]), LODEMANN [20]) atque recentiores de morbis infantum scriptores [21]).

§. CLXXIX.

Symptomata. Autopsia cadaverum.

Symptomata.

1. Ingruit morbus primo, secundo, rarissime tertio a partu die, cum frigore, primum ad genas, dein ad extremitates tum superiores, tum inferiores sese manifestante, ad regionem pubis progrediente et nonnunquam totum dein corpusculum occupante. Partes affectae impressionem digiti respuunt ac tanquam ligneae videntur. Cutis tam arcte partibus subjacientibus adhaeret, ut neque moveri, neque attolli possit. Volumen illius, praesertim in extremitatibus inferioribus, auctum est. Flexio articulorum et depressio maxillae inferioris conceditur. Aegrotuli vagitus languidos et flebiles edunt Thermometrum extrinsecus cuti admotum frigoris praesentiam confirmat, aut saltem temperaturam retinet cubiculi. Color cutis sublividus, exceptis plantis pedum et cruribus, ubi rubellus est, obvenit. Suctio plerumque aegre perficitur

18) *Samml. kleiner Abhandlungen und Beobachtungen über die Rose und Verhärtung des Zellengewewebes neugeborner Kinder.* Lübeck 1802.

19) *Neues Archiv* II. 2. p. 201.

20) HUFELAND's *Journ. d. prakt. Heilkunde.* 1810. 10 St. p. 57.

21) P. I. Vol. I. §. IX. 5.

perficitur et multi cum difficultate deglutiunt. Faeces et urina rite, sed in pauca quantitate excernuntur. Pulsus debilis, haud febrilis. Jam tertio sive quarto morbi die maxima aegrotularum pars moritur.

2. Dissecta cute multum seri coagulabilis obscure flavescentis effluit. Mucus in textu celluloso contentus granulatus et exsiccatus est. Vasa et glandulae lymphaticae tument. Hepar solito majus ac sanguine atro turgidum. Ita et vasa umbilicalia nec non pulmones, qui nunquam praeter modum ab aëre distenti inveniuntur. Ad *cordis* conditionem nemo satis respexisse videtur. Autopsia cadaverum

§. CLXXX.

C a u s s a e.

1. Infantes graciles, gemelli atque a matribus venereis, phthisicis, hydropicis, vel ebrietati deditis, originem ducentes, praecipue indurationi textus cellulosi obnoxii sunt. Morbus potissime in orphanotrophiis, tempore hyemali et autumnali, grassatur. C. praedisponentes.

2. Excitari is videtur tum a frigore, cui infantes expositi plus minus subjiciuntur, tum ab aëre saepe inquinato orphanotrophiorum, tum a nutritionis debitae defectu. C. excitans.

3. *Caussa proxima* indurationis textus cellulosi nunc in praevium erysipelas [22]), nunc in vitium C. proxima.

22) Cap. VI. §. XXIX. 5.

tium leprosum *), nunc in spasmum [23]) locata est. Ad nos quod spectat, eam *a fracto processu oxygenationis sanguinis* **) *et evolutionis caloris animalis* repetimus, ac in hoc morbo affinitatem quandam cum asphyxiis ex intercepto respirationis opere animadvertimus. Debilis enim infantum indurationi textus cellulosi subditorum constitutio, frigus, nutrimentum pravum et aër inquinatus impedire videntur, quominus arduus ille respirationis processus in recens natis debito pacto locum invenire queat, quo posito, facile defectus caloris et *morbo coeruleo* proprius ***) indeque transitus partium fluidarum, praecipue adipis [24]), in statum solidum explicari potest. Autopsia cadaverum hanc nostram *hypothesin* confirmare videtur.

*) ALARD op. c. p. 215. Opinio haec plane a vero aberrare videtur.

23) Textus cellulosi indurationem ad tetanum immerito me olim revocasse (*Reise nach Paris, London*, 1. Th. p. 72) fateor, uti videri erit in P. II. Vol. I. cap. de tetano.

**) Aut secundum experimenta ALLENI et PEPYSII ab impedita generatione gaz acidi carbonici.

***) ALLEN BURNS *von einigen der häufigsten und wichtigsten Herzenskrankheiten. Aus d. Engl.* Lemgo 1814.

24) LORRY dixerat: „forte adeps influit in certas indurationes cutis. (l. c. in *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* p. 297).

§. CLXXXIII.

§. CLXXXI.

D i a g n o s i s.

1. *Induratio textus cellulosi* cum erysipelate recens natorum et cum *tetano* similitudinem alit atque procul dubio morbi hujusmodi saepe in recens natis confunduntur. Generatim

Distinctio ab erysipelate recens natorum.

2. *Erysipelas r. n.*	*Induratio t. c.*
a. Tertio, quinto, decimo a partu die invadit.	a. Primo, secundo, rarissime tertio die et nunquam serius in conspectum venit.
b. Orditur a genitalibus, a cruribus, nunquam a facie,	b. Orditur a facie.
c. Doloris indicia ab attactu cutis conspiciuntur.	c. Nulla doloris indicia ab attactu.
d. Morbus est febrilis.	d. Febris nulla.

3. Indurationem textus cellulosi cum *aphthis* et cum *lue venerea* complicari posse, observationes Andry [25]) et Ghelis [26]) docent. Ipse hic auctor et speciem *indurationis textus cellulosi chronici recens natorum*, aperte indolis venereae observasse Complicationes.

25) L. c.

26) *Salzburger medic. chirurg. Zeitung.* a. 1811.

servasse contendit, qua de re ulteriores cl. viri ex pectamus animadversiones.

Aliae cutis indurationes. 4. Interea animadvertere juvabit, *cutis indurationem corneam* tum universalem, tum partialem, et certe a morbo nostro plane diversam, jam dudum a REGHELLINI [27]), VERBURG [28]) aliisque [29]) descriptam fuisse.

§. CLXXXII.

Prognosis. Cura.

Prognosis 1. Morbi periculum ex ipsa illius descriptione elucet, atque unum tantummodo infantem salvare potuimus, et iste dein ab opere dentionis e medio ablatus est.

Cura. 2. Balnea tepida ex infuso herbae *salviae officinalis*, vel cum farina *sinapis nigrae*, *vesicatoria* ad crura, lenes frictiones cutis, aquae aromaticae cum nonnullis guttis *liquoris succinatis ammoniae*, aut *vini antimoniati HUXHAMI*, clysteres tepidi ex infuso *florum matricariae chamomillae*, cochleare parvum unum alterumve vini, praecipua hujus morbi sistunt auxilia. Alia adhuc remedia, sed plane incassum, tentata fuere, quorum meminit HORN [30]). Curam magis ad pulmones dirigendam

27) *Osservazioni sopra alcuni casi rari.* I.

28) *De anevrysmate.*

29) *Philosoph. transact.* Vol. 48. part. 2. p. 580.

30) L. c.

dam esse credimus; at experientia adhuc destituimur.

Cap. XLIV.

De Rheumatismo Acuto.

§. CLXXXIII.

Definitio. Sedes.

1. Febris cum dolore et saepe tumore, aut tractum musculorum sequente, aut ipsos artuum articulos sive periostea occupante, *rheumatismum acutum* constituit [31]). Definitio.

2. Nulla pars vel fibris muscularibus, vel musculis proprie dictis, vel tendinibus, vel ligamentis, vel periosteo instructa, a rheumatismo acuto immunis est; aggreditur nempe cranium, cervicem, pectus, abdomen, dorsum, lumbos, coxendicem, humeros, extremitates tum superiores, tum inferiores, non exceptis eorum articulis atque visceribus structuram muscularem exhibentibus. Sedes.

§. CLXXXIV.

31) Rheumatismus Cullenii et Boerhaavii. Rheumatismus febricosus Sauvag. — Rheumatismus calidus, inflammatorius *auctorum.* — Arthritis rheumatica Swediaueri, hunc morbum egregie describentis.

§. CLXXXIV.

Symptomata. Autopsia cadaverum.

Notio febris. 1. Quacunque in parte rheumatismus acutus suam figat sedem, constanter *febris* occurrit cum pulsu frequente, pleno, forti, saepe duro, cum calore corporis intenso, siti multa, lingua alba et urina rubra. Febris haec, ab initio fere continens, progressu temporis remittens fit, ac lotium sedimentum copiosum lateritium deponens, nec non sudores, nocturnos inprimis, atque profusos, largitur.

R. a. universalis. 2. Quamvis rheumatismus acutus plerumque ex una in aliam solummodo vagari soleat partem, attamen aliquando etiam ita musculos et articulos *universi corporis* detinet, ut aeger sub vehementi febre fere immobilis reddatur. Quantam inde miser, inprimis sub inani sese movendi conatu, patiatur, quivis intelligit.

R. a. capitis. 3. Interdum praevia intensa febre, praegressaque rheumatica aliarum partium affectione, aut retrocessis in puerperis miliaribus [32]), atrocissimus dolor capitis, potissime ad musculum temporalem, occipitalem, ad galeam aponevroticam et, uti videtur, ad ipsum periosteum extensus, oritur. Tantus inde percipitur cruciatus, ut facies desperationis imaginem prae se ferat ac aeger, sub continuo ejulatu, vitae maledicat, mortisque auxilium imploret. Somnus miserum, ambabus manibus

32) Cap. III. §. XVII. No. 4.

bus caput volutantem, diu noctuque fugit. Nisi mox ab initio recta adhibeatur medendi ratio, nullum malorum conceditur levamen, donec tertia circiter morbi hebdomade, pulsu magis magisque contracto, spasmi, convulsiones, oris retractio in conspectum veniant, et brevi post sub profuso admodum sudore, sopor, stertor, praevia diuturna agonia, vitae finem imponant.

4. *Rheumatismus cervicis* apyrecticus solos musculos detinens, levioris momenti malum constituit [33]), secus autem, si cum febre acuta ligamenta et periosteum vertebrarum colli afficiat; hoc enim in casu praeter immanes cruciatus, magna inquietudo, pandiculationes, brachiorum torpor, oscitationes, palpitatio cordis, sputa cruenta, lipothymia et interdum improvisa mors occurrunt. R. a. cervicis.

5. Rheumatismus acutus *musculos thoracis*, potissime intercostales, vel *periosteum costarum* detinens, vulgo sub nomine *pleuritidis spuriae* obvenit. Insignitur morbus febre continua, dolore sterni, costarum, sedem saepe mutante, decubitum, inspirationem impediente, attactum respuente et neque tussiendi, neque sternutandi facultatem concedente. Sub debita cura malum spatio septem circiter dierum terminatur. R. a. pectoris.

33) Torticolli. GERM. *Steifer Hals.* Si caput in unam partem trahitur, *caput obstipum* dicitur.

R. a. abdominis. 6. Si rheumatismus acutus *musculos* tum rectos, tum *obliquos abdominis* corripiat, morbus, vulgo *peritonitis muscularis anterior* dictus 34) oritur. Praeter febrem, dolor fixus et ardens ad quandam abdominis regionem, plerumque circa umbilicum accusatur, qui dolor sub inspiratione, tussi, nisu sive truncum erigendi sive corpus in unum alterumve latus vertendi, vehementer augetur. Aliquando locus dolens tumorem durum, circumscriptum, decursum fibrarum muscularium designantem, exhibet. Aeger libenter flexo antrorsum corpore, retractisque cruribus decumbit. Facies non ita mala, uti observatur in inflammationibus viscerum abdominalium, quarum signa hiç deficiunt 35).

R. a. dorsi. 7. Musculi *dorsi* nec non *ligamenta vertebrarum* haud raro rheumatismo acuto subjiciuntur. Aeger primo in casu vehementer febricitat, erectum corporis situm tenere nequit ac de insigni ad dorsum dolore conqueritur, verbo symptomata, ab Hippocrate sub nomine *pleuritidis ad dorsum* 36) et a Ballonio sub eo *pleuritidis dorsalis* 37) descripta, exhibet. Quo profundior et quo propior mali sedes est medullae spinali, eo graviora signa, inter quae, monente jam Hippocrate, suspiria, respiratio

34) J. P. Frank Epitom. Vol. II. p. 185.

35) Baglivi Praxis medica. Lib. I. opp. p. m. 64.

36) Lib. III. de morbis et lib. II.

37) Opp. omn. med. T. IV. p. 289.

respiratio difficilis, sputaque cruenta observantur.

8. Rheumatismo acuto circa *lumbos* urgente, morbus varia a variis auctoribus nomina obtinuit, e. c. ea *peritonitidis muscularis posterioris*, *inflammationis musculorum psoae et iliaci interni*, uti videre est apud FORDYCE [38]), SCHOENMEZEL [39]) et FRANK, eum sequentibus verbis describentem: „dolor ad dorsum, saepius vero infra regionem vesicae urinariae ex uno latere, non tam vehemens in multis, subinde autem, quod ipsimet conspeximus, fortissimus comparet. Hic idem, magis obtusus, aut et stupor per inguen ad femur descendit, quod sine magnis tormentis ab aegrotantibus extendi non potest. Interim nec in urina, nec in alvo excernendis difficultas haeret. Post aliquot dies manifestus ac profundus tumor ad psoae aut iliaci musculorum tractum, ad glandularum inguinalium externa, percipitur tactu [40])." R. a. lumborum.

9. Rheumatismus acutus *humerum* detinens, ita dolorem, tumoremque loci affecti et immobilitatem brachii, ac rheumatismus acutus *coxae* (*Ischias febricosum*, *morbus coxarius febricosus*) dolorem tumoremque coxae et immobilitatem cruris producit. Quamvis febris hic non semper uti in R. a. humeri et coxae.

38) *Elements of the practice of physic*. p. 265.

39) TREMELI diss. de musculis psoa et iliaco suppuratis. (Delect. opusc. FRANKII Vol. V).

40) Epit. l. c. p. 186.

in reliquis hujus morbi speciebus urgeat, tamen aeger, diu noctuque somno destitutus ac locum decumbendi haud facile inveniens, multum patitur.

R. a. extremitatum. 10. Communissimus est rheumatismus acutus *extremitatum*, saepe illi humeri et coxae socius, in genere sedem suam saepe mutans. Febre stipatur magna, vires et patientiam aegrorum exhauriente vixque ante tertiam hebdomadam profliganda. Praeterea loca affecta tument, erysipelaceo quasi rubore obducuntur, attactum et motum respuunt et interdum, ut vidimus, vesicis ovi anserini magnitudine, a sero flavo admodum distentis, obsidentur, quibus disruptis cutis secedit, relicta ampla exulceratione. Frequenter miliaria obveniunt. Non raro hypochondria, inprimis hepatis regio, tument et sanguis e naribus manat. Si morbus praecipue antibrachium detineat, tumor inflammatorius cutis interdum impedit, quominus ictus arteriae, sub exploratione pulsuum, rite percipiatur.

R. a. internus. 11. Et *viscera* vel structuram muscularem habentia, e. c. *lingua*, *diaphragma*, *cor*, — vel membranis cum fibris muscularibus instructa e. c. *tubus intestinalis*, *vesica urinaria*, rheumatismo acuto, aliter autem denominato, aliisque locis describendo, obnoxia sunt. Immo, aliquando symptomata *carditidis* et *diaphragmitidis*, sub curriculo

culo rheumatismi acuti extremitatum, observavimus.

12. Post rheumatismum acutum *capitis*, vestigia gangraenae musculi temporalis, materiam puriformem sub galea aponeurotica, inflammationem durae matris et arachnoideae, nec non liquorem extravasatum fere gelatinosum, observavimus. Rheumatismo acuto *cervicis* defuncti hominis cadaver secare haud licuit. *Pleuritidis* sic dictae *spuriae* effectus abscessus est, qui haud raro tegumenta universalia inter et musculos pectoris, vel inter hos et pleuram locatus invenitur, atque hoc ultimo in casu sacci instar in cavitatem pectoris prominet; cum carie interdum costarum. Praegressa *peritonitide musculari anteriori*, in vagina musculorum rectorum abdominis, materiam puriformem aut sanguinem extravasatum, non sine notis gangraenae, tum musculorum ipsorum, tum peritonei, cum Lietaudio [41]), deteximus. Gangraena musculorum gemellorum alio loco a nobis descripta [42]) invenitur. Post rheumatismum scapularum, musculi hujus loci sero pingui obducti inveniebantur [43]). Maximae autem sunt inflammationis musculorum *psoae* et *iliaci interni* in cadaveribus reliquiae, inveniuntur nempe: quod pus Autopsia cadaverum

41) Hist. anat. med. Vol. I. art. II. obs. 3. art. X. obs. 341.

42) Acta mea clinica. Vol. III.

43) Boneti sepulcr. anat. lib. II. Sect. 4. obs. 5e.

pus sibi viam parat vel in abdominis cavum, vel exterius ad femur, vel ad externam partem glandularum lymphaticarum inguinis, vel ad lumbos, vel secundum musculorum abdominalium cum crista ossis ilei cohaerentiam, vel ad ipsam pelvim, vel ad perineum. Saepe pus in ossibus vicinis cariem producit. Quacunque autem in parte musculi, sive ex caussa rheumatica, sive ex alia, e. g. traumatica, inflammati fuerint, sectiones cadaverum saepe vel musculorum concretionem inter se ipsos aut cum cute 44), vel gelatinam eos obducentem 45), vel conversionem substantiae muscularis sive in materiam adipo-ceream 46), sive in

massam

44) Halleri Element. physiol. T. IV. Lib. XI. Sect. I. §. 7.

45) Drelincourt apud Morgagni op. c. epist. LVII. 16.

46) Pallas in Mayers *Zoolog. Annalen.* 1. B. — *Annales de chimie.* T. 5. p. 154. T. 8. p. 17. *Observations sur le changement de la fibre musculaire en substance graisseuse par* Martins in *récueil des actes de la société de santé de Lyon.* T. I. *l'an.* 6. p. 384. et: *Geist der neuesten med. Litteratur in Frankreich von* B. A. Zadig. Breslau 1798. 1. St. No. 7. cum animadversionibus Harlessii in Reil's *Archiv für die Physiologie.* 4. B. 2. St. p. 189. — Crell *chemische Annalen* 1792. 2. B. p. 322. — 1. B. p. 53. 137.

massam spongiosam 47), sive in corpus molle, cerebro simile *), exhibent.

§. CLXXXV.

C a u s s a e.

1. Ad rheumatismum acutum *praedisponunt*: consuetudo corpus nimiis velamentis obtegendi vicissitudinibusque temperaturae non satis se subjiciendi, tempus vernale, autumnale, nec non puerperium. C. praedisponentes.

2. Pro caussis *excitantibus* habentur: refrigeratio subitanea aestuantis corporis vel partis illius, frigus humidum et venti ex septentrione et oriente spirantes. Nec animi pathemata, potissime ira et terror hic silentio praetereunda sunt. Idem dicendum est de bile, de alimentis pravis 48), de dysenteria et febribus intermittentibus, praepostere adstringentibus remediis vel cortice profligatis, de sudore habituali manuum, axillarum et pedum incaute suppresso, de ulceribus C. excitantes.

47) Halle in Richters *chirurg. Biblioth.* 10. B. p. 280. — *Edinburg. medic. Bemerkung.* No. 22.

*) *Harlemer Verhandling. Deel* XVI. 2. St. p. 335. — *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 3. B. p. 286. — Pott *chirurg. Beobacht.* 2. B. p. 331. — Bell *Lehrbegr. der Wundarzneyk.* 5. Th. p. 96. — Balfour in *med. observ. and. inquir.* Vol. 4. — Kühn in Schmuckers *vermischt. Schrift.* 1. B. p. 345.

48) Swediauer l. c. p. 153.

bus et fonticulis exsiccatis, de miliaribus retropulsis [49]), de menstruis et haemorrhoidibus retentis.

C. proxima

3. *Caussam* rheumatismi acuti *proximam* in diathesin, sive rheumaticam, sive inflammatoriam, sive arthriticam locamus. In genere, rheumatismus acutus nobis est *inflammatio* systematis tum musculorum, tum tendinûm, tum ligamentorum, tum membranarum ossa ambientium, tum vaginarum nervorum.

§. CLXXXVI.

Diagnosis.

Facilis confusio.

1. *Rheumatismus acutus* cum *contusionibus*, *distorsionibus*, et *luxationibus*, cum morbo *trichomatoso* et cum *inflammationibus viscerum* confundi potest.

Distinctio a contusionibus etc.

2. Candida aegri circa morbi originem narratio et inprimis exacta partium affectarum investigatio distinctionem *rheumatismi acuti* a *contusionibus*, *distorsionibus* et *luxationibus* facilem reddunt.

Distinctio a morbo trichomatoso.

3. Consideratio stirpis et status anterioris aegri, absentia sudoris plicae proprii [50]), genuinum *rheumatismum acutum* a *stadio evolutionis plicae*, cum quo similitudinem alit, distinguere docent.

Distinctio a viscerum inflammationbus.

4. *Rheumatismus acutus* capitis, pectoris et abdominis ab *inflammatione cerebri*, *pulmonum* et

49) Cap. III. §. 12.

50) Cap. XXXVI. §. CXLIV. 5.

et *viscerum abdominalium* per absentiam signorum hisce morbis propriorum, et per impotentiam vel minimum motum instituendi, distinguitur. Interea complicationem hic latere posse, ex autopsia cadaverum satis elucet.

§. CLXXXVII.

Prognosis.

1. *Prognosis* rheumatismi acuti, morbi in genere dolorifici taediosique, a sede, quam sibi eligit, quamque vero facile nunc in bonum, nunc in malum mutat, pendet. Exitus agnoscit sequentes, *resolutionem* scilicet, *suppurationem*, *hydropem acutum*, *rigiditatem*, *atrophiam*, *paralysin*, *gangraenam* et *rheumatismum chronicum*. Generatim

2. Adhibita *mature* recta medendi ratione, rheumatismus acutus, excepto eo extremitatum, spatio paucorum dierum profligari solet. Hic enim irritis omnibus auxiliis, hucusque notis, ad tertiam, quartam et sextam usque protrahitur hebdomadem. Solvitur in genere morbus per sudorem, per urinam non solum sedimento lateritio instructam, sed et copiosam, per haemorrhagiam narium et inprimis per somnum, qui nisi redeat, caeteris signis haud fidendum est. Resolutio.

3. Rheumatismum acutum capitis, pectoris, abdominis et lumborum saepe *suppuratione* terminari, cadaverum docet autopsia. Verum et ille extremitatum aliquando in suppurationem transit, Suppuratio.

it *), quo in casu abscessus, saepe sub aponeurosi latens, difficulter dignoscitur. Si obvius magis fuerit abscessus, id proprium habet, quod tumor a compressione fere evanescat eaque cessante redeat. Pus autem quocumque in casu, si diutius delitescat, ossa vicina facile arrodit. Febris suppuratoria, saepe reconditam hic suppurationem patefacit.

Hydrops acutus.

4. Si rheumatismus acutus articulos detineat, facile in eorum cavitatibus, praecipue ad genu, serum exsudat, unde *hydrops articulorum*, in peculiari paragrapho infra considerandus, oritur. Sed et praeter hoc in rheumatismo acuto, magna ad *exsudationes* observatur proclivitas, ac interdum *hydrops acutus* praecipue *thoracis*, sub illius curriculo animadvertitur, quod probe notandum est. Aliis denique in locis de collectione seri musculos thoracis et abdominis inter ac pleuram et peritoneum mentio fiet.

Rigiditas.

5. Aliquando vigente rheumatismo acuto, materies puriformis in textum cellulosum sive in vaginas musculorum deposita, ibi solidescit ac *rigiditati* partis ansam porrigit. Idem in articulis contingere potest, ubi scilicet lympha coagulabilis exsudata, nunc cavitatem replet, nunc variis tumo-

*) In quibusdam constitutionibus annuis rheumatismus acutus magis ad suppurationem proclivis est, quam in aliis. Sic hyeme 1814 ad 1815 inter viginti aegros rheumatismo acuto variarum partium laborantes, quatuordecim exempla abscessus inde orti vidi.

mor bus ansam porrigit [51]), nunc pseudomembranas generat, et per has ligamenta inter se morbose jungit; quae singula rigiditatem articulorum aut *anchylosin*, sive *acampsiam* [52]) post se trahunt.

6. Alias per hanc ipsam, in telam cellulosam, sive in musculorum vaginas depositam et solidescentem materiam puriformem actio vasorum sanguinis circulo dicatorum et nervorum laeditur, unde partes affectae extenuantur (*atrophia partialis, melatrophia*) vel sensu sive motu, sive utrisque simul plus minus orbantur (*paralysis sive paresis partialis*). Atrophia Paralysis.

7. *Gangraena* rarissime rheumatismum acutum sequitur. Saepius autem, ut cadaverum sectiones docent, carnis muscularis, sive potius textus cellulosi [53]) in *materiam adipo-ceream* contingit conversio, quam metamorphosin pro specie *sphaceli*, sine aëris accessu operati, ac putrefactioni animalium sub aquis similis, habemus [54]). Gangraena

8. Accidit aliquando, symptomata rheumatismi acuti, praeter dolores, saepe periodicos, evanescere, ac morbum *naturam chronicam* induere. R. chronicus.

51) P. I. Vol. I. §. LXXVIII. 4.

52) Swediauer l. c. p. 751.

53) *Histoires des phlegmaties par* Broussais. Paris 1808, p. 25.

54) J. Frank's *Reise nach Paris, London*. 2. Th. p. 353.

§. CLXXXVIII.

§. CXXXVIII.

C u r a.

Antiphlogistica. 1. *Venae sectio* una alterave et copiosa *in primo morbi limine* instituta, rheumatismum acutum capitis, cervicis, pectoris, abdominis et lumborum miraculi instar auferre vel saltem maxime lenire solet. Minor illius virtus iu rheumatismo acuto extremitatum observatur. Utroque in casu multae *hirudines* et *cucurbitulae scarificantes* circa partes affectas conducunt. Porro *temperies* esto modica absitque conatus ille, sanae rationi adversus, sudorem vi pellendi. Citra debitam et commodam partis affectae positionem, nil illi imponendum, omnia enim topica auxilia hic irritant doloresque augent. Interne *nitras potassae* a drachma una ad unciam semis nychthemeri spatio adultis ventriculo non admodum sensili instructis, praecipuum sistit remedium. Alvo obstructa, lenia simul *purgantia antiphlogisticà* et *clysteres* adhibentur. *Diaeta* et reliquum *regimen*, uti in caeteris morbis inflammatoriis.

Diapnoica. 2. Solum temperato omnino morbi impetu inflammatorio ad *diapnoica* confugere licet. Inter ea *tartras stibii* et *potassae* excellit. Nec nocet, si vomitus aut alvus inde aliquoties cientur, nam praecipue emesis, aliunde non contraindicata, evidenter hic prodest. Quousque febris viget, a reliquis diapnoicis, praesertim a liquore acetatis ammo-

ammoniae, a pulvere cephaelidis ipecacuanhae cum opio et magis adhuc a *camphora*, nisi forte, sub pulsu molli, debili, in minima dosi et *nitrati potassae* juncta [55]), abstinendum est.

3. Praemisso larga manu regimine antiphlogistico *sinapismo* aut *vesicatorio*, pro varia morbi sede sive nuchae, sive pectori, sive abdomini, sive lumbis admoto, locus est. Rheumatismus acutus humeri, coxae et extremitatum unice excipi meretur, quo scilicet in morbo tum indicata remedia, tum balnea tepida aut effectu destituuntur, aut revera nocent. Remedia externa.

4. Non ita lenia *diuretica*, quae in cura rheumatismi acuti extremitatum, praemissis antiphlogisticis iterum iterumque commendamus. Ipse *nitras potassae*, quo magis urinam movet, eo magis prodesse solet. Vehiculo illi inserviunt *decocta radicis sive ononidis spinosae*, *sive apii petroselini*, et si febris jam pauca fuerit, *infusum baccarum juniperi communis*. Diuretica.

5. Silentio praeterire nequimus, medicum sagacissimum Londinensem, HUGONEM SMITH, quinquaginta circiter abhinc annis, in rheumatismo acuto extremitatum, ob evidentes exacerbationes et remissiones dolorum, non obstante pulsu frequente, pleno et duro, *decoctum corticis cinchonae*, testante Cinchona.

65) R. Emulsionis amygdalinae libram unam. Camphorae granum unum. Nitri drachmam unam. Syrupi emulsivi unciam unam. M.

stante SWEDIAUER[56]), felicissimo cum successu adhibuisse. Methodus haec a FORDYCE, FOTHERGILL, HAYGARTH, SAUNDERS et quodammodo a nostra experientia confirmatur, dummodo remissio dolorum evidens sit et urina largum sedimentum lateritium deponat.

C. exituum 6. Abscessus incipiens ope *cataplasmatis emollientis* ad maturitatem perducendus est, ac dein praesente periculo, quod pus sibi viam in cavitatem pectoris, abdominis et pelvis parare, aut inter musculos sub aponeurosibus proserpere possit, mature, secundum chirurgiae regulas [57]), aperiri debet. Interdum abscessus inopinate evanescit [58]). *Exsudatio* interna usum *diureticorum*, radicis *polygalae senegae* et *muriatis hydrargyri* exposcit. *Rigiditati*, *atrophiae* et *paralysi* articulorum et membrorum, lenem partium affectarum *flexionem*, *extensionem*, *frictionem*, vel simplicem, vel cum *sapone ammoniacali* et *unguento oxydi mercurii grisei*, aut cum *oleo olivarum*, cum *sebo animali*, cum *tinctura cantharidum*, cum *unguento nervino* opponimus. Conducunt porro *fasciae*, *embrocatio*, *balnea calida*, praecipue *sulphurea*, *fotus animalis recenter mactati*, *electricitas*, *moxa* et similia.

§. CLXXXIX.

56) Op. c. Vol. I. p. 151.

57) JOAN. ABERNETHY *surgical and physiological essay*: Lond. 1793. vers. germ. prodiit tituln: *Chirurgische und physiolog. Versuche. Übers. mit Anmerkung. v.* Jo. Dt. BRANDIS. Leipz. 1791. 1801. 8.

58) Sic in clinico Ticinensi a. 1793, abscessum, capitis infantilis magnitudine ad inguen post psoitidem ortum

§. CXCI.

Hydrops articulorum.

1. *Hydrops articulorum* 59) est tumor albus, mollis, aequabilis, elasticus, impressi digiti vestigium haud retinens, a ligamento capsulari circumscriptus, ex collectione morbosa sive seri, sive synoviae oriens, membri flexionem impediens, cum dolore et quadam, ab initio, fluctuatione. Definitio

2. Morbus, de quo agitur, jam HIPPOCRATI 60) notus fuerat. Optime de eo scripsere: GESSCHER 61), EVERS 62), REIMARUS 63), M. HOFFMANN 64), NEBEL 65), HAFFNER 66), WARNER 67), DESPARS 68), Historia.

SCHLICH-

observavi, qui spatio paucorum dierum, nullo subsequente alio incommodo, sponte evanuit.

59) Hydrarthros. GALL. *La loupe*,

60) Liber de locis in homine.

61) *Hedendaagsche oeffenende Heelkunde.* Amsterd. 1780. TODE *Arzneykundige Annalen.* 4. *Heft.*

62) *Von der Anchylosis.*

63) Diss. de tumore ligamentorum circa articulos. Lugd. Bat. 1757.

64) Diss. de meliceria vel articulorum laesorum inundatione. Altorf. 1650.

65) Diss. de synovia ejusque remediis specificis. Heidelb. 1741.

66) Diss. de hydrope articulorum (WASSERBERG opusc. minor. fasc. 1. 2. 3).

67) *Chirurg. Vorfälle und Bemerkungen.* Leipz. 1787.

68) Specimen practicum de hydrope peritonei saccato (SANDIFORT Thesaur. Diss. Vol. I. p. 451).

Schlichting [69]) aliique praesertim inter chirurgos.

Divisio. 3. Hydrops articulorum, aliorum hydropum instar, in *acutum* et *chronicum* dividitur.

H. a. acutus. 4. *Hydrops articulorum acutus* ex praevio rheumatismo acuto nascitur, ac liquido sive seroso, sive puriformi, in cavitatem articuli extravasato, originem debet. Celerrime oritur malum ac maximus est tumor, motum impediens ac saepe summopere dolens. Facile morbus chronicam induit naturam ac phaenomena infra recensenda exhibet.

H. a. chronicus. 5. *Hydrops articulorum chronicus* cum sensatione molesta, stupore et dolore plus minus acuto, aliquando dirissimo, ad articulum orditur, cui tandem tumor superaccedit. Ad genu, frequentissimam hujus morbi sedem, tumor anterius, patellam quasi coronans, eamque protrudens, conspicitur. Serius tumor ad latera genu major fit atque ligamentum capsulare ita distendit, ut duos tresve pollices supra patellam ille ascendisse sit visus [70]). Est vero tumor hic albus, elasticus, fere indolens, et nisi ligamenta nimis crassa sint, fluctuationem exhibens [71]). Ad summum perducto malo, cutis et partes vicinae inflammantur, suppu-

69) Hydrops articuli praegrandis dissectis et ipsis ligamentis siccatus. (Act. phys. med. Vol. 8. obs. 27. p. 69).

70) Haffner l. c. p. 119.

71) Schmalz *seltene medic. und chirurg. Vorfälle.* 1784.

suppurantur, exulcerantur, quo facto cutis plura foramina, articulum circumdantia, exhibet [72]). Manat ex iis ichor foetidus varii coloris atque valde acris. Tali tunc pacto tumoris adspectus mutatur, ut pro hydrope articuli non amplius cognosci queat. Pars affecta immobilis, rigida, dolens, inaequalis, magis magisque tumida evadit, atque extenuatur, donec, orto oedemate, cuncta febris hecticae, mortem annuntiantis, signa, accedant. Pouteau hydropis *coxae* meminit [73]), sub quo caput femoris ex acetabulo ab aquis expellebatur, reddito crure affecto duobus digitis altero longiore. Nec desiderantur exempla hydropis articulorum tum pedis [74]), tum manus [75]).

6. Cellulosa cutis articulum ambientis materia albumini simili repleta est, quae ipsa profunde in partes subjacentes penetrat. Hinc inde cutis abscessuli observantur. Aperta cavitate articuli, cunctae glandulae formam, partibus externis similem exhibent. Cartilagines plane emollitae conspiciuntur. Nec semper deest puris aliquid [76]). Saepissime autem ossa carie detinentur. Autopsia cadaverum

Ss 2 7. Ad

72) Bell's *Abhandl. von den Geschwüren und deren Behandl.* 3. B. S. 284.

73) *Oeuvres posthumes.* 2. Vol.

74) Bell. l. c.

75) Haffner l. c.

76) Alex. Monro *sämmtliche Werke.* p. 115. art. 8.

Caussae. 7. Ad caussas hydropis articulorum spectant, praeter rheumatismum acutum, contusio, luxatio, vehemens extensio articuli, praesertim sub genuflexione diuturna, metastasis, post febres 77), inprimis puerperales 78), post variolas et morbillos, vitium scrophulosum, rhachiticum, venereum, plicosum, arthriticum et herpeticum.

Diagnosis. 8. *Hydrops articuli* ab *oedemate*, a *fungo articuli*, a *bursis mucosis*, ab *abscessu* et ab *aneurysmate* distingui debet. *Oedema* foveas a compressione digiti admittit, nullam offert fluctuationem, ac longe minus, quam hydrops articuli partis affectae motum impedit. *Fungus articuli*, paucis exceptis casibus 79), extra articulum positus est, ac speciem tumoris cystici offert. Praeterea utplurimum a caussis externis generatur, indolens est, neque cingit neque attollit rotulam, non fluctuat, attactui resistit, motum minus impedit, quam hydrops et longe diutius absque tanto perfertur incommodo 80). *Bursae mucosae*, aliquando enorme volumen

77) Maloet hujusmodi hydropem ad genu in actis Parisiensibus a. 1728 descripsit.

78) Ex hac caussa hydropem genu refert Simson in Act. Edinb. T. IV.

79) Schmucker *vermischte Schriften.* 1. B. p. 301. — Heister Instit. chirurgiae L. IV. cap. 19. — Reimarus l. c.

80) Camper in *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 16. B. p. 600.

volumen acquirentes [81]), ac in vinciniis articulorum positae, ob mobilitatem ab hydrope articuli distinguuntur. *Abscessus articuli* notas praegressae inflammationis et subsequentis suppurationis *extus* manifestat, quod in hydrope articuli, nisi purulento ac ideo abscessui admodum affine, haud animadvertitur. *Aneurysma*, praesertim arteriae cruralis, pluries pro hydrope articuli habitum fuisse, docent fasti medici [82]). Pulsatio tamen illud ab hoc evidenter distinguit. Ad ipsam hydropis articuli *indolem* quod spectat, dividendus est morbus in *idiopathicum* et *symptomaticum*. Ille citissime tumorem cum violentissimis symptomatibus exhibet, hic autem sensim sensimque increscit. Species hydropis articulorum symptomatici, quae frequentissime obveniunt, et exacte a BELLIO describuntur [83]), sunt indolis *rheumaticae* et *scrophulosae*. Hoc ultimo in casu hydrops articuli praecipue *spinae ventosae* videtur effectus. Nec impossibilis foret ortus hydropis articuli ex *hydrope ossium* (HYDROSTEON), quo medulla in serosum ichorem resolvitur [84]).

9. *Prognosis* hydropis articulorum pro varia caussa et diuturnitate morbi varia est. Caussae ex- Prognosis.

81) CAMPER l. c. p. 422. — VOIGTEL. op. c. 1. B. p. 122.

82) *Journal de médecine. Octob.* 1781.

83) L. c.

84) VAN WY *Heelkundige Mengestoffen.* D. 11. 1. St.

externae nisi violenter egerint, et si cito succurratur, sanationis spem relinquunt. Rebelles magis affectus caussae internae inducunt, inter quas vitium scrophulosum, inprimis spinae ventosae nuptum, quammaxime timendum est. In genere, provecto admodum in morbo, ligamentorum incrassatio, erosio, ossium caries, membrorum rigiditas et luxationes, singula artis auxilia, praeter amputationem partis affectae, excludunt, quae autem operatio saepissime a corporis extrema macie et a febre hectica contraindicatur.

Cura. 10. In *hydrope articulorum rheumatico, cucurbitulae scarificantes* circa et supra tumorem applicatae praecipuum constituunt auxilium, non neglectis interne *nitrate potassae*, *decocto radicis ononidis spinosae* et *potu* leniter *diapnoico*. Proveciori in morbo infra tumorem *vesicatorium* ponitur, cujus diuturna sustinenda est suppuratio. Sunt, qui ipsi tumori vesicatorium admoveant [85]. Praeterea usui *muriatis hydrargyri* et extracti *aconiti napelli* locus est [86], exhibito pro potu *decocto radicis smilacis sarsaparillae*. Hisce singulis nil juvantibus, summo cum fructu, consilio Monroi

85) White *von Geschwüren*. — Daniel Orred in *medical commentaries*. Vol. 7. p. 315. — Van Wy l. c.

86) R. Calomel grana sex. Extracti aconiti grana duodecim. Sacchari drachmas duas. M. divid. in duodecim partes. D. S. Bis de die pulverem (adulto).

ROI [87]), speciem *moxae*, (ex gossypio, alcohol imbuto ac flagrante) in quadam distantia parti affectae admotam, in usum duximus. Idem de *linimento* ex *sapone ammoniacali* et *unguento oxydi mercurii grisei* paratum fatemur, cui *camphorae* portio addi potést [88]). Interea cavendum, ne hujusmodi remedia cutim nimis irritent. Securius tumori imponitur *emplastrum*, vel *de sapone et cumino*, vel *diachylon* cum *gummatibus*, vel *hydrargyri*, vel *conii maculati*. Irrita et horum remediorum virtute, quid *colophonium* valeat, experiendum est [89]). Hungariae populi partem affectam *fumo juniperi* exponunt et linteis cum hoc fumigatis perfricant, dein emplastrum ex *gummiresina heraclei gummiferi* et *aceto scillae* paratum impo-

87) *On dropsy.* p. 167.

88) R. Linimenti volatilis uncias duas. Unguenti mercurialis unciam semis. Camphorae drachmam unam. M.

89) Sumitur optimum et ex rubro diaphanum colophonium, quod in pulverem teritur. Dein cannabis sicca in nidi avium formam adaptatur et colophonium ad digiti altitudinem superinspergitur, quibus alcohol affunditur, donec satis humectatum fuerit colophonium, sic tumori applicandum. Dum aeger de cataplasmatis hujus siccitate conqueritur, super ipsam partem iterum iterumque alcohol affunditur. Post duas tresve dies mutatur apparatus, et sic ad sanitatem usque. (*Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte.* 9. B. p. 418).

imponunt, quae methodus suffragium SWEDIAUERI obtinuit [90]. Lithuaniae incolae sacculos ex *cineribus* et *sale culinari* calide tumori admovent. *Hydrops articulorum scrophulosus* nullum remedium, quod *fonticulo* ad basin tumoris admoto diuque relicto aequiparari possit, agnoscit. Interne simul remedia scrophulis et rhachitidi accommodata porriguntur, inter quae praecipue *oxydum hydrargyri et antimonii sulphuratum*, *extractum conii maculati*, *decoctum glandum quercus roboris tostarum*, illudque *radicis rubiae tinctorum* nec non *acidum phosphoricum* [91]), maxime commendanda sunt. *Hydrops articulorum idiopathicus recens* affusionem aquae frigidae, praecipue cum *acetate plumbi*, vel applicationem *aceti* exposcit. Provectiori in morbo fomentum ex herbis aromaticis in vino decoctis et calide applicitum, conduxisse est visum. Item *aqua calcis*, *solutio saponis*, *muria halecum*, *embrocatio*, praecipue ope *solutionis muriatis ammoniae* et fotus cum *luto thermali* [92]). Auxilia hujusmodi, nec non

90) *London medical Journal* 1781. p. 194. Et: *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 7. B. p. 18.

91) R. Acidi phosphorici drachmam semis. Aquae rubi idaei uncias sex. Syrupi ejusdem unciam unam. M. D. S. ter de die cochlear unum majus (e. c. pro infante sex annorum).

92) ITALICE *i fanghi*.

non *thermae* inprimis *sulphureae* et in hydrope articulorum sive rheumatico, sive scrophuloso, adhiberi queunt. Latenti vitio venereo *mercurius* opponitur. Quodsi vero indicatio morbum per resolutionem sanandi in vanum secuta fuerit, ad *manum chirurgicam* recurrendum foret. Ad haec spectant primum *punctura* sive *sectio articuli*, dummodo (quod raro in scrophulosis sperare licet) ligamenta et ossa adhuc illaesa sint, aliàs enim, rite animadvertentibus CALLISEN [93]), HAFFNER [94]) et ORRED [95]) etc., malum ab aëris accessu augmentum capit. Vulnus capsulae articulari inflictum per turundas apertum tenetur, ac injectionum ope purificatur. Morbo ad extremum perducto, ac jam jam consumtis ligamentis, capsulis et ossibus, *amputatio membri* super articulum hydropicum, unicum sistit auxilium, neque a macie corporis, neque a febre, neque a sudoribus, neque a diarrhoea colliquativa contraindicatum, immo, monente BELLIO [96]), aegri tabe laborantes facilius, quam vegeti hanc operationem sustinent. Quid de crudeli, a PARCK proposita

93) *Theoret. und prakt. Arzneykunst.* p. 483.

94) L. c. p. 158.

95) *Medical commentaries* Vol. 7. p. 315. — *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte.* 11. B. p. 178.

96) L. c. p. 310.

posita [97]), *separatione articuli* sentiendum sit, chirurgorum decisioni relinquimus.

97) *An account of a new method of treating diseases of the joints of the knee and elbow, in a letter to* Pott. Lond. 1783.

ADDENDA ET EMENDANDA.

P. 7. Not. *) laudatum est BATEMANNI liber de morbis cutaneis, Auctori nondum visus. Dum typis exscribebatur haec Auctoris Voluminis I. secunda pars, prodiit versio germanica, a Curtio Sprengelio correcta, animadversionibusque eruditissimis aucta, sub hocce titulo: *Praktische Darstellung der Hautkrankheiten, nach* WILLANS *System bearbeitet v.* THOM. BATEMAN, *Arzt in London. Aus d. Engl. übers. v.* ABR. HANEMANN, *Arzt in Hamburg. Mit Vorr. u. Anmerk. v.* KURT SPRENGEL. *Mit* 1 *illum. Kupf.* Halle 1815. 8.

Pag. 189. Nota 57. Illustr. KREYSSIGII libri eruditi et vere practici titulum p. 84. quidem laudatum, velim repetitum: *Abhandlung über das Scharlachfieber nebst Beschreibung einer sehr bösartigen Frieselkrankheit.* Leipz. 1802.

P. 303. commemoratum est opusculum illustris SACCO, qui vaccinationi per totum Italiae regnum ab iis, penes quos tunc temporis summa rerum erat potestas, praepositus erat, vere aureum, quod et in nostram linguam translatum fuit a laudati paulo ante CURT. SPRENGELII filio Guilielmo, optimae spei juvene, et virtutum patris strenuo aemulo. Titulus libri est: LUDW.

Sacco's, *Gener. Directors d. Vaccination im Königr. Italien, u. ersten Arztes am grossen Krankenhause zu Mayland, neue Entdeckungen üb. d. Kuhpocken, die Mauke und die Schaafpocken.* Leipz. 1812. 8. *Mit 4 illumin. Kupferpl.*.

Pag. 353. Not. 31. Erysipelas dedermatosum leg. E. dermatodes, a graeco vocabulo δερματώδης, cutaneus.

P. 354. lin. 6. ab ima paginae parte: superoxigenati leg. superoxygenati.

P. 355. Not. 37. graphytes leg. graphites.

P. 357. Not. 40. πιτυρ. Debebat abbreviata vox suppleri πίτυρον.

P. 368. paragraphi XCIV. inscriptionem leg.: *Cornua cutanea* etc.

P. 383. lin. 4. ab imae paginae parte leg. *unguis lapsus*.

